Printed in Italy

CUPyri8ht by ═══ << · ..... (Italy)

L *2

Sac. ALOISIUS MORETTI

Pontificiae Academiae Liturgicae Romanae, honoris causa, Academicus

CAEREMONIALE

IUXTA RITUM ROMANUM

SEU

DE SACRIS FUNCTIONIBUS

EPISCOPO

CELEBRANTE - ASSISTENTE - ABSENTE

in partes septem digestum

Manuale iuxta novissima Decreta S. Rituum Congregationis et Codicem luris Canonici

Volumen IV.

DE SACRAMENTIS DE SACRAMENTALIBUS

et

DE EXSEQUII

TAURINI (Italia)

Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita

nunc MARII E. MARIETTI S. Sedis Apost. et S. RR. Congr.

necnon Archiep. Taurinen. Typographi

MCMXXXIX

Diligentissima revisione peracta quarti voluminis **De Sacramentis, Sacramentalibus et de Exsequiis»* Operis «Caeremoniale iuxta ritum Romanum» a clarissimo Sac. Aloisio Moretti concinnati, idem volumen cum Pontificali et Rituali Romano, Caeremoniali Episcoporum atque novissimis S. R. C. Decretis adamussim concordare testor.

In fid.: Taurini, die 6 Septembris 1938.

Sac. Augustinus Grogno, *Rev. Archiep.*

Imprimatur.

Taurini, die 25 Octobris 1938.

C. IOANNES DALPOZZO, *Prov. Gen.*

IUS PROPRIETATIS^ VINDICABITUR (I9-IX-38)

INDEX GENERALIS

PARS QUINTA

DE SACRAMENTIS

SECTIO PRIMA

DE SACRAMENTIS AB EPISCOPO ADMINISTRANDIS

Pag.

Caput I. *De solenmi Baptismo infantibus ab Episcopo administrando* . . 1
Art. i. De iis quae praeparanda sunt..... 1
» II. De Episcopo solemne Baptismum infantibus administrante 2
» III. De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo ministranti solemne Baptismum infantibus..... 4
» IV. De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in administratione Baptismi solemnis infantibus ab Episcopo peragenda 6

Caput II. *De solemni Baptismo adultis ab Episcopo administrando* - - - 9
Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 9
« II. De Episcopo administrante adultis Baptismum solemne . . 9
» III. De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo administranti solemne Baptismum adultis..... 15
» IV. De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in administratione Baptismi solemnis adultis ab Episcopo peragenda . 17

Caput III. *De ritu solemni pontificali pro Confirmationis sacramento* . . 18
Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 18
» II. In Functione..... 19

Caput IV. *De sacra Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali solemniter habenda in Sabbatis Quatuor Temporum et in sabbato ante Dominicam de Passione*..... 22
Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 22
» II. De Episcopo Ordinario in s. Ordinatione generali solemniter habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione 24
n III. De Archidiacono ins. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.....
d IV. De Presbytero Assistente in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.....

PaS-

^rt. V. De Diaconis Assistentibus in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione 38

» VI. De sacris Ministris in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 41

d VII. De Ordinandis in s. Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario solemniter habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam dc Passione 46

» VH I. De Canonicis deque ceteris Choralibus in s. Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali solemniter habenda in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione... 56

IX. De Notario in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 57

» X. Dc Caeremoniariis in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 58

). XI. De Ministris libri et candelae in s Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 59

XII. De Ministris mitrae et baculi in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 62

» XIII. De ceteris Ministris inferioribus in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 65

Caput V. *De sacra Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbato sancto* - - - 69

Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 69

» 11. In Functione..... 70

Caput VI. *De sacra Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario solemniter habenda in Ecclesia Cathedrali diebus dominicis et festis de praecepto*..... 71

Caput VII. *De sacra Ordinatione generali privatim ab Episcopo Ordinario habenda in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione*..... 72

Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 72

« 11. De Episcopo Ordinario in sacra Ordinatione generali privatim habenda in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione..... 73

› 111. De Archidiacono et de duobus Canonicis Assistentibus in sacra Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario privatim habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione 76

Pog.

Art. IV. De Caercmoniario deque Ministris inferioribus in sacra Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario privatim habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione. 83

Caput VIII. *De sacra Ordinatione generali privatim habenda ab Episcopo Ordinario in Sabbato sancto* 84

Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 84
» II. In Functione..... 85

Caput IX. *De sacra Ordinatione particulari*..... 86

Summarium ritus sacrae Ordinationis generalis solemniter habendae 87

Summarium ritus sacrae Ordinationis generalis privatim habendae 92

Caput X. *De consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.* 91

Art. I. De iis quae.praeparanda sunt..... 97
» II. De Episcopo Ordinario consecrante solemniter in Ecclesia Cathedrali Electum in Episcopum.....101
» III. De duobus Episcopis Assistentibus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali..... 105
» IV. De Electo in Episcopum in sua consecratione solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 109
» V. De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali . 116
» VI. De Ministris sacris in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....117
» VIL De Canonicis deque ceteris Choralibus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....120
» VIII. De Caeremoniariis in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....120
» IX. Dc Ministris libri et candelae in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....125
» X. De Ministris mitrae et baculi in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....126
» XI. De Cappellanis inservientibus Episcopis Assistentibus et Electo in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali . . 128
» XII. De ceteris Ministris inferioribus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali..... 131

Summarium ritus consecrationis Electi in Episcopum solemniter peragendae ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 134

Caput XI. *De consecratione Electi in Episcopum privatim peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali*..... 136

Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....136

Pag.

Art. II. De Episcopo Ordinario, de duobus Episcopis Assistentibus deque Electo in Episcopum, in consecratione episcopali privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali 133
» III. De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo Ordinario in consecratione Electi in Episcopum privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali..... 140
» IV. De Caeremoniariis deque Ministris inferioribus in consecratione Electi in Episcopum privatim peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali..... 144

Summarium ritus consecrationis Electi in Episcopum privatim peragendae ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 147

Caput XII. *De consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda a Metropolita in Ecclesia Cathedrali eiusdem Electi* . . 149

Caput XIII. *De consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo extraneo in Ecclesia Cathedrali eiusdem Electi.* 153

Caput XIV. *De consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo extraneo extra Electi dioecesim*.156

Caput XV. *De consecratione S. R. E. Cardinalis Electi in Episcopum solemniter peragenda ab altero Cardinali*... 156

Caput XVI. *De consecratione S. R. E. Cardinalis Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo dignitate cardinalitia non insignito*.....158

Caput XVII. *De consecratione plurium Episcoporum*.....160

Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 160
» II. De Episcopo consecrante in plurium Episcoporum consecratione 161
» III. De duobus Episcopis Assistentibus in plurium Episcoporum consecratione..... 164
» IV. De Electis in Episcopum in sua consecratione..... 165

Caput XVIII. *De sacramento Matrimonii coram Episcopo Ordinario celebrando deque Missa cum benedictione Nuptiarum* - - - 169

Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 169
d II. De Episcopo Ordinario Matrimonio assistente et Missam celebrante..... 170
HI. De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo Ordinario sacramento Matrimonii assistenti et Missam celebranti . 171
IV. De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in celebratione Matrimonii coram Episcopo Ordinario - - - - 173

SECTIO SECUNDA

DE SACRAMENTIS A SIMPLICI SACERDOTE ADMINISTRANDIS

Caput I. *De solemni Baptismo infantibus a Parocho vel a Sacerdote ab eodem delegato administrando*..... 175

Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....175
» 11. De Sacerdote solemne Baptismum infantibus administrante 175

Pag.

Art. III. De Clerico inserviente Sacerdoti Baptismum solemne infantibus administranti..... 178

Caput II. *De ordine supplendi omissa super infantem baptizatum*.....179

Caput III. *De solemni Baptismo adultis a Sacerdote administrando* - - - 180
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....180
» II. De Sacerdote administrante adultis solemne Baptismum . . 181
» 111. De duobus Assistentibus Sacerdoti solemne Baptismum adultis administranti.....185
» IV. De Caeremoniario deque Clerico inserviente in administratione Baptismi solemnis adultis a Sacerdote peragenda 186

Caput IV. *De ordine supplendi omissa super adultum baptizatum* - - - - 187

Caput V. *De sacramento Confirmationis a simplici Sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione administrando*.....188
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....188
» II. In Functione.....189

Caput VI. *De ordine S. Communionem administrandi extra Missam* - - - 191

Caput VII. *De ritu S. Communionis infirmis administrandae*.....195

Caput VIII. *De sacramento Extremae Unctionis*.....199
Art. I. De administratione Extremae Unctionis.....199
» 11. De administratione Extremae Unctionis immediate post S. Viaticum.....201
» 111. De administratione Extremae Unctionis in casu instantis mortis.....202

Caput IX. *De sacramento Matrimonii coram Parocho vel eius delegato celebrando deque Missa cum benedictione Nuptiarum* . . . 202

APPENDIX

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM EPISCOPO ORDINARIO GRAVI MORBO LABORANTI

Caput I. *De administratione S. Viatici Episcopo Ordinario*.....205
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....205
» II. De Episcopo S. Viaticum suscipiente.....206
» III. De Canonico S. Viaticum administranteEpiscopo Ordinario decumbenti 207
» IV. De duobus Assistentibus in administratione S. Viatici Episcopo Ordinario decumbenti.....209
» V. De Caeremoniariis in administratione S. Viatici Episcopo Ordinario decumbenti..... 210

Caput II. *De Professione Fidei ab Episcopo Ordinario emittenda coram suo Clero postquam ipse S. Viaticum acceperit*211

Caput III. *De administratione Extremae Unctionis Episcopo Ordinario* 211

Index generalis

PARS SEXTA

DE SACRAMENTALIBUS

SECTIO PRIMA

DE SACRAMENTALIBUS AB EPISCOPO PERAGENDIS

Pag.

Caput I. *De benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habenlern, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali* - 213

Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 213

II. De Episcopo Ordinario celebrante in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda in Ecclesia Cathedrali..... 216

III. De duobus Abbatibus Assistentibus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 219

IV. De Electo in Abbatem, usum pontificalium habentem, in sua benedictione solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali..... 222

V. De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali..... 227

VI. De Ministris sacris in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali..... 228

VII. De Canonicis deque ceteris Choralibus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 230

VIII. De Caeremoniariis in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....

IX. De Ministris libri et candelae in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali . 232

X. De Ministris mitrae et baculi in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali . . 233

XI. De Cappellanis inservientibus Abbatibus Assistentibus et Electo in Abbatem, usum pontificalium habentem, in benedictione solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....

XII. De ceteris Ministris inferioribus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 237

Summarium ritus benedictionis Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragendae ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali....240.....

CAPUT 11. *De benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, privatim peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali....242.....*

Art I. De iis quae praeparanda sunt....242.....

Pag.

Art. II. De Episcopo Ordinario, de duobus Abbatibus Assistentibus deque Electo in Abbatem, usum pontificalium habentem, in benedictione privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali 244
» III. De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo Ordinario in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali 246
» IV. De Cacremoniariis deque Ministris inferioribus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, privatim peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....249

Summarium ritus benedictionis Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, privatim peragendae ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali - - - - - - - - - - - - 251

Caput III. *De benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda in ipsa Ecclesia eiusdem Electi* . 254

Caput IV. *De benedictione plurium Electorum in Abbatem, usum pontificalium habentem, peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali* 256
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....256
» II. De Episcopo Ordinario celebrante in benedictione plurium Electorum in Abbatem, usum pontificalium habentem, peragenda in Ecclesia Cathedrali.....257
» III. De duobus Abbatibus Assistentibus in benedictione plurium Electorum in Abbatem, usum pontificalium habentem, peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali 257
» IV. De Electis in Abbatem, usum pontificalium habentem, in sua benedictione peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.....258

Caput V. *De benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda solemniter ab Episcopo Ordinario peragenda* - - - 261
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....261
» II. De Episcopo Ordinario celebrante solemniter in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda 264
» III. De duobus Assistentibus in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario..... 266
IV. De Caeremoniario in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.....268
» V. De Ministris libri et candelae in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.....272
» VI. De Ministris mitrae et baculi in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.....273
» VII. De ceteris Ministris inferioribus deque Cantoribus in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario . 275

Caput VI. *De Missae celebratione post benedictionem et impositionem primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda* - - - - - - - - - - 277

Png.

Caput VII. *De Ecclesiae dedicatione seu consecratione solemniter peragenda* 278

Art. I. De expositione sacrarum Reliquiarum pridie vespere, deque Vigiliis....278

» II. De iis quae praeparanda sunt pro Ecclesiae dedicatione seu consecratione.... 280

* III. De Episcopo consecrante in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda....287

» IV. De Ministris sacris in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.... 302

» V. De Archidiacono, de quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis, de Presbytero Altare thurificaturo deque Diacono Ecclesiae dedicandae custode in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda 311

» VI. De Caeremoniario primo in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda..... 313

» VII. De Caeremoniario secundo in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.....317

VIII. De Ministris libri et candelae in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.... 320

IX. De Ministris mitrae et baculi in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda..... 323

» X. De Crucifero deque Ceroferariis in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.....329

» XI. De Thuriferario in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda..... 331

» XII. De Acolytho in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.....333

» XIII. De Ministro aquae benedictae in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda..... 336

» XIV. De Clerico primo et secundo deque Clericis intorticia gestaturis in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.....338

» XV. De Clero deque Cantoribus in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.....340

Summarium ritus dedicationis seu Ecclesiae consecrationis solemniter peragendae.....344

Caput VIII. *De Altaris fixi seu immobilis consecratione sine Ecclesiae dedicatione* 348

Art. I. De expositione SS. Reliquiarum pridie vespere - - - - - - 348

» II. De iis quae praeparanda sunt pro Altaris consecratione . . 348

» III. De Episcopo Altare fixum seu immobile consecrante sine Ecclesiae dedicatione..... 353

» IV. De Ministris sacris in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.....363

* V. De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis deque Presbytero Altare thurificaturo in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione . . 369

» VI. De Caeremoniario in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.....369

» VII. De Ministris libri et candelae in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione..... 372

» VUI. De Ministris mitrae et baculi in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.....374

Pûg.

Art. IX. De Crucifero deque Ceroferariis in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione 379
» X. De Thuriferario deque Acolytho in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione..... 380
» XI. De Ministro aquae benedictae, de Clerico primo et secundo deque Clericis intorticia gestaturis in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione - - - - 382
» XII. De Clero deque Cantoribus in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione..... 385

Summarium ritus consecrationis Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione . i - - - - - - - - - - - - - - - . 387

Caput IX. *De plurium Altarium fixorum seu immobilium consecratione .* 390
Art. I. De expositione SS. Reliquiarum pridie vespere..... 390
» II. De iis quae praeparanda sunt pro plurium Altarium consecratione 391
» III. De Episcopo plura Altaria fixa seu immobilia consecrante . 393
» IV. De Ministris sacris in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.....404
» V. De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis deque Presbytero Altaria thurificaturo in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.....411
» VI. De Caeremoniario in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.....412
» VII. De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi, de Crucifero deque Ceroferariis in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.....412
» VIII. De Thuriferario in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium..... 413
» IX. De Acolytho in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium..... 414
» X. De Ministro aquae benedictae, de Clerico primo et secundo, de Clericis intorticia gestaturis in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium..... 417

Summarium ritus consecrationis plurium Altarium fixorum seu immobilium 419

Caput X. *De consecratione Altaris fixi seu immobilis cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis .* 422
Art. I. De expositione SS. Reliquiarum pridie vespere..... 422
» II. De iis quae praeparanda sunt pro Altaris consecratione . . . 423
» III. De Episcopo consecrante Altare fixum seu immobile, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.....426
» IV. De Ministris sacris in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis..... 435
» V. De quatuor Presbyteris Feretrum vel Arcam SS. Reliquiarum gestaturis deque Presbytero Altare thurificaturo in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis..... 440
VI. De Caeremoniario in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis..... 440

Pag.

Art. VII. De Ministris libri et candelae in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis....441
VIII. De Ministris mitrae et baculi in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis....443
IX. De ceteris Ministris inferioribus in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.....
X. De Clero deque Cantoribus in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.....
Summarium ritus consecrationis Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis....449

Caput XI. *De consecratione Altarium execratorum....452*
Art. I. De consecratione Altaris fixi seu immobilis quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulae seu mensae a stipite....452
II. De consecratione Altaris quod amisit consecrationem sive ob enormem fractionem, sive ob SS. Reliquiarum amotionem, sive ob amotionem, vel fractionem, operculi sepulcri 453

Caput XII. *De consecratione Altaris portatilis solcmniter peragenda in Ecclesia* 455
Art. De iis quae praeparanda sunt..... 455
* II. De Episcopo solemniter consecrante Altare portatiie in Ecclesia 458
n III. De duobus Assistentibus Episcopo solemniter consecranti Altare portatiie in Ecclesia..... 464
IV. De Presbytero Altare thurificaturo in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia..... 467
V. De Caeremoniario in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia....467
VI. De Ministris libri et candelae in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia....469
VII. De Ministris mitrae et baculi in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia....470
VIII. Dc ceteris Ministris inferioribus in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia....472
IX. De Cantoribus in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia....475
Summarium ritus consecrationis Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia....475

Caput XIII. *De consecratione Altaris portatilis privatim peragenda . . .* 477
Art. De iis quae praeparanda sunt....477
II. In Functione..... 478

Caput XIV. *De consecratione plurium Altarium portatilium solemniter peragenda in Ecclesia....480*
Art. De iis quae praeparanda sunt....480
ɳ II. De Episcopo plura Altaria portatilia solemniter consecrante in Ecclesia....481
III. Dc quibusdam variationibus circa Assistentes et Ministros inferiores in consecratione plurium Altarium portatilium solemniter peragenda in Ecclesia..... 488

Pag.

Caput XV. *De benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici ab Episcopo solemniter impertienda* 489
Art. I. Dc iis quae praeparanda sunt 489
» 11. Dc Episcopo in solemni benedict ione novae Ecclesiae seu Oratorii publici 490
» 111. Dc duobus Assistentibus Episcopo solemniter benedicenti novam Ecclesiam seu Oratorium publicum 492
IV. Dc Caeremoniario deque Cantoribus in benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici solemniter ab Episcopo impertienda 493
» V. De Ministris inferioribus in benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici solemniter ab Episcopo impertienda . 493

Caput XVI. *De nonnullis instructionibus quae observari possunt antequam Ecclesia ad profanos usus reducatur vel destruatur* . . 497

Caput XVII. *De benedictione solemni Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda* 498
Art. 1. Dc iis quae praeparanda sunt 498
« II. Dc Episcopo Ordinario in solemni benedictione Coemeterii 499
n 111. Dc Diacono et Subdiacono in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda 501
» IV. De Caeremoniario in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda 503
« V. Dc Ministris libri, candelae, mitrae et baculi in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda 507
» VI. De Crucifero deque Ceroferariis in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda 5:0
» VII. De Acolytho deque Thuriferario in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda - - - 511
» VIII. De Cantoribus in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda 511

Caput XVIII. *De Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda* 512
Art. I. De iis quae praeparanda sunt 512
» II. De Episcopo celebrante in Ecclesiae reconciliatione solemniter peragenda 513
» III. De Diacono et Subdiacono in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda 516
» IV. De Caeremoniario deque Cantoribus in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda ... 518
» V. De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda . . . 519
» VI. Dc ceteris Ministris inferioribus in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda 522

Caput XIX. *De Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda* 524
Art. I. De iis quae praeparanda sunt 524
» II. De Episcopo in Coemeterii reconciliatione solemniter celebrante 525
» III. De Diacono et Subdiacono in Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda 526
) IV. De Caeremoniario deque Cantoribus in Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda ... 526
ɳ V. De Ministris inferioribus in Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda . . -'...527

Caput XX. *De Ecclesiae et Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda* 529

Pag.

Caput XXI. *De benedictione Campanae sotemniter ab Episcopoperagenda* 530
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....530
» 11. De Episcopo in solemni benedictione Campanae..... 533
» III. De Diacono et Subdiacono in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda..... 537
» IV. De Caeremoniario deque Cantoribus in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda. 539
» V. De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda - - - - 541
» *VI. De* ceteris Ministris inferioribus in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda.....543

Caput XXII. *De benedictione plurium Campanarum solemniter ab Episcopo peragenda*.....545

Caput XXIII. *De breviori ritu pro benedictione Campanae quae ad usum Ecclesiae non consecratae vel Oratorii inserviat solemniter ab Episcopo peragenda* - - - - - - - - - - - - - - - - - 547
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....547
¡ II. In Functione..... 547

Caput XXIV. *De coronatione Imaginis B. Mariae* V. *solemniter ab Episcopo peragenda*.....550
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....550
» 11. De Episcopo celebrante in coronatione Imaginis B. M. V. solemniter peragenda..... 551
» III. De Presbytero Assistente, de DiaconisAssistentibus, deque Ministris sacris in coronatione Imaginis B. M. V. solemniter ab Episcopo peragenda.....553
» IV. De Caeremoniario primo, de Ministris inferioribus deque Cantoribus in coronatione Imaginis B. M. V. solemniter ab Episcopo peragenda.....555

SECTIO SECUNDA

DE SACRAMENTALIBUS DEQUE NONNULLIS BENEDICTIONIBUS A SACERDOTE PERAGENDIS

Pag.

Caput I. *De benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda solemniter a Sacerdote peragenda*557
Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 557
» II. In Functione.....558

Caput 11. *De benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici solemniter a Sacerdote peragenda* - - - - - - - - - - - - - - - - - 560
Art. 1. De iis quae praeparanda sunt.....560
* II. In Functione..... 561

Caput III. *De consecratione Altarium exeeratorum a Sacerdote peragenda* . 564
Art. I. De consecratione Altaris fixi seu immobilis quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulae seu mensae a stipite.....564
> II. De consecratione Altaris quod amisit consecrationem sive ob enormem fractionem, sive ob SS. Reliquiarum amotionem, sive ob amotionem, vel fractionem, operculi sepulcri 564

Pag.
Caput IV. *De benedictione Coemeterii solemniter a Sacerdote impertienda .* 567
Art. i. De iis quae praeparanda sunt.....567
» II. In Functione.....567

Caput V. *De reconciliatione Ecclesiae tantum benedictae solemniter a Sacerdote peragenda*.....571
Art. I. De iis quae praeparandasunt.....571
» II. In Functione.....572

Caput VI. *De Ecclesiae consecratae reconciliatione solemniter a Sacerdote peragenda*.....574
Art. I. De iis quae praeparandasunt.....574
II. De Sacerdote celebrante in Ecclesiae consecratae reconciliatione solemniter peragenda.....575
III. De duobus Assistentibus Celebranti in reconciliatione Ecclesiae consecratae solemniter peragenda.....577
», IV. De Caeremoniario, de Cantoribus deque Ministris inferioribus in reconciliatione Ecclesiae consecratae solemniter a Sacerdote peragenda.....578

Caput Vil. *De Coemeterii reconciliatione solemniter a Sacerdote peragenda* 579
Art. I. De iis quae praeparanda sunt.....579
» II. In Functione.....579

Caput VIII. *De Ecclesiae et Coemeteriireconciliatione solemniter a Sacerdote peragenda*..... 581

Caput IX. *De benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata solemniter a Sacerdote peragenda* - - - - - - - - - - - - - - - - - 581
Art. 1. De iis quae praeparanda sunt.....581
» II. De Sacerdote celebrante in solemni benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata.....583
» III. De Diacono et Subdiacono in solemni benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata a Sacerdote peragenda - - - - 586
» IV. De Caeremoniario. de Cantoribus, de Ministris Iotionis Campanae deque Ministris inferioribus in solemni benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata a Sacerdote peragenda..... 588

Caput X. *De breviori ritu pro benedictione Campanae quae ad usum Ecclesiae non consecratae vel Oratorii inserviat solemniter a Sacerdote peragenda* - - - - - - - - - - - - - - - - - - - 590
Art. I. De iis quae praeparanda sunt..... 590
» II. In Functione..... 591

Caput XI. *De benedictione Campanae quae ad usum Ecclesiae vel Oratorii non inserviat*.....592

Caput XII. *De coronatione Imaginis B. Mariae V. solemniter a Sacerdote peragenda*.....593
Art. I. De iis quae praeparandasunt.....593
» II. In Functione..... 593

Caput XIII. *De benedictione mulieris post parium*..... 595

Caput XIV. *De benedictione domorum*..... 596

Caput XV. *De nonnullis regulis pro benedictionibus quae relationem cum Missa non habent nec peculiarem ritum habent* - - - - 597

PARS SEPTIMA

DE EXSEQUIIS

Rug.

Caput I. *De quibusdam generalibus animadversionibus* 599

Caput II. *De Exsequiarum ordine*..... 600
Art. I. De associatione cadaverum..... 600
II. De Missa exsequiali deque Absolutione 603

Caput III. *De Exsequiis parvulorum*..... 604

APPENDIX

DE OBITU DEQUE EXSEQUIIS EPISCOPI ORDINARII

Caput *De obitu Episcopi Ordinarii* 607
Art. I. De obitu Episcopi....607.....
II De Vigiliis celebrandis 608.....
III. De Missis celebrandis durante expositione Cadaveris Episcopi ...610.....

Caput II. *De Exsequiis Episcopi Ordinarii in Ecclesia Cathedrali persolvendis* 611
Art. I. De quibusdam generalibus animadversionibus....611.....
II. De iis quae praeparanda sunt....612.....
111. In Functione....613.....

Caput III.' *De Anniversario Episcopi Ordinarii proxime defuncti deque Anniversario omnium Episconorum omniumque Ecclesiae Cathedralis Canonicorum*....619.....

Index alphabeticus....621.....

Decreta S. R. Congregationis in volumine allata 636

Canones Codicis Iuris Canonici in volumine^allati 638

PARS QUINTA

DE SACRAMENTIS

SECTIO PRIMA

DE SACRAMENTIS AB EPISCOPO ADMINISTRANDIS

CAPUT I.

DE SOLEMNI BAPTISMO INFANTIBUS AB EPISCOPO ADMINISTRANDO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2526. — I. - In Sacristia. — Super aliquam mensam praeparantur: duae vimpae pro Ministris mitrae et baculi; superpellicea; vasculum aquae benedictae.

II. - Ad Altare maius. — Altare pallio albi coloris instruitur, cui superimponitur alterum violacei coloris; super eius gradus sternitur tapetum.

Sex candelabra Altari superimponuntur et in medio eorum Crux cum Imagine Crucifixi; inter candelabra statui possunt vel Sanctorum Reliquiae, vel vascula cum floribus (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta, scilicet: pluviale et stola violacei coloris, cingulum, alba, amictus; formale simplex in lance; mitra auriphrygiata, in cornu Evangelii; paramenta cooperiuntur violaceo velo.

III. - Apud Altare. — Baculus pastoralis.

IV. - Super infimum Altaris gradum. — In medio ponitur pulvinus violacei coloris.

1 — Moretti, *De* i. *Functionibus* - IV,

V. - In cornu Epistolae. — Collocatur Faldistorium, parum distans ab infimo Altaris gradu (v. n. 674, V), cum tegumento et pulvinis violacei coloris; congruo in loco aderunt tegumentum et pulvini albi coloris.

VI. - Super abacum. — Urceus, pelvis et duo manutergia in lance; duo candelabra; Pontificale Romanum, vel Rituale Romanum; palmatoria cum candela; pelvicula cum sale benedicendo; schedula in qua scripta sint nomina Baptizandi.

Si Baptismus ad Altare conferatur, tunc addenda sunt ea quae dicemus collocanda super abacum in Fontis Sacello, praeterea: pelvis maior ad recipiendam aquam baptismalem defluentem de capite Baptizati; gremiale lineum.

VII. - Apud abacum. — Crux processionalis.

VIII. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei coloris. Super Altare accenduntur sex cerei.

IX. - Ad ianuam Ecclesiae. — Tapetum.

X. - In Fontis Sacello. — Super abacum praeparantur: pluviale et stola albi coloris; mitra pretiosa; formale pretiosum in lance; vascula s. Chrismatis et Olei Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossypio; vasculum seu cochleare ex argento ad aquam infundendam; candela; vestis candida imponenda Baptizato; manutergium ad caput eiusdem abstergendum; urceus, pelvis et duo manutergia in lance.

XI. - Ante Fontem. — Sternitur tapetum.

Articulus II.

De Episcopo solemne Baptismum infantibus administrante.

2527. — Episcopus, mozzetta indutus, inore solito, ad Ecclesiam accedit; brevi oratione facta in pulvino, super infimum gradum Altaris maioris collocato, accedit ad Faldistorium, ubi dimittit Crucem pectoralem ac mozzettam, lavat manus et assumit paramenta, necnon mitram.

Baculo accepto, procedit ad ianuam Ecclesiae ibique sedet in Faldistorio et dicit: *Nt quid petis ab Ecclesia Dei?* Si plura Baptizando imponuntur nomina, satis est si omnia pronuntientur prima vice, in ipso Baptismi momento et in fine quum Baptizatus dimittitur; aliis vicibus primum tantum nomen pronuntiare sufficit.

Responso: *Fidem,* per Patrinum, vel Matrinam, Episcopus subiungit: *Fides, quid tibi praestat?* Et responso: *Vitam aeternam,* Episcopus ait: *Si igitur... sicut teipsum,* deinde surgit et ter exsufflat leniter in faciem infantis dicens: *Exi ab eo,* etc., postea pollice facit signum Crucis in fronte et in pectore infantis dicens: *Accipe... possis.*

Deinde, dimissa mitra, surgit et dicit: *Oremus. Preces nostras* etc.: qua Oratione absoluta, imponit manum super caput infantis ac postea manum extensam tenens dicit: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Oratione completa, mitram accipit et stans dicit: *Exorcizo te* etc.; prolatis verbis: *ad effugandum inimicum,* mitram dimittit. Responso: *Arnen,* Episcopus sedet, mitram accipit, deinde immittit modicum salis benedicti in os infantis dicens: .V., *accipe sal* etc.; abstergit digitos manutergio et dicit: *Pax tecum,* deinde mitram dimittit, surgit ac dicit: *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc. Oratione absoluta, mitram accipit, adhuc stans dicit: *Exorcizo te* etc.; dicens: *Et hoc signum sanctae Cru cis,* pollice in fronte signat infantem. Prolatis verbis: *Per eumdem Christum Dominum nostrum,* mitram dimittit, mox imponit manum super caput infantis, postea manum extensam tenens dicit: *Oremus. Aeternam ac iuslissimam* etc.; qua Oratione completa, accipit mitram, deinde imponit extremam partem stolae pendentem a suo humero sinistro super infantem, et introducit eum in Ecclesiam dicens: *N., Ingredere* etc.

2528. — Cum Episcopus ingressus fuerit in Ecclesiam, mitram dimittit, baculum accipit et recitans cum Patrino, vel Matrina: *Credo in Deum* etc., *Pater noster* etc., accedit ad Fontis Sacellum, vel ad Altare maius.

Cum pervenerit ad cancellos, antequam ingrediatur, renibus ad Fontem, vel ad Altare, versis, Ministro tradit baculum, mitram accipit et recitat: *Exorcizo te* etc. Exorcismo completo, sedet in Faldistorio, postea pollice accipit de saliva oris sui et tangens aurem dexteram ac sinistram infantis dicit: *Ephpheta, quod est, adaperire,* deinde tangit nares dicens: *In odorem* etc., et pollicem suum manutergio extergit ac postea ibidem sedens cum mitra interrogat Baptizandum: *Abrenuntias Satanae?* etc., deinde intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, infantem ungit in pectore ac inter scapulas in modum Crucis, dicens semel: *Ego te linio* etc. Subinde pollicem abstergit bombaceo, vel re simili. Mitra auriphrygiata dimissa, deponit formale simplex, pluviale et stolam violacei coloris;

accipit stolam ac pluviale albi coloris, formale pretiosum et mitram pariter pretiosam.

2529. — Accepto baculo pastorali, Episcopus surgit, ingreditur Sacellum Fontis, vel Presbyterium, accedit apud Fontem vel suppedaneum Altaris maioris conscendit, sedet in Faldistorio et interrogat, expresso nomine, Baptizandum: *N., credis in Deum* etc. Post interrogationem: *Vis baptizari?* surgit, ad Fontem appropinquat, vasculum seu urceolum aquae baptismalis accipit eamque ter fundit super caput infantis in modum Crucis et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit, omnia nomina pronuntians: *N., ego te baptizo in nomine Pa* ✠ *tris,* fundit primo, *et Fi* ✠ *Hi,* fundit secundo, *et Spiritus* ✠ *Sancti,* fundit tertio.

Deinde Episcopus sedens ac retinens mitram, intingit pollicem in sacro Chrismate dicens: *Deus omnipotens* etc., et ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis proferens verba: *ipse te liniat* ✠ *Chrismate salutis in eodem* etc., atque abstergit pollicem suum.

Dicto: *Pax tibi,* pariter sedens cum mitra, imponit capiti infantis linteolum candidum dicens: *Accipe vestem* etc. Postea, pariter sedens, accipit candelam eamque Patrino porrigit dicens: *Accipe lampadem* etc. Postremo, omnia nomina pronuntians, dicit: *N., vade in pace et Dominus sit tecum.*

Si vero Baptismus ministratur ad Altare, Episcopus post interrogationem: *Vis baptizari?* non surgit.

2530. — Episcopus, lotis et abstersis manibus, surgit, baculum accipit et procedit ad Altare maius, si in Sacello, alias descendit in planum et, reverentia Cruci facta, accedit ad Faldistorium ubi, Ministro baculo tradito, mitram et sacra paramenta dimittit. Reassumptis mozzetta et Cruce pectorali, ab Ecclesia discedit.

Articulus 111.

De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo ministranti solemne Baptismum infantibus.

2531. — Statuta hora, duo Canonici, iam designati, conveniunt in Sacristiam capitularem, ubi indumenta canonicalia assumunt et, ad Caeremoniarii nutum, procedunt ad ianuam Ecclesiae; dignior Episcopo aspersorium porrigit cum osculis (D. 2049 ad 13 et 14; C. 1. C. 397, n. 2) et ad aspersionem ambo consistunt; aspersione

peracta, sequuntur Episcopum, si uti Cruce potest, alias praecedunt cum ad Altare SS. Sacramenti.

Quum ad Altare maius pervenerint, genuflectunt ad Episcopi latera, super infimum Altaris gradum; brevi oratione facta, cum eodem Episcopo ad Faldistorium accedunt.

Assistens primus aufert Episcopo Crucem pectoralem, alter mozzettam tollit, dein dignior biretum cum osculis porrigit et extendit mantile super eius genua ac ministrat mantile. Assistentes cum aliquam rem Episcopo porrigunt, deosculari debent prius rem deinde manum, seu annulum, Episcopi; si vero aliquam rem ab eo accipiunt, prius eius manum, seu annulum, dein rem acceptam deosculari debent.

Dignior a Caeremoniario paramenta accipit eaque, adiuvante secundo Assistente, induit Episcopum. Accepto baculo ab Episcopo, ambo sustinentes pluvialis fimbrias procedunt ad Ecclesiae fores.

Dignior mitram Episcopo imponit:

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.;

si sal benedicendus, post eius benedictionem; alias, completa Oratione: *Deus patrum* etc.;

post Orationem: *Aeternam* etc.;

Alter mitram aufert Episcopo:

ante Orationem: *Preces nostras* etc.;

si sal benedicendus, prolatis Exorcismi verbis: *ad effugandum inimicum;* alias dicto: *Pax tecum;*

ante Orationem: *Aeternam ac iustissimam* etc.;

cum Episcopus Ecclesiam ingressus fuerit,

recitato: *Pater noster* etc.

2532. — Postquam Episcopus unxerit infantem, ambo adiuvant Episcopum in deponendis paramentis violacei coloris et in assumendis stola ac pluviali albi coloris. Postquam Episcopus dixerit: *Vis baptizari?,* Assistens primus a Caeremoniario accipit aquae baptismalis vasculum quod Episcopo porrigit.

Dicto ab Episcopo: *Pax tibi,* dignior porrigit ei linteolum; quo recepto, tradit candelam.

Prolatis ab Episcopo verbis: *N., vade in pace* etc., dignior extendit super eius genua mantile et ministrat manutergium. Abstersis ab Episcopo manibus, ambo sustinentes eius pluvialis fimbrias, si in Sacello, procedunt ad Altare maius et accedunt ad Faldistorium ac Episcopum adiuvant in exuendis paramentis. Accepta ab Episcopo Cruce pectorali, dignior porrigit biretum, deinde ambo accedunt cum eo ante infimum Altaris gradum, ubi genuflectunt; facta brevi oratione, Episcopum ad Ecclesiae ianuam comitantur.

2533. — Si Baptismus ad Altare administratur, assumptis ab Episcopo paramentis albi coloris, ascendunt cum eo suppedaneum, et super genua Episcopi sedentis in Faldistorio extendunt gremiale lineum, quod auferunt post Baptismi administrationem.

Articulus IV.

De Caerenwniario deque Ministris inferioribus in adrninistratione Baptismi solemnis infantibus ab Episcopo peragenda.

2534. — Statuta hora, Clerici decem, iam designati, accedunt ad Sacristiam maiorem, ubi induunt superpellicea. Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum procedendi ad ianuam Ecclesiae dat. Primus Clericus sumit vasculum aquae benedictae et ad Ecclesiae fores sistit ad dexteram Canonici dignioris. Ad aspersionem aquae omnes genuflectunt, ac statim surgunt et ad Altare SS. Sacramenti procedunt sequenti ordine:

1. Familiares Episcopi;
2. Clerici;
3. Canonici;
4. Episcopus.

Si vero Episcopus uti Cruce potest, tunc hic sequetur ordo:

1. Familiares Episcopi;
2. Crucifer, semper Crucem deferens cum Imagine Crucifixi da Episcopum conversa;
3. Episcopus;
4. Canonici;
5. Clerici.

Adoratione SS. Sacramento facta, procedunt omnes ad Altare maius, ubi genuflectunt in plano. Quum Episcopus accedit ad Faldistorium. Clericus sumit ex abaco pelviculam et ad dexteram di-

gnioris Assistentis se confert; Ministri mitrae et baculi se ad Sacristiam maiorem conferunt, ubi vimpam assumunt, deinde revertuntur ad Altare et consistunt ante cius infimum gradum; **sex Clerici** pariter se conferunt ante infimum Altaris gradum pro paramentis (v. n. 635).

2535. — Episcopo parato, **Caeremoniarius** signum procedendi ad ianuam Ecclesiae dat sequenti ordine:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios;
2. Clerici;
3. Episcopus, medius inter Canonicos Assistentes;
4. Ministri libri et candelae;
5. Ministri mitrae et baculi.

Dum proceditur ad ianuam Ecclesiae, **duo Clerici** transferunt Faldistorium ad eamdem ianuam et illud collocant super tapetum. Interim **Sacrista** tollit de Altari pallium violaceum.

2536. — Dispositio ad Ecclesiae fores.

P Inf.

Me. MI

ΑΠ.ΓεΊ ΑΙ.

Mb. Mm.

2537. — Quum Episcopus sedet in Faldistorio, Minister baculi ab eo baculum recipit; Ministri libri et candelae ante Episcopum se conferunt.

Caeremoniarius praemoneat Patrinum, vel Matrinam, circa quae debet facere et dicere singulis vicibus; cum opus sit, porrigat primo Assistenti manutergium.

Minister mitrae semper primo Assistenti mitram porrigit et a secundo eam recipit (v. n. 2531).

Clericus deferens vasculum cum sale, recitata ab Episcopo Oratione: *Omnipotens* etc., se coram eo confert; immisso sale in os infantis, Clericus defert in Sacristiam vasculum.

Quum Episcopus ingressus Ecclesiam fuerit, Minister baculi illum Episcopo porrigit et ab eo recipit extra cancellos Baptisterii, vel Presbyterii, recitato: *Pater noster* etc. Duo Clerici transferunt Faldistorium ad cancellos Baptisterii, vel Presbyterii.

Dum Episcopus interrogat Baptizandum, Clericus sumit ex abaco vasculum Olei Catechumenorum, in pelvicula, et sistit ad dexteram secundi Assistentis. Postquam Episcopus infantem unxerit in pectore et inter scapulas, Caeremoniarius inuncta loca bombaceo, vel re simili, abstergit. Interim Clericus alter sumit ex abaco pluviale et stolam albi coloris. Clericus, postquam super abacum reposuerit vasculum Olei Catechumenorum, accipit formale pretiosum.

Minister mitrae acceptam mitram auriphrygiatam super abacum deponit et sumit mitram pretiosam, quam primo Assistenti porrigit.

Dum Episcopus infantem iterum interrogat, Caeremoniarius vasculo accipit aquam baptismalem quod primo Assistenti porrigit, prolatis verbis: *N., vis baptizari?* «Sed si aqua conglaciata sit, cu-retur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismal! in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo» (Rit. R. Tit. II, cap. I, n. 7). Dum Episcopus infantem baptizat, ex Clericis alter sumit ex abaco vasculum sacri Chrismatis et vestem candidam, alter accendit candelam.

Postquam Episcopus infantem in summitate capitis unxerit, Caeremoniarius bombaceo, vel re simili, inunctum locum abstergit.

2538. — Si Baptismus administratur ad Altare maius, postquam Episcopus induerit paramenta albi coloris, duo Clerici collocant Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris in medio suppedaneo Altaris, dein sumunt ex abaco gremiale lineum ac pelvim maiorem et ad Episcopum se conferunt, tradunt Assistentibus gremiale ac postea super Episcopi genua sustinent pelvim usque ad Baptismi administrationem inclusive, tandem et pelvim et gremiale reponunt super abacum.

2539. — Lotis et abstersis ab Episcopo manibus, omnes, ordine quo venerant, ad Altare maius revertuntur. Quo cum pervenerint,

Crucifer statuit Crucem in basi, **Ceroferarii** vero candelabra super abacum collocant, item **Ministri libri** et **candelae** Pontificale Romanum et palmatoriam super abacum deponunt. **Clericus** sumit ex abaco pelviculam pro Cruce pectorali et cum **aliis Clericis** procedit ad Faldistorium.

CAPUT II.

DE SOLEMNI BAPTISMO ADULTIS AB EPISCOPO ADMINISTRANDO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2540. — Omnia quae diximus in Art. I praecedentis Capitis, sed:

I. - Si color Officii non sit albus, tunc pallio albi coloris supponitur pallium coloris Officii.

II. - Congruo in loco collocatur tegumentum cum pulvinis pro Faldistorio coloris Officio congruentis, nisi eiusdem Officii color sit albus.

III. - Super abacum, si Episcopus Missam celebret, adduntur: Calix, velo et bursa coopertus coloris Officii; ampullae aquae et vini; pelvicula pro pileolo; Missale cum legili; Canon Pontificalis; planeta, stola et manipulus coloris Officii.

Extra Presbyterium paratur genuflexorium distinctum, alba tobalea tectum, pro Baptizato et Patrino.

Articulus II.

De Episcopo administrante adultis Baptismum solemne.

2541. — Episcopus se gerit ut sub n. 2527 diximus, sed, accepto baculo, se confert ad Faldistorium ante Altare collocatum, ubi, tradito Ministro baculo et dimissa mitra, gcnuflectit ac «pias mente ad Deum preces effundit ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare» (Ex Pont, et Rit. Rom.), deinde surgens se signat et dicit: *Deus, in adiutorium* etc., *Gloria Patri* etc.; responso: *in saecula saeculorum. Amen,* incipit Antiphonam: *Effundam* etc.; incepto Psalmo 8: *Domine, Dominus noster* etc., sedet in Faldistorio, mitram accipit, recitat alternatim cum Clero Psalmos. Repetita Antiphona, Epi-

scopus mitram deponit, surgit et stans versus Altare dicit: *Kyrie eleison* etc., Versiculos et Orationes: *Omnipotens* etc., *Adesto* etc.,

pro uno vel una:	pro pluribus:
in singulari numero.	in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae.

2542. — Orationibus completis, sedet in Faldistorio, accipit mitram et baculum, surgit, procedit ad Ecclesiae fores, sedet in Faldistorio; tradito Ministro baculo, interrogat Catechumenum.

Si plura Baptizando imponuntur nomina, Episcopus omnia nomina profert prima vice, in Baptismi collatione et in fine quando Baptizatus dimittitur; aliis vicibus primum tantum nomen pronuntiat.

Post interrogationem: *Credis et in Spiritum Sanctum* etc., surgit cum mitra, exsufflat ter in faciem eius et dicit semel: *Exi ab eo* etc. Deinde in modum Crucis halat in faciem ipsius ac dicit: *N., accipe..... bene* Φ *dictionem,* efficiens, versus eumdem, signum Crucis. Dicto: *Pax tibi,* Episcopus sedet, facit Crucem cum pollice in fronte et in pectore Catechumeni dicens: *N., accipe signum Crucis* etc.

Si Catechumenus venerit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololatris, Episcopus dicit:

Horresce idola, respue simulacra.

Si ex Hebraeis:

Horresce Judaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem.

Si ex Mahumetanis:

Horresce Mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

Si ex Haereticis et in eius Baptismo debita forma servata non sit:

Horresce haereticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum N. exprimens proprio nomine sectam de qua venit.

Prolatis verbis: *Cole Deum... per ignem,* si Catechumeni plures fuerint Episcopus singulos interrogat repetendo: *Quo nomine vocaris?* et, ut supra, cetera perficiendo.

2543. — Absolutis Exorcismis super omnes, Episcopus dimittit mitram, surgit et dicit: *Oremus. Te deprecor* etc.

pro uno vel una: in singulari numero.

pro pluribus: in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae.

Oratione absoluta, sedet, deinde cum pollice signat Electum (singulos Electos) in fronte, in auribus, in oculis, in naribus, in ore, in pectore, in scapulis dicens (singulariter singulis) verba notata in Rituali ac postea in toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis et dicit: *Signo te* etc.

Episcopus, dimissa mitra, surgit et dicit: *Oremus. Preces nostras* etc.

pro uno vel una: in singulari numero,

pro pluribus: in numero pluralj et in genere masculino, nisi omnes sint feminae,

et: *Oremus. Deus, qui humani generis* etc., tunc imponit manum super caput Electi (vel singulorum Electorum) et postea manum extensam tenens dicit: *Oremus. Omnipotens* etc.

pro uno vel una: in singulari numero.

pro pluribus: in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae.

Episcopus mitram accipit et stans dicit: *Exorcizo te* etc.; prolatis verbis: *ad effugandum inimicum,* mitram dimittit.

Si Catechumenus fuerit gentilis, seu ex idololatris venerit ad fidem, benedicto sale, Episcopus addit: *Oremus. Domine sancte* etc.

pro uno vel una: in singulari numero.

pro pluribus: in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae.

2544. — Responso: *Arnen,* Episcopus sedet in Faldistorio, mitram accipit, deinde immittit modicum salis benedicti in os Catechumeni dicens: *N., accipe* etc., abstergit digitos manutergio et

dicit: *Pax tibi,* dein mitram dimittit et stans dicit: *Oremus. Deus patrum* etc.

pro imo: in singulari numero.

pro pluribus: in numero plurali.

Oratione: *Deus patrum* etc. completa, Episcopus sedet, mitram accipit, interim si inter Electos adsint feminae, ipsae in partem recedunt, tunc Episcopus dicit Catechumeno: *Ora, Electe* etc. Dicto a Catechumeno: *Sed libera nos a mato,* Episcopus dicit: *Leva* etc., ac postea dicit Patrino: *Signa eum,* dein dicit Electo: *Accede,* et post Patrinum signum Crucis in fronte illius, pollice dextero, facit dicens: *In nomine Patris* etc.

Si Catechumeni plures sint, Episcopus dicit plurali numero: *Orate* etc.; postea Patrinis: *Signate* etc., deinde ipse eos signat unum post alium.

Episcopus, dimissa mitra, surgit, imponit manum super Catechumenum (vel super singulos Catechumenos, si plures) et postea manum extensam tenens dicit: *Oremus. Deus Abraham* etc.

pro uno: in singulari numero.

pro pluribus: in numero plurali.

Oratione completa, mitram accipit et stans dicit: *Ergo maledicte* etc.

pro uno: in singulari numero,

pro pluribus: in numero plurali,

et cum dicit: *signum sanctae Cru © cis,* signat singulos.

Exorcismo absoluto, Episcopus sedet, iterum Electo dicit: *Ora* etc., ut supra, sed tenens manum extensam dicit: *Oremus. Deus, immortale* etc.

pro uno: in singulari numero.

pro pluribus: Γη numero plurali.

Qua Oratione absoluta, Episcopus mitram accipit et, adhuc stans, dicit: *Audi, maledicte* etc.

pro uno: in singulari numero.

pro pluribus: in numero plurali.

Exorcismo absoluto, Episcopus sedet, mitram accipit et tertium Electo dicit: *Ora* etc., ut supra, sed tenens manum extensam dicit: *Exorcizo te* etc.

pro uno:	pro pluribus:
in singulari numero,	in numero plurali,
et cum dicit: *signum sanctae Cru cis,*	signat singulos.

Responso: *Amen,* si adsint feminae, mares recedunt et Episcopus ritum super feminas repetit mutatis mutandis ut in Pontificali, vel Rituali.

2545. — Postmodum masculi iterum accedunt. Tunc Episcopus dimittit mitram, surgit, imponit manum super Electum (vel super singulos, si plures) et stans dicit: *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram accipit iterumque surgit, sinistra manu apprehendit dexteram Electi, vel porrigit Electo extremam partem stolae ex humero sinistro pendentem, introducit eum (vel eos) in Ecclesiam dicens: *N., ingredere* etc., vel: *N. et N., ingredimini* etc.

Dum Electus post adorationem surgit, Episcopus mitram dimittit ac postea super caput ipsius (vel singulorum, si plures) manum imponit; accepto baculo, cum eo simul recitat: *Credo* etc., *Pater noster* etc., interim accedit ad Faldistorium extra cancellos Baptisterii, vel Presbyterii; ibique baculum Ministro tradit, accipit mitram et, versis renibus ostio cancellorum Baptisterii, vel Altaris maioris, manum super Electi caput (vel singulorum, si plures) imponit ac postea, manum extensam tenens, dicit Exorcismum: *Nec te latet* etc.

pro uno:	pro pluribus:
in singulari numero.	in numero plurali.

Quo completo, pollice accipit de saliva oris sui et tangit aures et nares Electi (vel singulorum, si plures); tangendo vero aurem dexteram et sinistram dicit: *Ephpheta* etc., deinde tangendo nares dicit: *In odorem* etc., ac postea sedet, interrogat Electum (vel singulos, si plures): *Quis vocaris?* Responso tertio: *Abrenuntio,* Episcopus intingit pollicem dexterae manus in Oleo sancto Catechumenorum et inungit Electum (vel singulos, si plures) primum in pectore, deinde inter scapulas in modum Crucis, dicens (singulariter singulis, si

plures): *Ego te linio* etc., mox bombacio tergit pollicem et subiungit dicens (singulis, si plures): *Exi, immunde* etc.

Quibus prolatis verbis, Episcopus deponit mitram, pluviale et stolam violacei coloris, deinde accipit stolam et pluviale albi coloris, formale pretiosum ac mitram pretiosam; tunc ingreditur in Baptisterium, vel Presbyterium, suppedaneum conscendit, sedet in Faldistorio et interrogat Electum (singulos, si plures): *Quis vocaris?* etc.

Interrogationibus completis, Episcopus surgit, accedit ad Fontem et, accepto vasculo cum aqua baptismali, sub trina supra caput in modum Crucis infusione baptizat Electum; proferens omnia nomina sic dicit: *N., ego te baptizo* etc.

Si plures Electi, singillatim singulos Episcopus interrogat et baptizat, ut supra.

Episcopus postquam Baptismum administraverit, si in Baptisterio, accedit ad Faldistorium et in eo sedet ac postea intingit pollicem dexterum in sacro Chrismate dicens: *Deus omnipotens* etc., et perungit verticem Electi (vel singulorum, si plures) in modum Crucis ad verba: *ipse te liniat* etc. Tunc bombacio Episcopus tergit pollicem et imponit capiti Electi chrismale seu candidum linteolum et dat illi vestem candidam dicens (singulis, si plures): *Accipe vestem* etc.

Postquam Electus vestem candidam induerit, Episcopus candelam accensam in manu dextera ei dat dicens (singulis, si plures): *Accipe lampadem* etc.; tandem Episcopus proferens omnia nomina Baptizato imposita, dicit: N., *vade in pace* etc., vel si plures: *N. et N., ite in pace* etc.

Si Episcopus sit in Fontis Sacello, procedit ad Altare maius ubi administrat Sacramentum Confirmationis, ritu descripto in sequenti Capite.

2546. — Monitione facta, Episcopus pergit ad Faldistorium collocatum ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae, baculum Ministro tradit, sedet et legit Psalmos Missae praeparationis; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus, recitat: *Kyrie eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit et, si color Missae albus non sit, dimittit etiam stolam, ac postea sumit stolam et planetam, procedit ad Altare, absque mitra iunctisque manibus, et Missam incipit ut sub n. 1076 notavimus.

Articulus III.

De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo administranti solemne Baptismum adultis.

2547. — Duo Canonici se gerunt ut sub n. 2531, sed. accepto ab Episcopo baculo, accedunt cum eodem Episcopo ad Faldistorium, ante Altare collocatum, ibique secundus Assistens mitram ei aufert, deinde ambo genuflectunt ad latera Faldistorii. Surgente Episcopo et ipsi surgunt, Episcopo sedenti dignior mitram imponit et ambo recitant alternatim cum eo sequentes Psalmos: 8: *Domine, Dominus noster* etc.; 28: *Afferte Domino* etc.; 41: *Quemadmodum* etc. Repetita Antiphona: *Effundam* etc., secundus Assistens Episcopo aufert mitram, quam alter imponit post Orationem: *Da, quaesumus* etc., deinde ambo procedunt cum Episcopo ad Ecclesiae fores sustinentes pluvialis eius fimbrias.

Dignior mitram Episcopo imponit:

postquam Episcopus signaverit Catechumenum;

completa Oratione: *Deus, qui humani* etc.;

si sal benedicendus, post eius benedictionem, vel post Orationem: *Domine sancte* etc., si Catechumenus fuerit Gentilis; vel absoluta Oratione: *Deus patrum* etc.;

post Orationem: *Deus Abraham* etc.;

Alter mitram aufert:

ante Orationem: *Te deprecor* etc.; dicto ab Episcopo: *Signo te totum* etc., postquam Catechumenum signaverit;

si sal benedicendus, prolatis Exorcismi verbis: *ad effugandum inimicum;* vel dicto: *Pax libi;*

ante Orationem: *Deus Abraham* etc.;

completa Oratione: *Deus, immortale* etc.;

ante Orationem: *Deus, immortale* etc.;

si adsint feminae, post Orationem: *Deus coeli* etc.;

ante Orationem: *Deus Abraham* etc.;

completa Oratione: *Deus Abraham* etc.;

---

completa Oratione: *Aeternam ac iustissimam* etc.;

ante Orationem: *Aeternam ac iustissimam* etc.;

si adsint feminae, ante Orationem: *Deus coeli* etc.;

ante Orationem: *Deus Abraham* etc.;

ante Orationem: *Aeternam ac iustissimam* etc.;

antequam Episcopus recitet: *Credo* etc.; et: *Paler noster* etc. recitato: *Pater noster* etc.

2548. — Prolatis ab Episcopo verbis: *Exi, immunde spiritus... Paraclito,* ambo adiuvant Episcopum in deponendis paramentis violaceis et in assumendis paramentis albi coloris. Postquam Episcopus dixerit: *Vis baptizari?,* Assistens primus a Caeremoniario accipit aquae baptismalis vasculum, quod Episcopo porrigit. Dicto ab Episcopo: *Pax tecurn,* dignior tradit Episcopo linteolum et vestem candidam; recepto linteolo, ei tradit candelam accensam. Prolatis ab eodem Episcopo verbis: *N., vade in pace* etc., ambo se gerunt ut in Articulo III praecedentis Capitis, sed cum ad Altare maius pervenerint, assistunt Episcopo ministranti Sacramentum Confirmationis (v. n. 2553, II).

Assistentes si Baptismus ad Altare administratur, sumptis ab Episcopo paramentis albi coloris, ascendunt cum eo suppedaneum et super genua eiusdem Episcopi sedentis in Faldistorio extendunt gremiale lineum, quod auferunt post Baptismi administrationem.

2549. — Si Episcopus Missam celebret, Assistentes, cum ad Faldistorium pervenerint, consistunt ad Episcopi latera eique respondent, scilicet alternatim cum eo recitant Psalmos et Ver-

siculos in Missae praeparatione. Ad manuum lotionem, Assistens primus mantile ministrat; lotis et abstersis ab Episcopo manibus, Assistens secundus aufert ei mitram, dein ambo illum exuunt pluviali et etiam stola, nisi Missae color sit albus, ac postea stolam, si dimiserit, ac planctam ei induunt. Ad Caeremoniarii nutum, procedunt ad Altare et se gerunt in Missae assistentia ut sub n. 1077 notavimus.

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in administratione Baptismi solemnis adultis ab Episcopo peragenda.

2550. — Omnes se gerunt ut sub n. 2534 sed, Episcopo parato, Ministri libri et candelae accedunt ad Faldistorium, ante Altare collocatum.

Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, Minister baculi accipit ab eo baculum et Minister mitrae a secundo Assistente mitram, quam digniori Assistenti porrigit, recitata ab Episcopo Oratione: *Da, quaesumus* etc., et Minister baculi porrigit baculum. Omnes procedunt ad Ecclesiae fores ordine sub n. 2534 descripto.

Quum Episcopus sedet in Faldistorio, Minister baculi ab eo baculum recipit ac Ministri libri et candelae ante Episcopum se conferunt.

Minister mitrae semper Assistenti primo mitram porrigit et a secundo recipit; perlegat hic Minister Articulum praecedentem.

Caeremoniarius praemoneat et Catechumenum et Patrinum circa ea quae debent facere et dicere singulis vicibus.

Curet Caeremoniarius, si inter Electos adsint feminae, ut ipsae, post Orationem: *Deus patrum* etc., recedant in partem quoadusque dictus fuerit Exorcismus pro masculis, scilicet: *Ergo, maledicte... per ignem,* ante Orationem: *Aeternam ac iustissimam* etc.

Recitata ab Episcopo Oratione: *Omnipotens sempiterne* etc., Clericus deferens vasculum salis accedit ad Episcopum; immisso sale in os Catechumeni, Clericus in Sacristiam defert vasculum.

Quum Episcopus Ecclesiam ingressus fuerit, Minister baculi porrigit ei baculum, interea duo Clerici transferunt Faldistorium et collocant illud extra Baptisterii vel Presbyterii cancellos.

Quum Episcopus sedet in Faldistorio, Minister baculi ab eo recipit baculum. Completo Exorcismo: *Nec te latet* etc., dum Episcopus Catechumenum interrogat, Clericus sumit ex abaco vasculum Olei

Catechumenorum et omnes se gerunt ut in Art. IV Capitis praecedentis.

Quum omnes ad Altare reversi fuerint, se gerunt ut in sequenti Capite pro administratione Sacramenti Confirmationis; deinde ut sub n. 1078 pro Missae celebratione, sed Episcopus legit Psalmos et Preces praeparationis sedens in Faldistorio, collocato ante infimum Altaris gradum in cornu Epistolae.

2551. — Si Baptismus administratur ad Altare maius, postquam Episcopus induerit paramenta albi coloris, **duo Clerici** collocant Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris in medio suppedaneo Altaris, dein sumunt ex abaco gremiale lineum, pelvim maiorem et ad Episcopum accedunt; tradunt Assistentibus gremiale ac postea super Episcopi genua sustinent pelvim usque ad Baptismi administrationem inclusive, tandem et pelvim et gremiale super abacum reponunt.

CAPUT III.

DE RITU SOLEMNI PONTIFICALI PRO CONFIRMATIONIS SACRAMENTO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2552. — I. - In Sacristia capitulari. — Insignia choralia pro duobus Canonicis Episcopo Assistentibus.

II. - In Sacristia maiori. — Praeparantur: superpellicea pro Clericis; vimpae pro Ministris mitrae et baculi; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

III. - Ad Altare maius. — Altare pallio albi coloris instruitur; super eius gradus tapetum sternitur.

Sex candelabra Altari superimponuntur et in medio eorum Crux cum Imagine Crucifixi collocatur; inter candelabra statui possunt Reliquiae, vel Sanctorum Imagines, vel vascula cum floribus (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur paramenta episcopalia, scilicet: pluviale et stola albi coloris atque amictus; formale in lance, si Ordinarius; in latere Evangelii, mitra pretiosa.

Prope Altare: baculus pastoralis.

Super infimum gradum ponitur in medio pulvinus albi coloris.

IV. - In cornu Epistolae. — Collocatur Faldistorium parum distans ab infimo gradu (v. n. 674, V) cum tegumento et pulvinis albi coloris.

V. - Super abacum. — Ponitur urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; medulla panis et mali medici, pariter in lance; aliquantulum gossypii soluti; Pontificale Romanum (Pars I); scotula cum candela; vasculum s. Chrismatis in lance.

VI. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei vel viridis coloris, pro diversitate temporis; si vero Episcopus sit Cardinalis, loco viridis coloris strata et pulvini sint rubei coloris.

Articulus II.

In Functione.

2553. — I. - De Episcopo. — Episcopus, more solito, accedit ad Ecclesiam (v. n. 2527); brevi oratione facta in pulvino, super infimum gradum Altaris collocato, accedit ad Faldistorium; ibique Crucem pectoralem et mozzettam dimittit; tecto capite, lavat manus, ac postea, adiuvantibus Assistentibus, sumit amictum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius. Acceptis mitra et baculo, surgit; medius inter Assistentes accedit ante infimum Altaris gradum, ubi, reverentia facta, ascendit ad Altare et in Faldistorio sedet; ibi, retinens mitram et baculum, habet sermonem ut notatur in Pontificali Romano; quo absoluto, baculum ac mitram dimittit, surgit et, iunctis ante pectus manibus, dicit: *Spiritus Sanctus* etc., postea, signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis, dicit, vel canit: *Adiutorium nostrum* etc., deinde, expansis inanibus, versus Confirmandos dicit, vel canit, tono feriali, Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.; qua completa, sedet, mitram et baculum accipit, intingit pollicem dexterae manus in sacro Chrismate et, manu dextera imposita super caput Confirmandi, producit signum Crucis in eius frontem dicens: *℣.*, *signo te signo Cm © cis* etc.; dum dicit: *In nomine Patris* etc., triplex signum Crucis facit, deinde leviter in maxilla sinistra percutit dicens: *Pax tecum.*

Episcopus Confirmationem confert singulis Confirmandis genuflexis, qui successive accedunt ad Altare. Si numerus Confirman-

dorum magnus sit, Episcopus, accepto baculo, de Altari descendit et Confirmationem administrat successive singulis, suis locis.

Omnibus S. Confirmatione administrata, Episcopus redit ad Altare et in Faldistorio sedet; dimisso baculo pastorali, manus lavat; quibus abstersis, mitram deponit, surgit et ad Altare conversus, tono feriali, canit Versiculos et Orationem: *Deus, qui Apostolis* etc., ut in Pontificali; qua completa, subiungit: *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum,* tum conversus ad Confirmatos accipit baculum pastoralem et benedicit eos dicens: *Bene* ✠ *dicat vos Dominus etc.*

Episcopus, expedita Confirmatione, sedet, mitram accipit, admonet Patrinos et Matrinas, ut in Pontificali, dein cum ipsis recitat: *Credo in Deum* etc., *Pater noster* etc., *Ave Maria* etc. (D. 3582 ad 3). Tandem surgit, descendit in planum et accedit ad Faldistorium, ubi paramenta dimittit; reassumpta Cruce pectorali, aliquantulum in pulvino, super infimum Altaris gradum collocato, orat, dein de Ecclesia discedit.

Si Missam celebret, Episcopus se gerit ut sub n. 2546 diximus.

II. - De duobus Canonicis Episcopo Assistentibus. — Statuta hora, duo Canonici, iam designati, accedunt ad Sacristiam capitularem et se gerunt ut sub n. 2531. Episcopo parato, accedunt cum eo ante infimum Altaris gradum; reverentia Cruci peracta, suppedaneum conscendunt et ad Episcopi latera consistunt.

Admonitione ab Episcopo facta, Assistens secundus mitram ei aufert, ac postea ambo sustinent pluvialis eius fimbrias. Oratione completa, dignior Episcopo sedenti mitram imponit. Omnibus sacramento Confirmationis administrato, dignior extendit super genua Episcopi mantile et ministrat ei manutergium pro manuum abstersione.

Repetita Antiphona: *Confirma* etc., Assistens secundus mitram Episcopo aufert et ambo sustinent eius pluvialis fimbrias. Prolatis verbis: *Benedicat vos Dominus* etc., dignior Episcopo sedenti mitram imponit.

Recitatis: *Credo* etc., *Pater* etc., *Ave etc.,* Assistentes cum Episcopo descendunt, ad Faldistorium accedunt et se gerunt ut sub n. 2532 diximus; si vero Episcopus Missam celebret se gerunt ut sub n. 2549.

111. - De Caeremoniario. — Caeremoniarius, Clericis adjuvantibus, disponat Confirmandos in duas alas, extra cancellos Presbyterii, mares ad dexteram, feminas ad sinistram.

Si exiguus eorum numerus sit, tunc singuli accedere possunt ad Faldistorium et ibi genuflexi confirmari; alias consistant suis in locis.

Antequam inchoatur Functio necesse est ut claudantur omnes Ecclesiae fores, quae aperientur, expedita Confirmatione.

Caeremoniarius moneat Patrinos ut, dum Episcopus confirmat singulos Confirmandos, ipsi manum dexteram ponant super humerum dcxterum Confirmandi, moneat quoque Confirmandos us schedulam apertam in manu teneant.

Hora praestituta et omnibus rite dispositis, Caeremoniariut invitat Canonicos et Clericos ad associandum Episcopum et se gerit more solito.

IV. - De Ministris inferioribus. — Omnes se gerunt ut sub n. 2534; Episcopo parato, duo Clerici transferunt Faldistorium in medium suppedaneum.

Monitione ab Episcopo facta, Minister baculi ab eo baculum recipit et Minister mitrae a secundo Assistente mitram accipit, deinde Ministri libri et candelae accedunt ad Episcopum et ab eo recedunt, Oratione absoluta; tunc Minister mitrae primo Assistenti mitram tradit et Minister baculi Episcopo baculum porrigit.

Ex Clericis alter sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis et se ad dexteram Episcopi confert; alter consistit ad Episcopi sinistram et recipit schedulam a singulis Confirmandis ac intelligibili voce nomen cuiuscumque nuntiat. In plano sistit Clericus qui singulis Confirmatis frontem gossypio abstergit.

Si Episcopus Confirmationem singulis, suis in locis, conferat, tunc praecedit Clericus schedulam recepturus, dein Episcopus medius inter Assistentes; vasculum s. Chrismatis defertur a Clerico stante ad dexteram Episcopi, sed aliquantulum retro, vel a primo Assistente; ad sinistram secundi Assistentis, incedit Clericus qui singulis Confirmatis frontem gossypio abstergit.

Omnibus Confirmatione administrata, Minister baculi ab Episcopo baculum recipit, et, postquam Episcopus laverit manus easquc absterserit, Ministri libri et candelae ad eum accedunt; Minister mitrae a secundo Assistente mitram accipit.

Prolatis verbis: *Benedicat vos Dominus* etc., Ministri libri et candelae recedunt; super abacum deponunt Pontificale et scotulam; Minister mitrae primo Assistenti mitram tradit.

Recitatis: *Credo, Pater noster et Ave Maria,* si Episcopus Missam celebret omnes se gerunt ut sub n. 1078 diximus, sed

Episcopus legit Psalmos et Preces praeparationis sedens in Faldistorio, collocato ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae.

2554. — Sacramentum Confirmationis iuxta Rubricam Pontificalis Romani (Tit. « De Confirmandis ») ex causa ad arbitrium Episcopi potest conferri minus solemniter; tunc Episcopus induit stolam super rocchettum et uti potest mitra dum sacro Chrismate ungit in fronte Confirmandos.

CAPUT IV.

DE SACRA ORDINATIONE GENERALI AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI SOLEMNITER HABENDA IN SABBATIS QUATUOR TEMPORUM ET IN SABBATO ANTE DOMINICAM DE PASSIONE

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit violaceus, sed in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes erit ruber).

2555. — I. - In Sacristia maiori. — Praeparantur quatuor pluvialia et duae vimpae pro Ministris mitrae, baculi, libri et candelae.

Super aliam mensam: vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula; funalia pro elevatione.

Praeparantur etiam mensae super quas disponuntur paramenta pro Ordinandis, scilicet:

ad ordinem Presbyteratus: planetae, a parte posteriori super humeros complicatae ita tamen ut facile solvi possint, stolae, manipuli, cingula, albae, amictus, missalia, albus panniculus lineus;

ad Diaconatum: dalmaticae, manipuli, stolae, cingula, albae, amictus;

ad Subdiaconatum: tunicellae, manipuli, cingula, albae, amictus;

ad Minores ordines et ad primam tonsuram: superpellicea;

pro omnibus: candelae.

Color paramentorum pro Ordinandis in sacris esse debet coloris paramentorum ipsius Episcopi celebrantis, nisi aliud postulet necessitas (D. 3832 ad 6).

II. - In Sacristia capitulari. — Disponuntur paramenta pro Canonicis, scilicet: si praebendae sint distinctae: pluvialia pro Dignitatibus, planctae pro Canonicis Presbyteris, planetae plicatae pro Canonicis Diaconis et Subdiaconis; pro omnibus: amictus. Si color paramentorum erit ruber, tunc pro Canonicis Diaconis dalmaticae, pro Canonicis Subdiaconis tunicellae.

Si praebendae non sint distinctae, tunc parantur pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro ceteris Canonicis; pro omnibus: amictus.

Super aliam mensam: pro Diacono Missae: stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: cingulum, alba, amictus.

Si vero color paramentorum erit ruber, tunc praeparantur etiam dalmatica et tunicella.

III. - Ad Altare maius. — Altare pallio instruitur et super eius gradus tapetum sternitur; sternitur quoque amplum tapetum super totum Presbyterii pavimentum. ,

Altari superimponuntur septem 'candelabra et ante altius collocatur Crux; Sabbato Q. T. Pentecostes inter candelabra collocari possunt vascula cum floribus, vel Reliquiae, aut Imagines Sanctorum.

Super Altaris mensam disponuntur episcopalia paramenta, scilicet: plancta, dalmajtica, tunicella, stola, cingulum, alba, amictus; cliirothccae instance; £. Pallium, si Episcopus eo uti possit; in latere Evangelii, mitra auriphrygiata; in Sabbato Q. T. Pentecostes mitra pretiosa in latere Evangelii, mitra auriphrygiata in latere Epistolae. Paramenta conteguntur velo coloris eorumdem paramentorum.

IV. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Baculus pastoralis.

V. - Ante Altare. — Faldistorium cum tegumento et pulvinis.

VI. - In cornu Evangelii. — Tlironus (v. n. 398).

VII. - In cornu Epistolae. — Scamna pro Ministris sacris.

VIII. - Super abacum. — Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis, scilicet: purificatorio, patena, palla, velo, bursa cum corporali;(super Patenam ponuntur duae hostiae;' Pyxis cum particulis in numero respondenti Ordinandis; ampullae vini et aquae; Missale cum legile; Evangeliarium cum manipulo Episcopi, Epistolarium, Canon Pontificalis, Pontificale Romanum; caligae cum sandaliis in lance, velo coloris paramentorum coopertae; palmatoria cum candela; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; lanx pro Cruce pectorali; gremiale coloris paramentorum; gremiale lineum cum teniis; Formula Indulgentiae; manipuli pro Ministris sacris, planetae plicatae ac stola latior, si paramenta erunt violacea;

velum humerale; Breviarium; duo candelabra cum cereis albis; Calix cum vino et aliquot aquae guttis, super Calicem ponitur Patena cum hostia; Missale; Calix vacuus cum Patena; ampullae aquae et vini in pelvicula et mappula posita in eadem pelvicula; parvum candelabrum cum candela extincta; ampulla· vacua; claves in lance; forfices in lance; tobalea sustinenda ante Communicandos; campanula; Calices cum purificatoriis; vasa vitrea cum vino et aqua; patera pro praegustatione.

In Presbyterio statuuntur scamna panno cooperta pro Ordinandis; praesto adsint scabella pro neo-presbyteris Missam cum Episcopo concelebraturis.

IX. - In Sacristia Altari maiori contigua vel, si possibile est, super abacum a tergo eiusdem Altaris, praeparantur: pluviale pro Presbytero Assistente; planetae plicatae, vel dalmaticae, si color paramentorum erit ruber, pro Diaconis Assistentibus.

Super alias mensas praeparantur urcei cum pelvibus et manutergiis et aliquantula medulla panis ac mali medici in numero sufficienti pro novis Presbyteris.

X. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei coloris; in Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes color strati erit viridis, vel ruber, si Episcopus sit Cardinalis.

Sex cerei accenduntur super Altare.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario in s. Ordinatione generali solemniter habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2556. — Episcopus, more solito, procedit ad Ecclesiam Cathedralem et se gerit ut in aliis Missis pontificalibus, sed loco Horae Tertiae canitur Hora Nona, et durante eius cantu accipit tantum caligas et sandalia.

Si Officium sit de Sabbato, dum canitur Versiculus post Responsorium, Episcopus de Throno descendit, procedit ad Faldistorium in quo genuflectit. Decantato: *Domine, exaudi orationem meam,* surgit et cantat: *Dominus vobiscum* et Orationem; qua absoluta, dicit: *Dominus vobiscum,* iterumque genuflectit. Post: *Benedicamus Domino,* surgit, ad Thronum revertitur, ubi, Cruce pectorali nec non cappa dimissis, lavat manus, paramenta missalia assumit et

se gerit, more solito, usque ad: *Kyrie* etc., inclusive, in Sabbato vero ante Dominicam Passionis usque ad Introitum, pariter inclusive.

Missa semper dicitur de Sabbato; circa Commemorationes consule n. 5 Tit. I Addit et Variat, in Rubr. Missalis.

2557. — De promotione ad primam tonsuram. — Dum a Choro canitur ultimum *Kyrie* etc. (in Sabbato ante Dominicam Passionis, circa finem cantus Introitus), Episcopus procedit ad Altare et sedet in Faldistorio, in suppedaneo collocato.

2558. — Genuflexis ante Altare promovendis ad primam clericalem tonsuram, Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Sit nomen Domini* etc., *Oremus, fratres carissimi* etc., qua invitatione absoluta, sedet. Si tam facile non sit tondere capillos cum chirothecis, Episcopus potest eas dimittere, dein reassumit annulum.

Incepto Psalmo, Episcopus cum forficibus tondit unicuique capillos in quinque locis, scilicet: in fronte, in occipitio, in auribus, in medio capitis: capillos tonsos in lance deponit; dum capillos condit, iuxta morem, dicit: *Dominus pars* etc. (D. 2682 ad 3).

Omnibus tonsis, Episcopus si chirothecas dimiserit, lavat manus, dein reassumit chirothecas et annulum, ac postea, mitra dimissa, surgit et dicit: *Oremus. Praesta, quaesumus* etc.; qua Oratione completa, sedet et mitram accipit.

2559. — Repetita Antiphona: *Hi accipient* etc., post Psalmum 23: *Domini est terra* etc., mitram dimittit, surgit, ad Altare se convertit et cantat: *Oremus;* tum, pronuntiato a Diacono : *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* se ad Tonsuratos vertit et, extensis manibus, cantat: *Adesto, Domine* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram accipit, deinde superpelliceum accipit et singulis Tonsuratis imponit dicens: *Induat te Dominus* etc.

Verba: *Flectamus genua,* pronuntianda sunt ante singulas Orationes supra Ordinatos, etiam in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, aliisque diebus Dominicis aut festis de praecepto (D. 4164).

2560. — Omnibus Tonsuratis superpelliceo indutis, Episcopus mitram dimittit, surgit et cantat: *Oremus. Omnipotens* etc.; qua completa Oratione, sedet, mitram accipit, admonet Tonsuratos verbis: *Filii carissimi* etc., ut in Pontificali.

Profectis Tonsuratis, Episcopus baculum accipit, surgit et ad Thronum accedit, sedet, baculum dimittit ac mitram, surgit et cantat: *Oremus,* tum pronuntiato a Diacono primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo Diacono: *Levate,* cantat

Orationem primam, quam, in Quatuor Temporibus Pentecostes, addit immediate post: *Oremus.*

In Sabbato ante Dominicam de Passione quum Episcopus ad Thronum pervenerit, dimissa mitra, recitat cum Assistentibus: *Kyrie, eleison* etc.

Oratione absoluta, Episcopus sedet, mitram et gremiale accipit ac primam Lectionem legit.

2561. — De Ordinatione ad Officium Ostiariorum. — Postquam Cantor eamdem Lectionem legerit, Episcopus praebet ei manum deosculandam, dein baculum accipit, ad Altare revertitur, sedet in Faldistorio et dimittit baculum.

In Sabbato ante Dominicam de Passione Episcopus procedit ad Altare dum canitur ultimum *Kyrie* etc.

Omnibus Ordinandis ad Officium Ostiariorum genuflexis, Episcopus eos admonet verbis Pontificalis: *Suscepturi* etc., quibus prolatis verbis, porrigit illis claves, saltem duas (D. 4035 ad 5), quas tenet ad extremitates cum ambabus manibus recitans formulam: *Sic agite* etc.

Postquam Ordinati reversi fuerint ad Altare et genuflexerint in plano, Episcopus surgit et versus eosdem dicit: *Deum Patrem omnipotentem* etc.; qua invitatione absoluta, sedet, mitram dimittit, iterum surgit, ad Altare se convertit et se ut in praecedenti numero gerens dicit: *Oremus;* post: *Levate,* cantat: *Domine sancte* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit, surgit et ad Thronum procedit.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, accepta mitra, remanet ad Altare et ordinationem prosequitur ut infra.

2562.— Quum Episcopus ad Thronum pervenerit, sedet, baculum dimittit, gremiale accipit, legit ex Missali Graduale; completo eiusdem cantu, gremiale et mitram dimittit, surgit et cantat: *Oremus;* tum, pronuntiato a Diacono primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo Diacono: *Levate,* cantat Orationem secundam, quam in Quatuor Temporibus Pentecostes addit immediate post: *Oremus.*

Oratione absoluta, Episcopus sedet, mitram et gremiale accipit ac secundam Lectionem legit. Deosculata a Cantore manu, Episcopus ad Altare revertitur, sedet in Faldistorio et baculum dimittit.

2563. — De Ordinatione ad Officium Lectorum. — Ordinandos ad Officium Lectorum genuflexos Episcopus admonet dicens: *Electi, filii carissimi* etc.; quibus prolatis verbis, tradit Missale, quod tenet supra genua clausum cum apertura Ordinandis versa, omnibus proferens formulam: *Accipite et estote* etc.

Omnibus Ordinatis ante Altare genuflexis, Episcopus surgit cum mitra et cantat: *Oremus, fratres carissimi* etc.; invitatione absoluta, se gerit ut supra.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, Episcopus, accepta mitra, remanet ad Altare et ordinationem prosequitur ut infra.

Quum Episcopus ad Thronum pervenerit, se gerit ut sub n. **2559**; deosculata manu a Cantore tertiae Lectionis, ad Altare revertitur, ut supra.

2564. — De Ordinatione ad Officium Exorcistarum. — Omnes Ordinandos ad Officium Exorcistarum genuflexos Episcopus admonet dicens: *Ordinandi, filii carissimi* etc.; quibus prolatis verbis, tradit eis Missale, quod ut supra tenet, proferens formulam: *Accipite et commendate* etc.

Omnibus Ordinatis ante Altare genuflexis, Episcopus surgit cum mitra et cantat: *Deum Patrem* etc.; qua invitatione absoluta, se ut supra gerit.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, Episcopus, accepta mitra, remanet ad Altare et ordinationem prosequitur ut infra.

Quum Episcopus ad Thronum pervenerit, se gerit ut sub n. **2559**; deosculata manu a Cantore quartae Lectionis, Episcopus revertitur ad Altare, ut supra.

2565. — De Ordinatione ad Officium Acolythorum. — Omnes Ordinandos ad Officium Acolythorum genuflexos Episcopus admonet dicens: *Suscepturi, filii carissimi* etc.; quibus prolatis verbis, porrigit eis parvum candelabrum cum candela, non vero bugiam, seu palmatoriam (D. 2194 ad 4), proferens formulam: *Accipite ceroferarium* etc. Tactis ab omnibus candelabro et cereo, tradit eis urceolum proferens formulam: *Accipite urceolum* etc.

Omnibus Ordinatis ante Altare genuflexis, Episcopus surgit cum mitra et cantat: *Deum Patrem* etc.; invitatione absoluta, se ut supra gerit, sed post Orationem: *Domine sancte* etc., duas addit Orationes.

Quum ad Thronum pervenerit, se gerit ut sub n. 2559.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes genuflectit ad ÿ. *Veni, sancte* etc.

In Sabbato ante Dominicam de Passione Episcopus cantat: *Dominus vobiscum* et Orationem Missae, scilicet: *Fiat, Domine* etc., ac Collectam pro Ordinandis, nempe: *Exaudi, quaesumus* etc., sub unica conclusione cum Oratione Missae, deinde reliquas Orationes iuxta Rubricas.

Deosculata manu a Cantore quintae Lectionis, Episcopus ut alias procedit ad Altare.

In Sabbato ante Dominicam de Passione procedit ad Altare post Orationes.

2566. — De Ordinatione Subdiaconorum. — Omnes Ordinandos ad Subdiaconatum stantes ante Altare Episcopus admonet verbis Pontificalis Romani: *Filii dilectissimi, ad sacrum* etc.

Admonitio haec, si omnes Ordinandi sint Religiosi professi votorum sive solemnium, sive simplicium perpetuorum, omittitur.

Quando etiam qui Ordinandi Diaconi et Presbyteri genuflexi sunt, Episcopus surgit et conversus ad Altare genuflectit in pulvino, collocato ante Faldistorium.

2567. — Cantato a Cantoribus Versiculo Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, baculum accipit, ad Ordinandos se convertit et cantat: *Ut hos electos* etc., tribus vicibus, eosque benedicit ut in Pontificali, dein baculum dimittit, iterumque genuflectit.

2568. — Litaniis absolutis, Episcopus surgit, sedet in Faldistorio et, postquam recesserint qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri, admonet Subdiaconos verbis: *Adepturi* etc.

Admonitione completa, Episcopus omnibus tradit Calicem dicens: *Videte cuius ministerium* etc.

Ordinandis omnibus genuflexis in plano, Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus Deum ac Dominum* etc.; invitatione absoluta, sedet, mitram dimittit, iterum surgit, ad Altare se convertit et cantat: *Dominus vobiscum,* tum dicto a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* extensis manibus cantat Orationem: *Domine sancte* etc.; qua absoluta, sedet, accipit amictum, qui circa Ordinandi humeros iacet, et ipsius capiti imponit dicens: *Accipe amictum* etc.; dein manipulum accipit eiusque sinistro brachio inducit dicens: *Accipe manipulum* etc.; ac postea tunicellam accipit eamque induit Ordinando dicens: *Tunica iucunditatis* etc.

Omnibus Ordinandis indutis, Missale, quod tenet supra genua clausum cum apertura Ordinandis versa, tradit dicens: *Accipite librum Epistolarum* etc. Ordinatis reversis ad sua loca, Episcopus surgit, baculum accipit et ad Thronum revertitur, sedet, baculum Ministro tradit et legit Canticum: *Benedictus es, Domine* etc.

In Sabbato ante Dominicam de Passione legit Epistolam.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, Episcopus, dimissa mitra, surgit et cantat: *Gloria in excelsis* etc., ut in aliis Missis pontificalibus (v. n. 860), nec non: *Pax vobis.*

Decantato a Cantoribus Cantico: *Benedictus es* etc., Episcopus mitram dimittit, surgit et versus populum cantat: *Dominus vobiscum.*

Episcopus Orationi Missae addit, sub unica conclusione, Collectam: *Exaudi* etc., ac postea reliquas Orationes iuxta Rubricas.

Orationibus completis, sedet, et legit Epistolam tantum, dein praebet Subdiacono manum osculandam ac postea, accepto baculo, ad Altare revertitur, sedet in Faldistorio et Ministro tradit baculum.

2569. — De Ordinatione Diaconorum. — Postquam Archidiaconus dixerit: *Reverendissime Pater... ordinetis,* Episcopus dicit: Sc/s *illos dignos esse?* Et responso: *Quantum... onus officii,* ait: *Deo gratias;* ac postea: *Auxiliante Domino* etc. Facta aliqua mora post verba: *conditionis suae,* Episcopus Ordinandos monet verbis: *Provehendi, filii dilectissimi* etc. Monitione absoluta, legit alteram invitationem: *Commune votum* etc.; qua completa, surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc., usque ad verba: *et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus;* quibus prolatis verbis, mitram dimittit, et extensis manibus ante pectus, tono feriali, cantat Praefationem.

Decantatis verbis: *quae sunt agenda, concedere,* Episcopus, manum dexteram extendens, sinistra pectori suo applicata, imponit super caput cuilibet Ordinando dicens: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., et, postquam omnibus manum imposuerit, sustinens dexteram versus eosdem Ordinandos extensam, prosequitur cantum: *Emitte in eos* etc., usque ad verba: *mereantur,* deinde, innetis manibus ac submissa voce dicit: *Per eutndem* etc.

Responso a Choro: *Arnen,* Episcopus sedet, mitram accipit, syigulis Ordinandis porrigit osculandam stolam, quam eorum sinistro humero imponit dicens: *Accipe stolam* etc., et super quemlibet Ordinandum producit signum Crucis; deinde accipit dalmaticam et unicuique Ordinando induit eam dicens: *fnduat te Dominus* etc.

Omnibus Ordinandis indutis Episcopus tradit Missale, quod tenet supra genua clausum cum apertura Ordinandis versa, dicens: *Accipite potestatem* etc. iuxta editionem Pontificalis Romani a R.ma Camera Apostolica anno 1848 curatam (iterumque nuper vulgatam) et etiam iuxta Urbis praxim, licet aliquae editiones formam traditionis libri Evangeliorum in singulari proponant. Quo facto, surgit, se ad Altare convertit et dicit: *Oremus;* tum pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* ad Ordinandos se convertit et dicit: *Exaudi, Domine* etc. Qua Oratione absoluta, dicit: *Oremus. Domine sancte* etc., dein sedet, mitram ac baculum accipit et ad Thronum revertitur. Quo cum pervenerit, baculum Ministro tradit, legit Tractum usque ad ultimum Versiculum exclusive.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, lecto Tractu, legit Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive.

Completo a Cantoribus cantu partis Tractus, sive partis Sequentiae, Episcopus baculum accipit et ad Altare procedit, ibique sedet in Faldistorio, ac Ministro tradit baculum.

2570. — De Ordinatione Presbyterorum. — Omnibus Ordinandis ante Altare genuflexis, Episcopus postquam Archidiaconus dixerit: *Reverendissime Pater... ordinetis,* dicit: Scis *illos dignos esse?* Et responso: *Quantum... onus officii,* ait: *Deo gratias,* ac postea: *Quoniam, fratres carissimi* etc., usque ad verba: *conditionis suae,* dein facit aliquam moram, ac postea Ordinandos monet verbis: *Consecrandi, filii dilectissimi* etc. Monitione completa, Episcopus surgit cum mitra et, nihil dicens, imponit simul utramque manum in caput cuiuslibet Ordinandi. Quo facto, Episcopus tenet

manum dexteram extensam super illos usque ad Orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc. inclusive, quam elicit postquam Ordinandi reversi fuerint ante Altare. Invitatione ad Orationem absoluta, Episcopus sedet, mitram deponit, iterum surgit, ad Altare se convertit et cantat: *Oremus;* tum pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* ad Ordinandos se convertit et cantat: *Exaudi nos* etc., usque ad verba: *Spiritus Sancti Deus* etc.; quibus prolatis verbis, manus extendit ante pectus et prosequitur in cantu Praefationis: *Per omnia* etc. Post verba: *praemia consequantur,* submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit: *Per eumdem Dominum* etc., ac postea sedet, mitram accipit.

2571. — Episcopus accipit illam partem stolae quam unusquisque Ordinandus retinet super scapulis, eam ducit circum collum et complicat super illius pectus dicens: *Accipe iugum* etc., postea accipit planetam involutam in parte posteriori eamque Ordinando induit dicens: *Accipe vestem* etc.

Omnibus Ordinandis indutis et suo loco genuflexis, Episcopus mitram dimittit, surgit et ad Ordinandos conversus dicit: *Deus sanctificationum* etc.; Oratione completa ad Altare se convertit, genuflectit in pulvino ante Faldistorium collocato, et, dimisso pileolo, intonat Hymnum: *Veni, Creator* etc.

2572. — Decantata prima stropha, Episcopus reassumit pileolum, surgit, sedet in Faldistorio, mitram accipit, deinde dimittit annulum et chirothecas ac postea annulum reassumit.

Episcopus intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et inungit unicuique ambas manus, simul iunctas, in modum Crucis, efficiendo duas lineas, scilicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicens dum quemlibet inungit: *Consecrare* etc., et dum dicit: *nostram bene* Φ *dictionem,* producit, manu dextera, signum Crucis super manus eius et prosequitur: *Ut quaecumque benedixerint* etc.; tum Episcopus claudit manus Ordinando.

Postquam Episcopus omnibus Ordinandis unctionem peregerit, abstergit pollicem gossypio ac postea accipit Calicem cum vino et aqua ac Patenam cum hostia, tenens sinistra Calicem ad nodum, dexteraque Patenam et hostiam Calici superpositam, tradit cuilibet dicens: *Accipe potestatem* etc. His peractis, Episcopus dimittit annulum, manus lavat et abstergit, reassumit chirothecas et

annulum; dimisso gremiali, baculum accipit et ad Thronum procedit ibique sedet; tradito Ministro baculo, legit ultimum Versiculum Tractus, vel Sequentiae, dicit: *Munda cor meum* etc., et se gerit ut in Missa pontificali (v. n. 863).

2573. — Episcopus, lecto Offertorio, sedet, mitram et gremiale accipit, deinde a singulis Ordinatis accipit candelam quam primo Diacono Assistenti tradit. Oblatione candelarum ab omnibus Ordinatis facta, Episcopus annulum et chirothecas dimittit ac se gerit ut in aliis Missis pontificalibus, sed recitat elata voce, simul cum novis Presbyteris ordinatis, omnia secreta, excepta Oratione: *Per intercessionem beati Michaelis* etc., ac reliquas: *Incensum istud* etc., *Dirigatur, Domine etc., Accendat in nobisetc.,* quas more solito recitat.

2574. — Episcopus dat pacem etiam primo Presbytero, primo Diacono et primo Subdiacono ex novis ordinatis. Pretioso Sanguine sumpto, Episcopus genuflexionem peragit, se ad Presbyteros vertit eosque communicat signum Crucis sacra Particula efficiens et non dicens: *Corpus Domini nostri* etc. (DD. 2089 ad 4; 3105 ad 2; 3274 ad 2; 3721 ad 1).

Omnibus novis Presbyteris ordinatis communicatis, Episcopus ad Altare se convertit, genuflexionem peragit et se gerit ut in administratione SS. Eucharistiae (v. n. 1707, VI), sed Ordinatos etiam in minoribus communicat proferens formulam: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam* (DD. 2682 ad 16; 3012 ad 3; 3186), ceteros proferens consuetam formulam.

2575. — Episcopus, lotis manibus, mitram dimittit et stans ad Altare conversus in cornu Epistolae intonat Responsorium: *Iam non dicam* etc., ac postea accedit ad Faldistorium in medio suppedaneo collocatum, ibique sedet, mitram accipit, iterumque surgit et consistit cônversus ad novos Presbyteros. Recitato: *Credo* etc., ab iisdem novis Presbyteris, Episcopus sedet, imponit manus super caput singulorum ante se genuflectentium dicens cuilibet: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., dein, explicans planctam, induit illos, singulis dicens: *Stola innocentiae induat* etc., ac postea tenens inter suas, manus Ordinati, dicit: *Promittis mihi* etc. Responso ab Ordinato: *Promitto,* Episcopus eum deosculans in gena dextera (D. 2682 ad 17) dicit: *Pax Domini sil semper tecum.*

Si vero Ordinatus suus non sit, Episcopus dicit: *Promittis Ordinario tuo* etc.; si Ordinatus sit Religiosus habens Praelatum proprium, tunc dicit: *Promittis Praelato Ordinario tuo pro tempore existenti* etc.

Omnes Ordinatos genuflexos Episcopus, accepto baculo, admonet dicens: *Quia res* etc. Monitione completa, surgit et benedictionem dat novis Presbyteris dicens: *Benedictio* etc., dein deponit mitram et baculum, accedit ad Missale, legit Antiphonam *«Communio»* dictam et se gerit ut in aliis Missis pontificalibus.

Benedictione in fine Missae impertita, Episcopus sedet in Faldistorio, mitram, si eam non habet, accipit; publicata Indulgentia, omnes Ordinatos admonet verbis Pontificalis: *Filii dilectissimi* etc.; admonitione absoluta, dimittit baculum, mitram et Pallium, si eo utitur, ac se gerit ut in aliis Missis pontificalibus.

Articulus 111.

De Arcliidiacono in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2576. — Archidiaconus, nisi sit Presbyter Assistens, in ceteris omnibus quae hic non notantur, se aliis Canonicis conformat.

Quando Episcopus procedit ad Altare, dum a Choro canitur ultimum: *Kyrie, eleison* etc., vel circa finem cantus Introitus, in Sabbato ante Dominicam de Passione, Archidiaconus (quo habitu erit indutus) et ipse ad Altare procedit et consistit ad Diaconi dexteram; ad nutum Caeremoniarii, invitat Ordinandos dicens: *Accedant omnes qui ordinandi sunt.*

2577. — Archidiaconus, conversus ad omnes Ordinandos a Notario vocatos, legit mandatum nomine Episcopi: *Reverendissimus in Christo Pater* etc.; si Episcopus sit Cardinalis dicit: *Eminentissimus et Reverendissimus in Christo Pater et Domiihti-ft. tituli sancti N. Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.,* etc.

Si Ordinatio peragitur ab Episcopo extraneo, etiamsi Cardinalis vel Metropolita, semper mandatum legitur nomine Episcopi Ordinarii.

Quando vero Ordinatio peragitur ex commissione Vicarii Generalis Capitularis ad normam canonis 1. C. 958 § 1, n. 3, tunc dicit: *Reverendissimus Dominus N. N., huius Dioeceseos, Sede vacante, Vicarius Capitularis deputatus, sub excommunicationis poena praecipit* etc. (D. 3593 ad 1).

Lecto mandato, Archidiaconus dicit: *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram.* Omnibus Ordinandis appellatis, Archidiaconus se confert ad suum locum in Choro et ad Altare

revertitur, dum Episcopus tonsuratos admonet dicens: *Filii carissimi* etc. Absoluta monitione, Archidiaconus, elata voce, dicit: *Ad loca vestra,* vel: *Recedant qui ordinati sunt Clerici* (D. 2682 ad 4).

Si Ordinatus unus sit, Archidiaconus dicit: *Ad locum tuum,* vel: *Recedat qui ordinatus est Clericus.* Quibus prolatis verbis, Archidiaconus ad suum locum in Choro se confert.

2578. — Deosculatus Cantor primae Lectionis manum Episcopi, in Sabbato vero ante Dominicam de Passione, dum canitur ultimum *Kyrie* etc., Archidiaconus de suo loco discedit et accedit ad Altare, ut prius, et, postquam Episcopus sederit in Faldistorio, dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.*

Clavibus ab omnibus Ordinatis tactis, Archidiaconus ipse (D. 1583 ad 4) ducit eos ad portam primariam, vel aliam, Ecclesiae et facit illos claudere et aperire, sed, « non est stricte necessarium » (D. 2682 ad 5) ut clave utatur, dein ducit eos ad turrim Campanarum, si coniuncta est cum ipsa Ecclesia, vel ad ostium Sacristiae et singulis tradit funem campanulae; si vero nulla adsit campana, sufficit etiam tintinnabulum (D. 3315 ad 3 et 4), deinde reducit Ordinatos ad Altare.

Oratione: *Domine sancte, Pater* etc., absoluta, Archidiaconus dicit: *Recedant qui ordinati sunt Ostiarii,* vel: *Ad loca vestra,* ac postea Archidiaconus revertitur ad suum locum in Choro.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, dimissis Ostiariis, Archidiaconus dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum.* Vocatis a Notario Ordinandis, Archidiaconus revertitur ad Chorum et iterum ad Altare se confert dum Episcopus dicit Orationem: *Domine sancte* etc.; qua completa, dimittit Ordinatos dicens: *Ad loca vestra,* vel: *Recedant qui ordinati sunt Lectores,* ac postea dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum,* dein vocatis a Notario Ordinandis, se ad suum recipit locum.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., iterum ad Altare procedit et, completa Oratione, dicit: *Ad loca vestra,* vel: *Recedant qui ordinati sunt Exorcistae,* dein dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum.* Ordinandis a Notario vocatis, Archidiaconus ad Chorum revertitur.

Dum Episcopus legit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., ad Altare rursus revertitur et, absoluta Oratione, dimittit Ordinatos dicens: *Ad loca vestra,* vel: *Recedant qui ordinati sunt Acolythi.* Quibus prolatis verbis, se ad Chorum confert.

2579. — Archidiaconus revertitur ad Altare post II, III et IV Lectionem et respective dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum... Exorcistarum... Acolythorum;* dein Ordinandis a Notario vocatis, se ad Chorum recipit et ad Altare revertitur dum Episcopus dicit Orationem: *Domine sancte* etc., ordinatis Lectoribus et Exorcistis, et dum legit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., post ordinationem Acolythorum. Oratione completa, Archidiaconus Ordinatos dimittit dicens: *Ad loca vestra,* vel respective: *Recedant qui ordinati sunt Lectores... Exorcistae... Acolythi;* ac postea ad suum stallum pergit.

2580. — Deosculatus manum Episcopi Lector quintae Lectionis, in Sabbato vero ante Dominicam de Passione post Orationes a Rubricis praescriptas, Archidiaconus ad Altare se confert et dicit: *Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi.* Appellatis Ordinandis'et admonitione ab Episcopo completa, si facienda, Archidiaconus dicit: *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri,* ac postea ad Chorum procedit.

2581. — Completis Litaniis, Archidiaconus ad Altare accedit et dicit: *Recedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri,* deinde ad Altare perstat et, postquam Ordinandi tetigerint Calicem cum Patena, stans in latere Evangelii eis praesentat ampullas vini et aquae plenas, cum manutergio in pelvicula. Qua actione peracta, Archidiaconus pergit ad suum stallum et ad Altare revertitur, dum Episcopus Ordinatis Missale tradit. Omnibus expeditis, Archidiaconus dicit: *Ad loca vestra,* vel: *Recedant qui ordinati sunt Subdiaconi.* ac postea ad suum revertitur locum.

2582. — Quando Episcopus ad Altare revertitur post Epistolam, Archidiaconus et ipse ad Altare se confert; postquam Episcopus sederit in Faldistorio, dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum.* Omnibus Ordinandis ante Altare genuflexis, dicit: *Reverendissime Pater* (vel: *Eminentissime ac Reverendissime Pater) postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.*

Ad Episcopi interrogationem respondet: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii.* Post verba Episcopi: *Auxiliante Domino Deo... sit conditionis suae,* Archidiaconus ad suum locum pergit et ad Altare revertitur rursus dum Episcopus dicit Orationem: *Domine sancte* etc.; qua absoluta, Ordinatos dimittit dicens: *Ad loca vestra,* vel:

Recedant qui ordinati sunt Diaconi, dein ad locum suum in Choro se confert.

2583. — Dum a Cantoribus canitur paenultimus Versus Tractus, in Sabbato post Pentecosten dum canitur paenultimus Versus Sequentiae, Archidiaconus ad Altare procedit; postquam Episcopus in Faldistorio sederit, dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus.* Omnibus Ordinandis ante Altare genuflexis, Archidiaconus dicit: *Reverendissime Pater* (vel: *Eminentissime ac Reverendissime Pater) postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.*

Ad interrogationem Episcopi respondet ut supra, nempe: *Quantum humana* etc., deinde consistit in cornu Evangelii pro manuum impositione; qua completa, pergit ad suum stallum et in reliquis se aliis Canonicis conformat.

Articulus IV.

De Presbytero Assistente in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2584. — Presbyter Assistens se gerit nt in aliis Missis solemnibus pontificalibus (v. P. HI, Cap. I, Art. III), sed loco Horae Tertiae, canitur Hora Nona; qua absoluta, ministrat mantile, dein procedit ad Sacristiani Altari maiori contiguam et pluviale assumit.

2585. — Si Officium fit de Sabbato, dum canitur Versiculus post Responsorium, praecedit Episcopum ad Faldistorium, ac genuflectit ad sinistram secundi Diaconi Assistentis; surgente Episcopo, et ipse surgit, se ante eumdem Episcopum confert, sustinet librum ad Orationem; qua absoluta, librum Ministro tradit; ad: *Benedicamus Domino,* genuflectit, ut prius, dein surgit et Episcopum ad Thronum praecedit.

2586. — Dum canitur ultimum *Kyrie* etc., in Sabbato ante Dominicam de Passione, circa finem cantus Introitus, ad nutum Caeremoniarii, surgit cum ceteris et praecedit Episcopum ad Altare, sed cum pervenerit ante infimum Altaris gradum, reverentia Cruci facta, pergit ad suum stallum in Choro, nisi sit Archidiaconus, vel pro eodem suppleat; quo in casu, Altare ascendit et se gerit ut supra diximus de Archidiacono.

Profectis Tonsuratis, de suo loco discedit et ante infimum Altaris gradum se confert, dein praecedit Episcopum ad Thronum.

2587. — Antequam Episcopus cantet: *Oremus,* Missale accipit et apertum ante illum sustinet; ad: *Flectamus genua,* non genuflectit; Oratione absoluta, Missale Ministro tradit et Episcopo legenti Lectionem assistit; qua ab Episcopo lecta, sedere potest, donec Lector ad Thronum accedat. Accepto baculo ab Episcopo, ad Altare Episcopum praecedit, dein, nisi sit Archidiaconus, vel pro eodem suppleat, accedit ad suum locum in Choro.

2588. — Ostiariis ordinatis, Presbyter Assistens discedit de suo loco, se ante infimum Altaris gradum confert et inde praecedit Episcopum ad Thronum, ubi se ut supra gerit; et ita se gerit in collatione aliorum Ordinum minorum.

In Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes, quum redit ad Thronum post ordinationem Acolythorum, decantato a Choro: *Alleluia,* genuflectit suo in loco usque ad finem Versus: *Veni, sancte Spiritus,* dein surgit, Missale accipit et se ut supra gerit.

In Sabbato autem ante Dominicam de Passione, se confert ante infimum Altaris gradum post ordinationem Acolythorum et inde Episcopum praecedit ad Thronum.

2589. — Decantato ab Episcopo: *Dominus vobiscum,* se gerit ut in aliis Missis pontificalibus. Orationibus absolutis, iterum praecedit Episcopum ad Altare, sicut eum praecedit post quintam Lectionem in Sabbatis Quatuor Temporum.

Quum ante infimum Altaris gradum pervenerit, Cruci reverentia facta, pergit ad suum locum in Choro.

2590. — Subdiaconis ordinatis, iterum Presbyter Assistens se confert ante infimum Altaris gradum et inde ad Thronum Episcopum praecedit; quo cum pervenerit, sistit, dum Episcopus legit Canticum, dein sedet. Absoluto Cantico a Cantoribus, surgit et se gerit ut in aliis Missis pontificalibus ad Orationum cantum.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, cum ad Thronum pervenerit, Missale accipit et sustinet illud apertum ante Episcopum dum intonat: *Gloria in excelsis Deo,* et se gerit more solito (v. n. 887), usque ad cantum Orationum inclusive, dein sistit dum Episcopus Epistolam legit.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, cum ad Thronum pervenerit, assistit Episcopo Epistolam legenti.

Deosculatus Subdiaconus Episcopi manum, iterum praecedit Episcopum ad Altare et cum ante infimum eiusdem Altaris gradum pervenerit, reverentiam Cruci peragit ac postea accedit ad suum stallum in Choro.

2591. — Ordinatis Diaconis, Presbyter Assistens ad Altare revertitur, inde ad Thronum praecedit Episcopum; quo cum pervenerit, assistit Episcopo dum legit Tractum usque ad ultimum Versum exclusive, et in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes usque ad ultimum Sequentiae Versum, pariter exclusive, dein iterum Episcopum ad Altare praecedit et se ut alias gerit.

2592. — Dum Episcopus tradit Calicem cum Patena ultimo Presbytero ordinato, Presbyter Assistens accedit ad Altare, suppedaneum conscendit et mantile ministrat Episcopo manus lavanti; dein de Altari descendit et Episcopum ad Thronum praecedit. Quo cum pervenerit, assistit ei legenti ultimum Versum, vel Tractus, vel Sequentiae, et se gerit ut in aliis Missis pontificalibus, sed annulum Episcopo aufert post cereorum oblationem.

Secreta pro Ordinatis legitur sub unica conclusione cum Oratione Missae.

Collocata Pyxide ante Calicem, postquam Episcopus pretiosum Sanguinem sumpserit, Presbyter Assistens de Altari descendit et sistit in cornu Evangelii vel, si numerosi sunt Communicandi, accedere potest ad suum stallum in Choro.

2593. — Distributa S. Communione, ascendit ad Episcopi sinistram, tradit Ministro libri Canonem Pontificalem et ab eo recipit Pontificale Romanum quod super legile ponit et transfert ad cornu Epistolae, ubi illud aperit ad Responsorium: *Iain non dicam* etc., circa finem Tituli « *De Ordinatione Presbyteri* »; dein, more solito, mantile Episcopo ministrat ac postea eidem indicat Responsorium; quo ab Episcopo lecto, se confert ad locum suum in Choro.

Postquam Episcopus benedictionem novis Presbyteris dederit, Presbyter Assistens ad Missale accedit et se more solito gerit.

Presbyter Assistens, publicata Indulgentia, de Altari descendit et sistit ante infimum Altaris gradum; quando Episcopus de Altari descendit, praecedit eum ad Thronum.

Articulus V.

De Diaconis Assistentibus in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2594. — Diaconi Assistentes se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus (v. P. HI, Cap. I, Art. IV), sed loco Horae Tertiae canitur

Hora Nona; qua absoluta, assistunt ad lotionem manuum, dein, cum Presbytero Assistente, procedunt ad Sacristiam Altari maiori contiguam et paramenta assumunt.

2595. — Si Officium fit de Sabbato, dum canitur Versiculus post Responsorium, accedunt cum Episcopo ad Faldistorium et ad eius latera genuflectunt; post: *Benedicamus Domino,* ad Thronum revertuntur.

2596. — Dum canitur ultimum *Kyrie* etc., in Sabbato ante Dominicam de Passione circa finem cantus Introitus, ad nutum Caercmoniarii primi, surgunt et comitantur Episcopum usque ad infimum Altaris gradum; quo cum pervenerint, recedunt et se conferunt ad locum suum in Choro.

2597. — Profectis Tonsuratis, de suo loco discedunt, ante infimum Altaris gradum se conferunt et ad Episcopi latera procedunt ad Thronum; quo cum pervenerint, Diaconus secundus Episcopo sedenti mitram aufert.

Diaconus primus, decantato ab Episcopo: *Oremus,* cantat genuflectens: *Flectamus genua;* alter, surgens, cantat: *Levate.* In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes omittitur: *Flectamus genua.*

Decantata Oratione, Diaconus primus mitram Episcopo imponit et super eius genua extendit gremiale; ambo sistunt dum Episcopus Lectionem legit; qua lecta, sedent donec Lector ad Thronum accedat.

Deosculatus Lector manum Episcopi, Diaconus secundus aufert gremiale Episcopo, dein cum eo ambo ad Altare procedunt et se ut supra gerunt.

2598. — Ostiariis ordinatis, ambo de loco suo discedunt et se conferunt ante infimum Altaris gradum et inde cum Episcopo ad Thronum procedunt, ubi se gerunt ut supra. Et ita se gerunt in collatione aliorum Ordinum minorum.

hi Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes, quum redeunt ad Thronum post Acolythorum ordinationem, decantato a Choro: *Alleluia,* genuflectunt suo in loco usque ad finem Versus: *Veni, sancte Spiritus,* dein surgunt, secundus Diaconus mitram Episcopo aufert et ambo ut supra se gerunt.

In Sabbato autem ante Dominicam de Passione se conferunt ante infimum Altaris gradum post ordinationem Acolythorum et inde ad Thronum procedunt, ubi Episcopo sedenti Diaconus secundus

mitram aufert et ambo se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus, sed, Orationibus absolutis, primus Diaconus mitram Episcopo imponit ac postea ambo cum Episcopo ad Altare procedunt, sicut etiam cum eodem procedunt post Lectionem quintam in Sabbatis Quatuor Temporum.

Quum ante infimum Altaris gradum pervenerint, recedunt et se conferunt ad suum stallum in Choro.

2599. — Subdiaconis ordinatis, **ambo** iterum se conferunt ante infimum Altaris gradum et inde cum Episcopo ad Thronum procedunt; quo cum pervenerint, sistunt dum Episcopus legit Canticum, deinde sedent. Cantico absoluto a Cantoribus, surgunt et se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus ad Orationum cantum. Collecta pro Ordinandis dicitur sub unica conclusione cum Oratione Missae.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes cum ad Thronum pervenerint, Diaconus secundus Episcopo sedenti mitram aufert et ambo se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus ad cantum Hymni Angelici et ad cantum Orationum inclusive, dein assistunt Episcopo Epistolam legenti.

Deosculatus Subdiaconus Episcopi manum, ambo cum Episcopo ad Altare procedunt; cum ante infimum gradum pervenerint, recedunt et ad locum suum in Choro se recipiunt.

2600. — Ordinatis Diaconis, ad Altare revertuntur et ut alias ad Thronum cum Episcopo procedunt; quo cum pervenerint, assistunt Episcopo legenti Epistolam et reliqua usque ad ultimum Versum exclusive, in Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes usque ad ultimum Versum Sequentiae, pariter exclusive; deinde iterum cum Episcopo ad Altare revertuntur ut supra.

2601. — Dum Episcopus, ordinatis Presbyteris, manus lavat, **ambo** ad Altare accedunt, dein Episcopum ad Thronum comitantur; quo cum pervenerint, assistunt Episcopo legenti ultimum Versum Tractus et in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes ultimum Versum Sequentiae ac se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus, sed, lecto ab Episcopo Offertorio, Diaconus primus imponit Episcopo mitram, extendit gremiale, ac postea ab eodem Episcopo accipit candelas et tradit eas Clericis.

Postquam Episcopus pretiosum Sanguinem sumpserit, **Diaconi** Assistentes pergunt ad suum locum in Choro et ad Altare revertuntur, donata novis Presbyteris benedictione, ac postea se more solito gerunt.

Articulus VI.

De sacris Ministris in Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2602. — Ministri sacri se gerunt ut in Missis pontificalibus ad Thronum, tempore Adventus (v. n. 1561), sed dum ultimum *Kyrie* cantatur et in Sabbato ante Dominicam de Passione circa finem cantus Introitus, surgente Episcopo, et ipsi surgunt, ante infimum Altaris gradum se conferunt et cum Episcopo suppedaneum Altaris conscendunt; Diaconus consistit ad dexteram Episcopi sedentis in Faldistorio, Subdiaconus vero ad sinistram. In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes Diaconus aufert Episcopo mitram pretiosam eique imponit auriphrygiatam.

Incepto Psalmo 15: *Conserva me, Domine* etc., si Episcopus chirothecas dimittit, Diaconus aufert ei, cum osculo, annulum et cliirothecam dexteram, Subdiaconus sinistram, ac postea Diaconus annulum reponit. Accepto ab Episcopo gremiali, Diaconus ei forfices porrigit, dein ambo sustinent pelvini super eius genua.

Omnibus tonsis, Diaconus tradit pelvim et forfices Clerico, mantile Episcopo manus lavanti ministrat; si Episcopus chirothecas dimiserit, annulum aufert eidem, dexteram cliirothecam reponit, dum Subdiaconus sinistram reponit, dein annulum in digitum inducit.

Repetita a Cantoribus Antiphona: *Tu es, Domine* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Praesta, quaesumus* etc. Repetita a Choro Antiphona: *Hi accipient* etc., Diaconus iterum mitram Episcopo aufert, ad Altare cum eodem Episcopo se convertit et ad cius dexteram transit, dum Subdiaconus ad sinistram se confert.

Decantato ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus cantat, genuflectens: *Flectamus genua;* Subdiaconus, surgens, cantat: *Levate,* ante singulas Orationes super Ordinatos, etiam in Sabbato QuatuorTemporum Pentecostes (D. 4164); postea in simili casu ita se gerunt, quod brevitatis causa nuntiabimus verbis: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Quum Episcopus se convertit ad Tonsuratos, et Ministri se convertunt: Diaconus transit ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Episcopi. Oratione: *Adesto, Domine* etc., absoluta, Diaconus imponit mitram Episcopo sedenti.

Omnibus Tonsuratis superpelliceo indutis, Diaconus mitram Episcopo aufert, eique reponit, absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

2603. — Accepto ab Episcopo baculo post monitionem Tonsuratis, ambo cum Episcopo de Altari descendunt; facta Cruci reverentia, recedunt ad scamnum suum, prope Epistolae latus, ibique sistunt. Quum Episcopus cantat: *Oremus,* se ad Altare convertunt, ad: *Flectamus,* genuflectunt et ad: *Levate,* surgunt. Oratione completa, se ad populum rursus convertunt et sedent donec Episcopus surgat, decantata prima Lectione.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, stantes, facie ad populum conversa, recitant: *Kyrie* etc.; quo recitato, accedunt ante infimum Altaris gradum, sicut accedunt in Sabbatis Quatuor Temporum, decantata prima Lectione.

Cum Episcopo suppedaneum conscendunt et consistunt ad eius latera sedentis in Faldistorio; Diaconus extendit gremiale super eius genua. Monitione completa, Diaconus claves Episcopo porrigit et postquam omnes Ordinandi claves tetigerint, eas ab Episcopo recipit et Caeremoniario secundo tradit.

Reversis et genuflexis ante Altare Ordinatis, Diaconus gremiale Episcopo tollit; Invitatione ad Orationem completa, Episcopo sedenti mitram aufert, ad Altare se convertit, transit ad Episcopi dexteram, dum Subdiaconus transit ad sinistram.

Oremus. Flectamus genua. Levate. Oratione: *Domine sancte* etc., completa, Diaconus mitram Episcopo imponit, dein ambo cum eodem Episcopo de Altari descendunt et, facta Cruci Altaris reverentia, ad suum scamnum se conferunt ibique se gerunt, in Sabbatis Quatuor Temporum, ut supra.

In Sabbato ante Dominicam de Passione ad Altare perstant pro collatione aliorum Ordinum minorum.

2604. — Surgente Episcopo post cantum secundae Lectionis et ipsi surgunt ac se gerunt ut supra post cantum primae Lectionis. Post monitionem Ordinandis ad Officium Lectorum, Diaconus porrigit Episcopo Missale, quod recipit, postquam ab omnibus Ordinatis tactum fuerit, ac postea ambo se gerunt ut in ordinatione Ostiariorum ad invitationem ad Orationem et ad reliqua. Et ita se gerunt in ordinatione Exorcistarum et Acolythorum, sed, monitione peracta Ordinandis ad officium Acolythorum, Diaconus porrigit Episcopo parvum candelabrum cum cereo; postquam omnes Ordinandi candelabrum tetigerint, illud recipit et Episcopo porrigit ampullam.

Recepta a Diacono ampulla, ambo se gerunt ut in aliisordinationibus, seel advertant quod loco unius Orationis, Episcopus tres Orationes recitat.

Quum Ministri sacri ad scamnum redierint, se more solito gerunt, sed in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes genuflectunt ante scamnum ad ÿ.: *Veni, sancte Spiritus* etc. In Sabbato ante Dominicam de Passione se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus ad cantum Orationum.

2605. — Deosculatus manum Episcopi Cantor quartae Lectionis, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione, post Orationes, Ministri sacri accedunt ante infimum Altaris gradum ut alias.

Quando etiam Ordinandi Diaconi et Presbyteri genuflexi sunt ante Altare, Diaconus gremiale Episcopo aufert, dein transit ad dexteram eiusdem Episcopi, dum Subdiaconus ad sinistram se confert; ambo genuflectunt. Cantato a Cantoribus Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Ministri cum Episcopo surgunt et, facie ad Ordinandos versa, Diaconus sistit ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Episcopi. Dimisso ab Episcopo baculo, ambo iterum genuflectunt donec Litaniae compleantur, dein Diaconus transit ad dexteram, dum Subdiaconus ad Episcopi sinistram transit. Diaconus extendit gremiale super Episcopi genua, quod tollit post admonitionem, eique porrigit Calicem vacuum cum Patena.

Diaconus receptum Calicem tradit Caeremoniario et post invitationem ad Orationem: *Oremus Deum ac Dominum* etc., mitram Episcopo sedenti aufert, dein transit ad Episcopi dexteram, dum Subdiaconus transit ad sinistram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione absoluta, Diaconus mitram Episcopo imponit et, omnibus Ordinandis indutis, Missale ei porrigit. Postquam Ordinati Missale tetigerint, ab Episcopo illud recipit et Caeremoniario tradit.

Quum ad scamnum Ministri sacri reversi fuerint, in Sabbatis Quatuor Temporum sedent, in Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus post cantum Hymni Angelici.

In Sabbato ante Dominicam de Passione dum Episcopus legit Epistolam et unus ex novis Subdiaconis eam cantat (DD. 2179 ad 3; 3368 ad 5), Ministri sacri sedent sicut etiam se gerunt in Sabbatis Quatuor Temporum.

2606. — Quum Episcopus ad Altare revertitur post Epistolae cantum, Ministri sacri surgunt et cum eo suppedaneum conscendunt; Diaconus, ut alias, extendit super eius genua gremiale quod

tollit lecta ab Episcopo Invitatione: *Commune votum* etc.; mitram quoque ei aufert ante Praefationis cantum; quo absoluto, Diaconus Episcopo sedenti in Faldistorio mitram imponit et, omnibus dalmatica indutis, eidem Missale porrigit, quod ab eo recipit et Caeremoniario tradit, postquam Ordinati illud tetigerint; dein mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione absoluta, Diaconus mitram Episcopo imponit, ac postea ambo cum eodem de Altari descendunt; facta Cruci reverentia, ad suum scamnum pergunt, ibique sedent.

2607. — Surgente Episcopo, et ipsi surgunt et ante infimum Altaris gradum se conferunt ac ut alias se gerunt.

Admonitione Ordinandis completa, Diaconus gremiale Episcopo tollit lectaque ab Episcopo Oratione: *Oremus, fratres carissimi* etc., Diaconus ei mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Praefatione completa, Diaconus Episcopo sedenti in Faldistorio reponit mitram, quam aufert, indutis Ordinandis omnibus planeta. Completa Oratione: *Deus sanctificationum* etc., Diaconus ad dexteram transit Episcopi, dum Subdiaconus se ad sinistram recipit; Diaconus aufert pileolum Episcopi et ambo genuflectunt. Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., ambo surgunt, Diaconus transit ad Episcopi dexteram, pileolum et mitram ei imponit, Subdiaconus transit ad sinistram; dum Diaconus annulum et chirothecam dexteram Episcopo tollit, Subdiaconus sinistram aufert, dein Diaconus inducit annulum in Episcopi digitum ac postea extendit gremiale lineum super eius genua et una cum Subdiacono alligat nodis Faldistorii.

Unctione omnibus Ordinandis peracta, Diaconus porrigit Episcopo gossypium ad pollicem abstergendum; quo recepto, accipit Calicem cum vino et Patenam cum Hostia eaque Episcopo porrigit.

Peracta omnium Presbyterorum Ordinatione, Diaconus recipit Calicem cum Patena eaque Caeremoniario tradit. Postquam Episcopus absterserit manus, Diaconus educit annulum, dein reponit chirothecam dexteram, dum Subdiaconus sinistram reponit, ac postea Diaconus inducit in Episcopi digitum annulum; quo facto, ambo cum eodem Episcopo de Altari descendunt; Cruci reverentia facta, ad suum procedunt scamnum, ibique sedent et ad Evangelii cantum surgunt.

2608.—Dum Ordinati accedunt ad Thronum pro candelarum oblatione, Ministri sacri se conferunt ad abacum, ubi Diaconus dimittit planetam plicatam et assumit stolam latiorem, non vero in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, dein ambo se gerunt more solito.

Postquam Episcopus pretiosum Sanguinem sumpserit, **Diaconus,** vel Subdiaconus (nisi Presbyter Assistens ad Altare redierit) palla Calicem cooperit, ac postea **ambo** genuflectunt cum Episcopo. **Diaconus** Pyxidem dextera accipit, sinistra super pectus posita, Subdiaconus vero dextera Patenam accipit, sinistra pariter super pectus posita. **Ambo** se ad novos Presbyteros ordinatos convertunt; **Diaconus** consistit ad Episcopi dexteram,-et Pyxidem tenet usque ad finem distributionis SS. Eucharistiae et Pyxidem ita protendit ut Episcopus commode sacras Particulas accipiat et cum iisdem signum Crucis super Pyxidem efformare possit; **Subdiaconus** consistit ad sinistram Episcopi cum Patena, eamque supponit cum Episcopus sacram Particulam extra Pyxidem fert super linguam Communicandi.

Si Episcopus Pyxidem teneat, tunc ambo cum Episcopo genuflexionem peragunt, **Diaconus** dextera Patenam accipit, sinistra super pectus posita, uterque se ad populum convertit. Diaconus consistit ad Episcopi dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram et **ambo** assistunt inter Communionis administrationem, **Diaconus** sub mento Communicantium Patenam tenens, **Subdiaconus** stans, iunctis manibus.

Omnibus novis Presbyteris communicatis, ambo se cum Episcopo ad Altare convertunt, **Diaconus** deponit Pyxidem, **Subdiaconus** Patenam, ambo genuflexionem peragunt, ac postea cum Episcopo se ad Ordinatos convertunt, **Diaconus** sistit ad Episcopi dexteram, Subdiaconus vero se retrahit versus cornu Epistolae ne SS. Sacramento terga vertat. Postquam Episcopus dixerit: *Misereatur vestri* etc., *Indulgentiam* etc., ambo cum eo ad Altare se convertunt, genuflexionem peragunt et se gerunt ut ad Communionem novorum Presbyterorum, dein ut in aliis Missis pontificalibus, sed **Diaconus** postquam Episcopo mitram abstulerit ante Responsorium: *Non dicam vos* etc., ad abacum se confert, deponit stolam latiorem et planetam plicatam reassumit. Lecto ab Episcopo Responsorio, Ministri sacri cum eodem Episcopo accedunt ad Faldistorium, in medio suppedaneo collocatum, et **Diaconus** Episcopo sedenti mitram imponit, quam aufert postquam novis Presbyteris ordinatis benedictio donata fuerit, dein ambo ut in aliis Missis pontificalibus se gerunt.

Benedictione in fine Missae impertita, **Diaconus,** si Episcopus in Faldistorio sedens mitram non habeat, eam imponit; ambo ad latera Faldistorii sistunt, et, lecta ab Episcopo admonitione, se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus.

Articulus VII.

De Ordinandis in s. generali Ordinatione ab Episcopo Ordinario solemniter habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2609. — Statuta hora, **Ordinandi omnes** accedunt ad Sacristiam maiorem; **Ordinandi ad Presbyteratum** in Missalibus inquirant et signaculis accurate signent:

I. - Ordinem Missae;

II. - Missam diei cum Collecta « *in collatione sacrorum Ordinum* », dicenda sub unica conclusione cum Oratione diei, aliasque Commemorationes, si faciendae;

III. - Praefationem;

IV. - Canonem.

2610. — Ad nutum Caeremoniarii secundi, **Ordinandi:**

Ad Presbyteratum, assumunt amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam diaconalem, dein super brachium sinistrum accipiunt planetam et linteolum;

Ad Diaconatum, induunt amictum, albam, cingulum et manipulum; super brachium sinistrum accipiunt dahnaticam et stolam diaconalem;

Ad Subdiaconatum, induunt amictum, albam, cingulum: advertant tamen ut amictum habeant extra collum; super brachium sinistrum accipiunt tunicellam et manipulum;

Ad minores Ordines, induunt superpelliceum;

Ad primam clericalem Tonsuram, accipiunt super sinistrum brachium superpelliceum complicatum.

2611. — Ordinandi omnes, dextera manu candelam sustinentes, procedunt bini et bini ad Altare et ad locum designatum se conferunt. In omnibus se conformant Choralibus, exceptis his de quibus **infra.**

Quum Archidiaconus dicit: *Accedant omnes qui ordinandi sunt,* **omnes** de suis locis ordinatim discedunt, primo **Tonsurandi,** dein **Ordinandi Ostiarii,** etc., se ante Altare conferunt et genua flectunt in semicirculum, Tonsurandis stantibus propius Altari, in plures ordines, si numerosi. Si Presbyterium capax non sit, genuflectere possunt, postquam vocati fuerunt, suis in locis.

2612. — De Tonsur,\ndis. — Lecto ab Archidiacono mandato, Ordinandi omnes surgunt et ad suum locum revertuntur, exceptis

Tonsurandis, qui, nomine vocati a Notario singuli resj *Adsum,* surgunt et accedunt ante infimum Altaris gradum. Quum omnes vocati fuerunt, genuflectunt in semicirculum.

Incepto Psalmo 15: *Conserva me, Domine* etc., **primus Tonsu-**randus, invitante Caeremoniario, accedit ante infimum Altaris gradum, in medio, tradit Clerico candelam, genuflexionem peragit, ascendit suppedaneum super quod genuflectit et dum Episcopus capillos incidit cum eodem dicit (D. 2682 ad 3): *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi;* dein descendit, iterat genuflexionem et genuflectit, ut prius.

Dum **primus Tonsuratus** de Altari descendit, **alter Tonsurandus** accedit ante infimum Altaris gradum et una cum primo genuflexioncm facit, ascendit, se ut primus gerit et sic deinceps **ceteri.**

Dicta ab Episcopo Oratione: *Adesto, Domine* etc., **primus Ton-**suratus surgit et se ut supra gerit; superpelliceo induto, descendit, se pariter ut supra gerit, sicut se gerit **secundus Tonsuratus et** deinceps **ceteri.**

Postquam Archidiaconus dixerit: *Ad loca vestra,* vel: *Recedant qui ordinati sunt Clerici,* omnes surgunt; genuflexione peracta, ad suum scamnum revertuntur.

Ad oblationem candelarum se gerunt ut infra dicemus (v. n. **2626).**

2613. — De Ordinandis ad officium Ostiariorum. — **Postquam** Archidiaconus dixerit: *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum* et Notarius nomine singulos vocaverit, **primus Ordi-**nandus surgit, de loco suo discedit et ante Altare se confert atque consistit donec ultimus vocatus veniat; deinde omnes in semicirculum genuflectunt.

Admonitione ab Episcopo peracta, **duo** vel **tres Ordinandi** surgunt, se conferunt ante infimum gradum, genuflexionem peragunt, suppedaneum conscendunt, super quod genuflectunt; **singuli** imponunt dexteram manum super claves quam ita tenent donec Episcopus totam formulam: *Sic agite* etc., recitaverit, dein descendunt, genuflexionem faciunt et ut prius in plano Presbyterii genuflectunt.

Dum Ordinati de Altari descendunt, **duo** vel **tres Ordinandi** surgunt et ut primi se gerunt.

Quum ultimi Ordinati de Altari descendunt, ceteri surgunt, **omnes** simul genuflexionem peragunt et sequuntur Archidiaconum ad portam primariam, vel aliam, Ecclesiae; **singuli Ordinati** claudunt et aperiunt portam sed « *non est stricte necessarium* » (D. 2682 ad 5)

ut clave utantur, dein accedunt vel ad turrim campanarum, vel ad Sacristiae ostium, ubi singuli, accepta fune, campanam pulsant; si nulla campana adsit tintinnabulum pulsare possunt.

Ad Altare reversi, genuflectunt ut prius, praemissa genuflexione.

Omnes, invitante Archidiacono, surgunt, genuflexionem peragunt et ad suum scamnum revertuntur.

Ad oblationem candelarum se gerunt ut infra dicemus (v. n. **2626**).

2614. — De Ordinandis ad ceteros minores Ordines. — Ordinandi ad invitationem Archidiaconi se gerunt ut diximus de Ostiariis. Peracta monitione ab Episcopo, pariter se ut ordinandi Ostiarii gerunt, sed:

Ordinandi Lectores et Exorcistae, singuli manum dexteram cum digitis extensis super tegumen pollice vero ad oram Missali imponunt, nec eam removent priusquam Episcopus dixerit integram formulam: *Accipite et estote* etc., vel: *Accipite et commendate* etc.;

Ordinandi Acolythi singuli manus dexterae pollice parvum candelabrum tangunt et simul indice eiusdem manus candelam dum Episcopus integram formulam recitat: *Accipite ceroferarium* etc.; qua completa, singuli respondent: *Amen* (D. 2682 ad 6); deinde descendunt et, postquam ultimi tetigerint candelabrum ac descenderint, rursus primi ascendunt et ampullae imponunt pollicem et indicem neque hos removent, nisi Episcopus recitaverit integram formulam: *Accipite urceolum* etc.; qua completa, singuli ut prius respondent: *Arnen.*

Ad oblationem candelarum se gerunt ut infra dicemus (v. n. **2626**).

2615. — De Ordinandis ad Subdiaconatum. — **Ordinandi, nomine** a Notario vocati, surgunt et respondent: *Adsum,* dein ante Altare se conferunt, sed aliquantulum longe. Lecta ab Episcopo monitione: *Filii dilectissimi... in nomine Domini huc accedite,* **Ordinandi** ex Clero saeculari et Religiosi qui nondum vota sive sollemnia, sive simplicia perpetua emiserunt, se ad Altare approximant; deinde cum Archidiaconus dicit: *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri,* Ordinandi ad Subdiaconatum se retrahunt versus Evangelii cornu, genuflectunt et se prosternunt (D. 1665 ad 4).

Litaniis completis et Ordinandis Diaconis et Presbyteris ad eorum locum reversis, Ordinandi Subdiaconi genuflectunt in semicirculum ante Altare et, postquam Episcopus admonitionem fecerit, duo vel tres surgunt et se gerunt ut diximus de Ordinandis ad Ordines minores, sed singuli, dexteram manum vel saltem indicem ac medium eiusdem manus ponunt super Patenam et pol-

licem cuppae Calicis apponunt, dum Episcopus recitat totam formulam: *Videte cuius ministerium* etc., dein versus Evangelii latus se conferunt ubi adest Archidiaconus, et digitis dexterae urceolos ac manutergiuni, pollice vero pelviculam tangunt ac postea descendunt; genuflexione facta in plano Presbyterii, genuflectunt ut prius.

Postquam Episcopus, recitata Oratione: *Domine sancte* etc., in Faldistorio sederit, primus Ordinatus surgit, se ante infimum Altaris gradum confert, genuflexionem peragit, conscendit suppedaneum super quod genuflectit.

Recitatis ab Episcopo singulis formulis pro amictu, manipulo et tunicella, Ordinatus respondet: *Arnen;* tunicella accepta, Ordinatus descendit et genuflectit ut prius.

Postquam ultimus indutus fuerit, duo vel tres accedunt ad Episcopum et dexteram manum Missali imponunt, ut de Lectoribus diximus, neque eam removent, nisi ab Episcopo recitata fuerit integra formida: *Accipite potestatem* etc.; qua absoluta, singuli respondent: *Arnen,* ac postea descendunt.

Ordinati, invitante Archidiacono, revertuntur ad suum locum.

Ad oblationem candelarum se gerunt ut infra dicemus (v. n. 2626).

2616. — Unus ex novis Ordinatis, scilicet primus, invitante Caeremoniario, accedit ad abacum; ab eodem Caeremoniario accipit Epistolarium et illud tenens ante pectus, ita ut eius apertura ad suam sinistram sit, facta Altari et Episcopo genuflexione, accedit ad locum ubi Epistola cantari solet, ibique ipsemet librum sustinens cantat Epistolam. Si pro cantu Epistolae adhibeatur legile, Subdiaconus librum super illud ponit, et dum cantat Epistolam manus extensas tenet in extremitate inferiori eiusdem libri.

Absoluta Epistola, Subdiaconus librum clausum deferens, ut supra, ad Thronum, debitis cum genuflexionibus, procedit, illum conscendit et genuflexus porrigit Episcopo super eius genua; manum illius dexteram super eumdem librum positam reverenter deosculatur. Benedictione accepta, surgit, de Throno descendit, genuflexionem Episcopo peragit, Caeremoniario librum tradit et ad suum locum revertitur.

2617. — Quando primus Diaconus ordinatus, invitante Caeremoniario, ad Altare accedit, et ipse accedit, debitis cum genuflexionibus, ac sistit ante infimum gradum, versus cornu Evangelii. Ad nutum Caeremoniarii secundi, facta cum aliis genuflexione Altari, ad Thronum, post Caeroferarios et ante Diaconum, procedit, ibique genu-

flectit a sinistris, paulo post Diaconum, pariter genuflexum, et genuflexus manet donec Diaconus benedictionem acceperit. Tum surgit, genuflexionem cum ceteris Episcopo facit et, eodem ordine quo ad Thronum accesserat, pergit ad locum ubi Evangelium canendum sit, ibique stans accipit a Diacono, ambabus manibus, ad partem inferiorem librum apertum et sic ante pectus elevatum tenet ut facies oculique eius a libro tegantur, iugiter consistens usque ad finem cantus, quin se signet, inclinet aut genuflectat (Caer. Episc. L. I, cap. X, n. 3).

Si ad Evangelium canendum legile adhibeatur, **Subdiaconus** consistit post legile et ad extremitates superiores libri manus apponit, iugiter consistens usque ad finem cantus, ut supra notavimus, cum repraesentet legile immobile (/. c.).

Si vero Evangelium canendum sit in ambone, tum **Subdiaconus** consistit a latere dextero Diaconi, porrigit ei thuribulum et folia vertit, si opus sit (/. c.).

Evangelii cantu absoluto, **Subdiaconus,** nulla prorsus facta reverentia, vel genuflexione, defert librum apertum ad Episcopum et ei ad deosculandum offert, dein librum claudit, profundam reverentiam Episcopo peragit, de Throno descendit, librum Caeremoniario tradit, genuflexionem Episcopo facit ac postea ad suum locum se confert.

Primus Ordinatus, recitata Oratione: *Domine Iesu Christe* etc., se gerit ut infra dicemus (v. n. 2627).

2618. — Pro Nocturno talis diei quem Subdiaconis et Diaconis ex Pontificali Romano Episcopus Ordinans solet imponere « intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicae in Psalterio, prout Ordinatio in feria, Festo aut Dominica habita sit » (D. 4042 ad 1). Quando Ordinati hunc recitant Nocturnum sufficit ut dicant Psalmos, cum respectivis Antiphonis, neque addendi sunt Psalmus: *Venite exultemus* etc., Hymnus et Lectiones (D. 4117).

2619. — De Ordinandis ad Diaconatum. — Ordinandi, invitante Archidiacono, ante Altare se conferunt et genuflectunt in latere Epistolae ac se prosternunt. Litaniis completis, surgunt et revertuntur ad suum locum.

Quando vero Notarius Ordinandos nomine vocat, postquam Archidiaconus dixerit: *Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum,* **singuli** surgunt et respondent: *Adsum,* dein procedunt ante Altare; quo cum ultimus vocatus pervenerit, omnes in semicirculum genuflectunt.

Decantatis ab Episcopo verbis Praefationis: *quae sunt agenda concedere,* **primus Ordinandus** surgit, ante infimum Altaris gradum se confert, genuflexionem facit, suppedaneum conscendit super quod genuflectit. Postquam Episcopus dexteram imposuerit, **Ordinandus** surgit, descendit, genuflexionem peragit et in plano Presbyterii ut prius genuflectit.

Dum primus Ordinandus de Altari descendit, **secundus Ordinandus** surgit, se confert ante infimum Altaris gradum et una cum **primo Ordinando** genuflexionem peragit ac postea se gerit ut primus et ita se, deinceps, **ceteri Ordinandi** gerunt.

Praefatione completa, **primus Ordinandus** accedit, ut prius, ad Episcopum, stolam deosculatur et, prolatis ab Episcopo verbis: *Accipe stolam candidam* etc., dicit: *Arnen;* deinde accipit dalmaticam dum Episcopus dicit: *induat te* etc., qua pariter formula completa, respondet: *Arnen.*

Postquam ultimus indutus fuerit, **primus Ordinatus** accedit ad Episcopum et dexteram manum Missali imponit, ut diximus de Lectoribus sub n. 2614, neque eam removet, nisi postquam ab Episcopo recitata fuerit integra formula: *Accipite potestatem* etc.; qua formula absoluta, respondet: *Arnen,* ac postea descendit.

Dum **primus Ordinatus** de Altari descendit **secundus** accedit ante infimum Altaris gradum et una cum **primo Ordinato** genuflexionem peragit ac postea se gerit ut primus et ita se, deinceps, **ceteri Ordinati** gerunt.

Ordinati, invitante Archidiacono, revertuntur ad suum locum.

Ad oblationem candelarum se gerunt ut infra dicemus (v. n. **2626**).

2620. — Unus de Diaconis novis Ordinatis, nempe primus, Cae-remoniario secundo invitante, dum Episcopus legit Evangelium, in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, circa finem cantus Sequentiae se confert ad abacum, ab eodem Caeremoniario accipit Evangeliarium, quod ante pectus elevatum tenet, utraque manu, ad inferiores angulos cum apertura ad suam sinistram conversa; ad Altare procedit et ante infimum gradum Cruci genuflexionem peragit, ascendit et in medio Altaris librum clausum deponit (D. 4077 ad 3) cum apertura cornu Evangelii versa, dein per gradus laterales ad Thronum pergit, ibique consistit ante infimum gradum; Episcopo genuflexionem peragit, ascendit ad Thronum et genuflexus deosculatur Episcopi manum 'dexteram, tum descendit, genuflexionem iterat et revertitur per planum ad medium Altaris, ubi genuflexus super infimum eius gradum, capite inclinato iunctisque manibus,

secreto dicit: *Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Arnen.*

Quibus prolatis verbis, ascendit Altare, accipit Evangeliarium, uti supra, descendit et apud infimum gradum versus cornu Epistolae, expectat ad dexteram Subdiaconi donec sit tempus eundi. Ad nutum Caeremoniarii secundi, cum aliis genuflexionem peragit Cruci, et procedit ad Thronum, solus incedens post Subdiaconum; quo cum pervenerit, ante Episcopum genuflexus benedictionem petit dicens: *lube, domne, benedicere* et genuflexus manet donec benedictionem acceperit. Tum **Diaconus** surgit, genuflexionem Episcopo facit, ac procedit ad Evangelium canendum, eodem ordine quo ad Thronum accesserat. Quum venerit ad locum in quo Evangelium cantari solet, **Diaconus** aperit librum et ponit in manibus Subdiaconi, vel illum in legili ponit, dein aperit, et, iunctis manibus, cantat: *Dominus vobiscum,* postea disiungens manus ponit sinistram super Missale (D. 2572 ad 11) ac pollice dextero, quem dimovet a reliquis digitis extensis iunctisque invicem, signat principium textus Evangelii interim cantans: *Sequentia,* dein seipsum signat, sinistra infra pectus posita, in fronte ad verba: *sancti Evangelii;* in ore nihil dicens; in pectore ad verba: *secundum.* Dum a Choro canitur: *Gloria tibi Domine,* thuribulo a secundo Caeremoniario accepto, Evangeliarium thurificat, praemissa reverentia, in medio, a dextris et a sinistris ipsius libri, reverentiam iterat, thuribulum Caeremoniario tradit et, iunctis manibus, Evangelium canere incipit. Ad nomen Iesu, Mariae et Sancti cuius fit specialis Commemoratio, erga librum flectit caput, nisi vero nomen occurrat in titulo (D. 3767 ad 25). Completo Evangelii cantu, indicat Subdiacono principium Evangelii; si vero Evangeliarium collocatum fuit in legili, tunc de eo sumit et apertum tradit Subdiacono, eique initium sacri textus monstrat, deinde pergit ad suum locum.

Primus Ordinatus, recitata Oratione: *Domine Iesu Christe* etc., se gerit ut infra dicemus (v. n. 2627).

Pro Nocturno talis diei, etc., vide quod notavimus sub n. **2618.**

2621. — De Ordinandis ad Presbyteratum. **— Ordinandi,** Archidiacono invitante, se ante Altare conferunt et genuflectunt in medio Presbyterio ac se prosternunt. Completis Litaniis, surgunt et, suggerente Archidiacono, revertuntur ad suum locum.

Quando vero Notarius Ordinandos nomine vocat, postquam Archidiaconus dixerit: *Accedant qui ordinandi Sunt ad ordinem*

Presbyteratus, singuli surgunt et respondent: *Adsum,* dein procedunt ante Altare; quo cum ultimus vocatus pervenerit, omnes in semicirculum genuflectunt.

2622. — Completa monitione, **primus Ordinandus** surgit, ante infimum Altaris gradum se confert, genuflexionem peragit, conscendit suppedaneum, super quod genuflectit, pro impositione Episcopi manuum; quibus impositis, surgit, genuflexionem peragit et se confert ante primum Canonicum stantem ad Diaconi dexteram, genuflectit et, impositis ab eo manibus, surgit et transit ante secundum Canonicum et sic deinceps, dein se recipit ad suum locum et genuflectit ut prius.

Dum primus Ordinandus Altare ascendit, **secundus Ordinandus** surgit et ante infimum gradum se confert, genuflexionem peragit, dum primus post manuum impositionem facit eam in gradu ante suppedaneum, Altare ascendit; ut primus se gerit et ita se gerunt **ceteri Ordinandi.**

Completa Praefatione, **Ordinandus primus** accedit ad Episcopum, ut prius, ab eo accipit stolam et post formulam: *Accipe iugum Domini* etc., nihil respondet; pronuntiata ab Episcopo formula: *Accipe vestem sacerdotalem* etc., respondet: *Deo gratias,* dein de Altari descendit et ad suum locum se recipit.

Dum primus Ordinandus planctam recipit, **secundus Ordinandus** surgit et se gerit ut primus.

Accepto ab Episcopo gremiali postquam decantata fuerit prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., **Ordinandus primus,** more solito, accedit ad Episcopum, ante ipsum sustinet apertas manus iunctas cum digitis ac pollicibus iunctis. Postquam Episcopus dixerit: *Ut quaecumque* etc., Ordinandus respondet: *Arnen,* dein manus clausas praebet Caeremoniario qui ei ligat, ac postea descendit.

Dum Caercmoniarius manus primo Ordinando ligat, **Ordinandus** secundus surgit more solito, ad Episcopum accedit et se gerit ut primus.

Postquam Episcopus manus ultimi Ordinandi unxerit, **primus Ordinandus** iterum surgit et, ut alias, ad Episcopum accedit; ante eum genuflexus, manibus adhuc involutis, tangit digitis mediis cuppam Calicis, indicibus tangit Patenam et hostiam dum Episcopus profert integram formulam: *Accipe potestatem* etc.; qua completa, Ordinatus respondet: *Arnen,* ac postea descendit in planum, genuflexionem peragit, se confert ad Sacristiam Altari maiori contiguam, vel ad abacum, ubi manus lavat et abstergit.

Dum primus Ordinandus tangit Calicem et Patenam **secundus Ordinandus** surgit; se ut primus gerit et sic deinceps **ceteri Ordinandi.**

Lotis et abstersis manibus, **Ordinandi** accedunt ad suum scamnum.

Ad candelarum oblationem se gerunt ut infra dicemus (v. n. **2626).**

Quum Episcopus, abstersis manibus post candelarum oblationem, accedit ad Altare, **Ordinati** de suo loco discedunt, in terra genuflectunt apud Altare ante scamnum et cum Episcopo recitant voce unisona, innetis manibus: *Suscipe, sancte Pater* etc., et omnia alia de Missa, nullum signum Crucis facientes aut aliam caeremoniam. Non recitant Orationem: *Per intercessionem* etc., et reliquas ad oblatorum et Altaris thurificationem. Quae Episcopus cantat **Ordinati** recitant.

Advertant **Ordinati** quod praesertim verba consecrationis pausatim et iunctim cum Episcopo dicant.

Recitata Oratione: *Domine lesu Christe* etc., **primus Ordinatus** se gerit ut infra dicemus (v. n. 2627).

2623. — Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, **duo primi Ordinati** surgunt, se ante Altare conferunt, genuflexionem peragunt, ascendunt, genuflectunt in suppedaneo; deosculatus Episcopi annulum, sacram Communionem recipiunt; interim **alii duo Ordinati** se conferunt ante Altare, genuflexionem peragunt et, duobus prioribus communicatis, ascendunt; **duo vero priores** incedentes hinc et inde oblique descendunt ad latera **tertii paris Ordinatorum** et, facta cum eo genuflexione in plano, accedunt ad cornu Epistolae pro purificatione, deinde iterata genuflexione in plano, ad suum scamnum redeunt.

Communicatis aliis duobus Ordinatis, ascendit **tertium par;** descendentibus illis ad latera quarti paris, ut supra, et sic deinceps.

2624. —Circa finem cantus Responsorii: *Iam non dicam* etc., **Ordinati** surgunt, procedunt ante Altaris gradum et in semicirculum consistunt; cantu absoluto, **Ordinati** simul recitant: *Credo in Deum* etc., dein **unus** post **alium,** ut alias, accedunt ad Episcopum et ante eum genuflectunt. Postquam Episcopus expediens planetam dixerit: *Stola innocentiae* etc., **Ordinatus** ponit manus suas iunctas inter Episcopi manus et interrogationi: *Promittis mihi* etc., respondet: *Promitto;* dicto ab Episcopo: *Pax Domini* etc., respondet: *Arnen,* dein revertitur ad suum locum ante Altare.

Postquam Episcopus benedictionem donaverit, omnes surgunt, genuflexionem peragunt et se ante scamnum recipiunt ubi una cum Episcopo legunt Antiphonam « *Communio* » dictam et reliqua,

sed non proferunt verba benedictionis, scilicet: *Sit nomen Domini* etc. Ordinati post admonitionem recitant Evangelium S. Ioannis.

2625. — Tres Missae, una de Spiritu Sancto, altera de Beata Maria Virgine, tertia pro defunctis quae ab Episcopo ordinante praecipiuntur, sequuntur regulas Missarum votivarum et dici debent diebus quibus permittuntur Missae votivae, sive privatae sive solemnes (v. n. 1510, 1516) prout vel recitantur vel canuntur (D. 2802 ad 4); Missa pro defunctis erit quotidiana cum tribus Orationibus.

Sola Missae qualitas non vero applicatio praecipitur.

2626. — De candelarum oblatione. — Lecto ab Episcopo Offertorio, Ordinati de suis locis discedunt et, genuflexione Cruci peracta, accedunt unus post alium ad Thronum. Praecedunt Presbyteri, dein Diaconi, Subdiaconi, etc., omnes candelas accensas sustinentes; cum ante infimum gradum unusquisque Ordinatus pervenerit, genuflexionem Episcopo peragit, Thronum ascendit, genuflectit super gradum Cathedrae et candelam offert Episcopo cuius manum dum accipit candelam deosculatur, surgit, in planum Solii descendit e latere transiens ante secundum Diaconum Assistentem; genuflexionem Cruci facit et ad suum locum revertitur.

Si Ordinatorum numerus magnus sit, toleratur usus ut una tantum candela accendatur quae a singulis Ordinatis Episcopo offeratur (D. 2682 ad 7), quinimo et iuxta praxim Sacrosanctae Basilicae Lateranensis et Decretum sub n. 2883 ad 4, sufficit ut unus in quolibet Ordine accensum offerat cereum.

2627. — De pacis osculo. — Recitata Oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., primus Presbyter ordinatus, primus Diaconus et primus Subdiaconus surgunt et ante infimum Altaris gradum se conferunt ac genuflexionem peragunt; dum Subdiaconus Missae pacem accipit, primus Presbyter ordinatus, absque genuflexione, Altare conscendit et post eumdem Subdiaconum, ne eum descendentem impediat, innetis manibus, unico genu peragit genuflexionem, Altare non osculatur et pacem ab Episcopo accipit appropinquans sinistram genam sinistrae eius et complectitur Episcopum utraque manu infra brachia, seu brachia sua supponit brachiis Episcopi (D. 2915 ad 7) respondens: *Et cum spiritu tuo.*

Tum statim genuflexionem peragit, descendit in planum et se confert ad suum locum et pacem dat secundo Presbytero ordinato. Dum primus Presbyter ordinatus pacem accipit, primus Diaconus ordinatus ascendit Altare et se gerit ut primus Presbyter et ita primus Subdiaconus ordinatus dum primus Diaconus pacem accipit.

Ultimus Subdiaconus ordinatus, pacem acceptam dat primo Acolytho ordinato, ultimus Acolythus primo Exorcistae, ultimus Exorcista primo Lectori, ultimus Lector primo Ostiario, ultimus Ostiarius primo Clerico, hic secundo Clerico, etc.

2628. — De Communione Ordinatorum. — Postquam Presbyteri novi ordinati sacram Communionem acceperint, **ceteri ordinati** de suis locis discedunt et se in medium Presbyterium conferunt ibique genua flectunt; quum Diaconus Missae canit: *Confiteor Deo* etc., **Diaconi** et **Subdiaconi** illud submissa voce recitant. Recitato ab Episcopo: *Indulgentiam* etc., **duo primi Diaconi ordinati se** gerunt ut supra diximus de novis Presbyteris (v. n. 2623).

Recitata ab Episcopo formula: *Corpus Domini nostri Iesu Christi* etc., **unusquisque Ordinatus** manum Episcopi deosculatur et respondet: *Arnen.*

Articulus VIII.

De Canonicis deque ceteris Choralibus in s. Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali solemniter habenda in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2629. — Canonici, habitu chorali induti, more solito, associant Episcopum (v. n. 519).

Quum Episcopus ad Altare maius pervenerit, facta brevi oratione, surgunt, et ad suum stallum procedunt; loco Horae Tertiae, canitur Hora Nona; qua completa, ad nutum Caeremoniarii secundi, pergunt vel ad Sacristiam Altari maiori contiguam, vel ad Sacristiam Capitularem, ubi paramenta assumunt. Quum ad Altare reversi fuerint, facta brevi oratione, consistunt et se gerunt more solito.

2630. — Tempore Ordinationis Chorales omnes, dum Episcopus sedet, sedere possunt, sed post cantum primae strophae Hymni: *Veni, Creator* etc., consistunt.

2631. — Circa finem admonitionis Ordinandis ad Presbyteratum, Dignitates et Canonici Presbyteri invitante Caeremoniario, de suis locis discedunt; debitis cum reverentiis, se conferunt ad cornu Evangelii et iuxta ordinem praecedentiae se collocant ad dexteram Diaconi Missae atque imponunt ambas manus capiti cuiuscumque Ordinandi ad Presbyteratum, dein sinistra manu pectori posita,

extendunt manum dexteram versus eosdem Ordinandos, donec Episcopus compleat invitationem ad Orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc.

2632. — Cantores postquam Episcopus in Faldistorio in medio suppedaneo collocato genuflexerit, et Ordinandi super pavimentum se prostraverint, incipiunt Litanias Sanctorum, quibus **adstantes** respondent; decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., desinunt cantum, quem reassurnunt ad Versiculum: *Ut nos exaudire* etc., postquam Episcopus genuflexerit, decantato tertio: *Ut hos electos* etc.

Cantores canunt Tractum usque ad ultimum Versum exclusive; in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, post Tractum canunt Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive.

Chorus cantat: *Sanctus* etc., *Agnus Dei* etc., postquam Episcopus cum novis Ordinatis ea recitaverit.

Intonatum ab Episcopo Responsorium: *Iam non dicam* etc. **Cantores** prosequuntur.

Antiphona « *Communio* » dicta a **Cantoribus** canitur postquam ab Episcopo et a novis Presbyteris lecta fuerit.

Articulus IX.

De Notario in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2633. — Notarius, statuta hora, habitu talari indutus, deferens elenchum Ordinandorum accedit ad locum designatum, in cornu Epistolae, et se Choralibus conformat in sedendo, stando et genuflectendo. Postquam Archidiaconus dixerit: *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram,* Notarius surgit et, elata voce, singulos appellat nomine et cognomine, absque ullo titulo. Notarius, postquam primum Ordinandum appellaverit, expectat donec respondeat: *Adsum.* Et ita se gerit quando vocat ceteros Ordinandos, sed quando vocat Ordinandos ad Subdiaconatum nomini et cognomini adiungit titulum quo ordinantur, nempe: *ad titulum beneficii;* vel: *patrimonii Ecclesiae N.;* vel: *patrimonii sui.* Si Ordinandus sit regularis dicit: *Frater N. N., professus Ordinis S. N., ad titulum paupertatis;* vel: *mensae communis,* iuxta privilegia religiosae familiae. Quando appellat Ordinandos ad Diaconatum et ad Presbyteratum omittere potest titulum Ordinationis.

Articulus X.

De Caeremoniariis in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2634. — De Caeremoniario primo. — Recitata in Choro Hora Sexta et omnibus rite dispositis, Caeremoniarius primus signum associandi Episcopum dat, et more solito se gerit, sed Episcopum post adorationem SS. Sacramenti ad Altare maius ducit.

Si Officium sit de Sabbato, praemoneat Episcopum ut dum cantatur Versiculus, post Responsorium, accedat ad Faldistorium.

Dum Episcopus confert Ordines, sistit apud Diaconum Missae, cui porrigit instrumenta Ordinandis tradenda. Postquam Episcopus unxerit manus Ordinandis ad Presbyteratum, Caeremoniarius ligat eis manus linteolo.

2635. — De Caeremoniario secundo. — Dum Canonici pergunt ad Episcopum associandum, Caeremoniarius ducit Ordinandos ad designata loca in Presbyterio. In reliquis, se gerit more solito. Quando Ordinandi a Notario vocati accedunt ante Altare, eis indicat locum ubi genuflectere debent.

2636. — Dispositio Ordinandorum ante Altare.

0 0 o o 0

2637. — Quando Ordinandi ad Episcopum accedere debent, eos invitat. Ordinatis Ostiariis, Caeremoniarius ducit Archidiaconum et Ostiarios ad Ecclesiae portam, dein ad turrim vel ad Sacristiae ostium.

2638. — Dispositio Ordinandorum ad Litaniarum cantum.

2639. — Curet Caeremoniariusjut lotio et abstersio manuum Presbyterorum ordinatim et celeriter fiat.

Dum Episcopus Offertorium legit, invitat Ordinatos ad candelarum oblationem. Decantato ab Episcopo: *Pater noster* etc., praemoneat primos Ordinatos ad Presbyteratum, Diaconatum et Subdiaconatum ut pacem ab Episcopo accipiant post Subdiaconum Missae.

Ut rite et expedite Ritus sacrae Ordinationis persolvatur, Caeremoniarii prae oculis habeant Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2684, vel sub n. 2685 pro re.

Articulus XI.

De Ministris libri et candelae in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2640. — Ministri libri et candelae, de quorum Officio generatim diximus sub n. 554 et 555, pçoeedunt cum aliis ad associandum Episcopum et se gerunt ut in Art. X Cap. I Partis ili, sed pergunt ad Sacristiam, ad pluvialia induenda, Hora Nona completa.

Si vero Officium de Sabbato fit, dum canitur Versiculus post Responsorium, accedunt ad Faldistorium et ante Episcopum genuflectunt dum preces recitat; decantatis ab Episcopo verbis: *Domine, exaudi* etc., surgunt et Minister libri Breviarium Presbytero Assistenti tradit.

Lecto ab Episcopo: *Kyrie,* et in Sabbato ante Dominicam de Passione Introitu, Ministri ad abacum procedunt. Dum Notarius Tonsurandos vocat, Minister libri sumit ex abaco Pontificale Romanum et, postquam ultimus Tonsurandus responderit: *Adsum,* accedit ad Episcopum una cum Ministro de candela et coram eo ambo sistunt, sed Minister libri aliquantulum versus sinistram, Minister candelae versus dexteram. Monitione Tonsurandis ab Episcopo facta, ambo de Altari descendunt et ad abacum pergunt. Minister libri, deposito Pontificali, sumit Missale; uterque ad Thronum procedit.

Lecta ab Episcopo prima Lectione, in Sabbato vero ante Dominicam de Passione lecto: *Kyrie, eleison* etc., Ministri ad abacum revertuntur. Postquam ultimus Ordinandus ad officium Ostiariorum responderit: *Adsum,* ambo ad Episcopum revertuntur. Traditis clavibus Ordinatis, Ministri de Altari descendunt et consistunt ante infimum eius gradum. Quum vero Ordinati ad Altare reversi fuerint, iterum Ministri ad Episcopum accedunt. Oratione: *Domine sancte Pater* etc. absoluta, de Altari descendunt et procedunt ad abacum, ubi Minister libri, deposito Pontificali, sumit Missale; ambo ad Thronum procedunt; lecta ab Episcopo secunda Lectione, ad abacum revertuntur et, postquam ultimus Ordinandus ad Officium Lectorum responderit: *Adsum,* accedunt ad Episcopum et ita se gerunt in collatione aliorum Ordinum minorum.

In Sabbato ante Dominicam de Passione, ordinatis Ostiariis, de Altari descendunt et sistunt ante infimum gradum, donec ultimus Ordinandus ad officium Lectorum responderit: *Adsum,* et ita se gerunt in collatione aliorum Ordinum minorum.

2641. — Acolythis ordinatis, Ministri accedunt ad abacum, ubi Minister libri, deposito Pontificali, sumit Missale, dein ambo ad Thronum procedunt. Lecta ab Episcopo quinta Lectione, in Sabbato vero post Dominicam de Passione post cantum Orationum, ad abacum revertuntur.

2642. — Vocato a Notario ultimo Ordinando ad Subdiaconatum, Ministri accedunt ad Altare; post monitionem, ad abacum iterum se conferunt. Decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Ministri accedunt ad Episcopum et coram eo consistunt.

Postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hos electos* etc., ad abacum procedunt.

Completis Litaniis, rursus ad Episcopum accedunt; tradito libro Epistolarum Ordinatis, Ministri ad abacum se conferunt, ubi Minister libri, deposito Pontificali, sumit Missale; in Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes sumit Canonem Pontificalem, dein uterque ad Thronum procedit.

In Sabbatis Quatuor Temporum, lecto ab Episcopo Cantico, Ministri de Throno descendunt, iterumque ad Episcopum accedunt postquam Canticum a Cantoribus absolutum fuerit, pro lectione Epistolae; qua completa, ad abacum revertuntur, ubi Minister libri Missale deponit et sumit Pontificale Romanum. Et ita se gerunt in Sabbato ante Dominicam de Passione, sed non legitur Canticum ab Episcopo.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes se gerunt ut ad cantum Hymni Angelici in Missis pontificalibus et post Epistolam ut supra.

2643. — Postquam ultimus Ordinandus ad Diaconatum responderit: *Adsum,* accedunt ad Episcopum. Tradito ab Episcopo Evangeliario omnibus Ordinatis, Ministri de Altari descendunt, ad abacum procedunt, ubi Minister libri, deposito Pontificali, sumit Missale, dein ambo ad Thronum accedunt; lecto ab Episcopo Tractu usque ad ultimum Versum exclusive, in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes lecta Sequentia pariter usque ad ultimum Versum exclusive, de Throno descendunt et ad abacum procedunt, ubi Minister libri deponit Missale et sumit Pontificale Romanum.

2644. — Postquam ultimus Ordinandus ad Presbyteratum responderit: *Adsum,* accedunt ambo ut alias ad Episcopum. Absoluta Oratione: *Deus sanctificationum* etc., Minister libri genuflectit ad sinistram Diaconi, sustinens librum versus Episcopum; Minister candelae genuflectit ad dexteram Subdiaconi. Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., ambo surgunt et, postquam Episcopus acceperit gremiale, iterum genuflectunt coram eo.

Tradito Calice cum Patena Ordinandis, Ministri descendunt, ad abacum pergunt, ubi Minister libri deponit Pontificale Romanum, Missale sumit ac postea ambo ad Thronum procedunt et more solito se gerunt.

2645. — Quum Presbyter Assistens transfert Missale ad cornu Epistolae, Minister libri sumit ex abaco Pontificale et in legili, in

cornu Epistolae collocato, illud ponit apertum ad Responsorium: *Jam non dicam* etc.; quo ab Episcopo lecto, e legili tollit Pontificale et collocat Missale apertum ad Antiphonam «*Communion* dictam.

Recitato a novis Presbyteris ordinatis: *Credo in Deum* etc., **Ministri** accedunt ut alias ad Episcopum; benedictione iisdem Presbyteris impertita, ad abacum revertuntur, et ad Episcopum redeunt, publicata Indulgentia a Presbytero Assistente. Post monitionem, ad abacum se conferunt et se more solito gerunt.

Articulus XII.

De Ministris mitrae et baculi in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2646. — Ministri mitrae et baculi, de quorum officio iam generatim diximus sub n. 556 et 557, procedunt cum aliis ad associandum Episcopum et se gerunt ut in Art. XI Cap. I Partis III, sed pergunt ad Sacristiam, ad pluvialia sumenda, Hora Nona completa, et animadvertant sequentes variationes.

- De Ministro mitrifero. — Minister mitrae

	mitram tradit:	mitram recipit:
I Diae. Ass.:	Diacono Missae:	a II Diae. Ass.: a Diae. Missae:
in Sabbato ante Dominicam de Passione, lecto ab Episcopo Introitu;		
in Sabb. Quat. Temp, post: *Kyrie, eleison* etc.;		omnibus tonsis;
	post Orationem *Praesia, quaesumus* etc.;	repetita Antiphona: *Hic accipiet* etc.;
	post Orationem: *Adesto, Domine* etc.;	

	[mitram tradit:]		[mitram recipit:]	
1 Diae. Ass.: completa Oratione, vel post: *Kyrie, eleison* etc., in Sabb. ante Dominicain de Pass.;	Diacono Missae: post Orationem: *Domine sancte Pater* etc. Et ita se gerit in collatione aliorum Ordinum minorum;	completa Oratione: *Omnipotens sempiterne* etc.;	a II Diae. Ass cum Episcopus ad Thronum pervenerit;	a Diae. Missae: ante Orationem: *Omnipotens sempiterne* etc.; post invitationem ad Orationem: *Deum Patrem omnipotentem* etc., et ita se gerit in collatione aliorum Ordinum minorum;
in Sabb. Quat. Temp, post Orationem ante quintam Lectionem;		in Sab b. Quat. Temp, cum Episcopus pervenerit ad Thronum, lecto Versiculo. Et ita se gerit in collatione aliorum Ordinum minorum; et etiam in Sabbato ante Dom. de Passione cum Episcopus pervenerit ad Thronum, ordinatis Acolythis;		in Sabb.ante Dom. de Passione,ante Orationem: *Domine sancte* etc.;

	[mitram tradit:]		[mitram recipit:]	
I Diae. Ass.:	Diacono Missae:	a II Diae. Ass.:	a Diae. Missae:	
in Sabb.ante Dom. de Passione, completis Orationibus;			post invitationem ad Orationem: *Oremus Deum ac Dominum nostrum* etc.;	
	completa Oratione: *Domine sancte* etc.;			
		cum pervenerit ad Thronum, ante Orationes. In Sabb. Quat. Temp. Pentecostes, ante: *Gloria in excelsis* etc.;		
in Sabb. Quat. Temp, completis Orationibus; in Sabb. Quat. Temp. Pentecostes, recitato Hymno Angelico;				
			in Sabb. Quat. Temp. Pentecostes decantato a Choro Hymno Angelico;	
in Sabb. Quat. Temp. Pentecostes, decantatis Orationibus.				
	completa Praefatione;			ante Praefationem;
	post Orationem: *Domine sancte* etc.;			omnibus Ordinatis libro Evangeliorum tradito;
	completa Praefatione;			post Orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc.;

	[mitram tradit:]	[mitram recipit:]
I Diae. Ass.:	Diacono Missae:	a II Diae. Ass.: a Diae. Missae:
		ante Orationem: *Deus sanctificationum* etc.;
	post primam strophamHymni: *Veni,Creatoretc* ;	
	anteEvangelii cantum.	
	lecto Responsorio: *Iam non dicam* etc.;	
		ante Antiphonam «*Communio*» dictam;
	post benedictionem, nisi iam mitram habeat.	
		admonitione Ordinatis habita.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, antequam Episcopus procedat a Throno ad Altare, recipit a secundo Diacono Assistente mitram auriphrygiatam eique pretiosam tradit.

II. - De Ministro baculi. — Quoties Episcopus procedit de Throno ad Altare, vel de Altari ad Thronum, Minister semper Episcopo porrigit baculum et ab eo recipit cum vel ad Altare, vel ad Thronum, pervenerit. Praeterea baculum Episcopo porrigit, dicto Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., et ab eo recipit, postquam tertio dixerit: *Ut hos electos* etc. Episcopo etiam baculum porrigit, postquam novis Presbyteris ordinatis dixerit: *Quia res... ad celebrandum Missam accedatis,* et ab eo recipit ante Antiphonani «*Communio*» dictam.

Articulus XIII.

De ceteris Ministris inferioribus in s. Ordinatione generali solemniter habenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2647. — I. - De Acolytho. — Acolythus se ut in aliis Missis pontificalibus gerit (v. n. 966, VI), sed ad Thronum procedit, lancem deferens, absoluta Hora Nona.

In Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes Acolythus:

sumitexabaco mitram pretiosarr, eamque Ministro mitrae defert:	a Ministro mitrae accipit mitram pretiosam et eam super abacum deponit:
dum Episcopus Introitum legit;	cum Episcopus ad Altare pervenerit pro conferenda prima tonsura;
dum Episcopus legit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.;	cum Episcopus pervenerit ad Altare pro Ostiariorum ordinatione;
dum Episcopus legit invitationem ad Orationem: *Deum Patrem omnipotentem* etc., et ita se gerit post collationem aliorum Ordinum minorum;	quum Episcopus pervenerit ad Thronum, et ita se gerit in collatione aliorum Ordinum minorum;
dum Lector accedit ad Thronum ad Episcopi manum deosculandam, et ita se gerit ad alias Lectiones;	quum Episcopus pervenerit ad Altare;
dum Episcopus ultimo Ordinato ad Subdiaconatum librum Epistolarum tradit;	ante: *Gloria in excelsis* etc.;
circa finem lectionis Epistolae;	cum Episcopus pervenerit ad Altare;
tradito libro Evangeliorum Ordinatis ad Diaconatum;	cum Episcopus ad Thronum pervenerit;

dum canitur ultimus Versus Sequentiae;

cum Episcopus ad Altare pervenerit.

tradito Calice cum Patena ultimo Presbytero ordinato.

Acolythus, si Episcopus chirothecas dimittit in tondendis capillis, dum incipitur a Choro Antiphona: *Tu es, Domine* etc., sumit ex abaco lancem et accedit ad Episcopum; acceptas chirothecas in lance deponit super abacum; omnibus tonsis, lancem reassumit et ad Episcopum accedit. Similiter, decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., sumit iterum lancem et accedit ad Episcopum; acceptas chirothecas super abacum deponit; lancem reassumit dum Episcopus manus lavat, postquam omnibus Ordinatis ad Presbyteratum Calicem cum Patena tradiderit.

11. - De Ministro de gremiali. — Minister de gremiali se gerit ut in aliis Missis pontificalibus (v. n. 966, III), praeterea gremiale tradit primo Diacono Assistenti, accepta ab Episcopo mitra ante singulas Lectiones, et a secundo Diacono recipit postquam Lector Episcopi manum deosculatus fuerit.

Tradit vero gremiale Diacono Missae, quando Episcopus pervenerit ad Faldistorium ante collationem primae tonsurae et singulorum Ordinum et ab eo recipit, admonitione Ordinandis peracta. In Sabbato vero ante Dominicam de Passione, quando Episcopus ad Altare pervenerit, ante ordinationem Ostiariorum, gremiale Diacono tradit et ab eo recipit post monitionem; iterum tradit cum Episcopus post Orationem: *Domine sancte* etc. mitram accipit et ita se gerit in aliorum Ordinum minorum collatione, sed post ordinationem Acolythorum gremiale non tradit.

Quando Episcopus ad Faldistorium pervenerit pro Ordinum maiorum collatione, similiter gremiale tradit Diacono, sed in ordinatione Subdiaconorum gremiale recipit ante Litanias; quibus absolutis, iterum Diacono gremiale porrigit et ab eo recipit post admonitionem: *Adepturi* etc.

In Ordinatione Diaconorum et Presbyterorum recipit gremiale ante Orationem: *Fratres carissimi* etc.

HI. - De Ceroferariis. — Ceroferarii se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus (v. n. 966, V), praeterea si Officium fit de Sabbato non tollunt de medio Presbyterio Faldistorium; dum canitur Versiculus post Responsorium, una cum Ministris de libro et candela

accedunt ad Faldistoriuni et consistunt a lateribus, facie ad invicem conversa. Depositis candelabris super abacum, amovent Faldistoriuni et congruo in loco illud collocant.

Dum canitur: *Kyrie, eleison,* in Sabbato ante Dominicam de Passione vero dum canitur Introitus, collocant Faldistoriuni in medio suppedaneo quod amovent, ordinatis Presbyteris.

Dum Chorus incipit Antiphonam: *Tu es, Domine* etc., **Cerofera-rius primus** sumit ex abaco gremiale lineum, **alter** vero forfices et pelvini; omnia tradunt Diacono: si Episcopus chirothecas dimittat, **Ceroferarius primus** sumit etiam lancem.

Omnibus tonsis, **Ceroferarius primus** recipit gremiale lineum, quod reponit super abacum; **alter** forfices et pelvim quas in Sacristiam defert.

Monitione ab Episcopo facta Ostiariis, sumit ex abaco claves; Lectoribus et Exorcistis, Missale; Acolythis, ceroferarium parvum et urceolum, quae omnia, singulis vicibus, tradit Diacono atque ab eo recipit.

Monitione ab Episcopo facta Subdiaconis post Litanias, **Cero-ferarius primus** sumit ex abaco Calicem vacuum cum Patena et Diacono tradit, alter ampullas aquae et vini cum manutergio in lance et porrigit Archidiacono; quibus super abacum depositis, **Ceroferarius primus** sumit librum Epistolarum, quem, omnibus Ordinandis tunicella indutis, Diacono tradit; ita se gerit in ordinatione Diaconorum.

Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., **Cerofe-rarius primus** sumit ex abaco gremiale lineum et tradit Diacono; **alter** sumit vasculum Olei Catechumenorum ac sistit apud dexteram Episcopi; unctione peracta, deponit vasculum super abacum, ex quo sumit Calicem cum vino et aqua et una cum Patena Diacono porrigit. Lecto ab Episcopo Offertorio, **Ceroferarii** accedunt ad Thronum et consistunt ad dexteram Diaconi primi Assistentis a quo candelas recipiunt.

Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, se gerunt ut in Feria Quinta in Coena Domini ad Cleri Communionem (v. n. 1750, V).

Recitato a Presbyteris novis ordinatis: *Credo in Deum* etc., **Ceroferarii** collocant Faldistoriuni in medio suppedaneo, quod tollunt postquam Episcopus iisdem Presbyteris benedictionem donaverit, et iterum illud collocant, benedictione in fine Missae impertita; monitione ab Episcopo Ordinatis absoluta, Faldistoriuni tollunt.

IV. De Thuriferario. — Thuriferarius se gerit ut in aliis Missis pontificalibus (v. n. 966, IV).

CAPUT V.

DE SACRA ORDINATIONE GENERALI SOLEMNITER HABENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI IN SABBATO SANCTO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2648. — Omnia praeparantur ut notavimus in Articulo I Capitis XXV, Partis IV, praeterea:

I. - Super abacum collocantur: lanx cum forficibus; claves in lance; Missale; parvum candelabrum cum candela; urceolus vacuus; Calix cum Patena; ampullae plenae aquae et vini in pelvicula cum manutergio; Calix cum vino et paucis guttis aquae et Patena cum hostia; vasculum cum Oleo Catechumenorum in pelvicula et aliquantulum gossypii; gremiale lineum cum tends; vasa vitrea cum vino et purificatoria; medulla panis et mali medici in lance; Pyxis cum particulis in numero respondenti Ordinandis; tobalea sustinenda ante Communicandos; Pontificale Romanum.

II. - In Sacristia Altari maiori contigua, vel, si possibile, a tergo Altaris praeparatur mensa, alba tobalea contecta, super quam collocantur plures urcei cum pelvibus et manutergiis cum aliquantula medulla panis et mali medici in numero sufficienti pro novis Presbyteris.

III. - In Presbyterio statuuntur scamna, panno cooperta, pro Ordinandis; praesto sint scabella pro novis Presbyteris Missam concelebraturis cum Episcopo.

IV. - In Sacristia maiori praeparantur mensae super quas disponuntur paramenta albi coloris pro Ordinandis (v. n. 2555, I).

Articulus II.

In Functione.

'2649. — Omnes se gerunt ut in Sabbato Sancto usque ad Litanias exclusive, et etiam **Ordinandi** se aliis Choralibus conformant, sed cum Processio, post Fontis benedictionem, pervenerit ad Altare maius, **Ordinandi ad maiores ordines** consistunt ad latera Presbyterii; postquam Episcopus transierit, genuflectunt et se prosternunt ut sub n. **2615, 2619, 2621** respective diximus.

Episcopus, decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., se gerit ut sub n. 2567 notavimus.

2650. — Omnes pariter ad Missam se gerunt ut in Sabbato Sancto, sed advertant variationes respicientes ad sacram Ordinationem, scilicet:

I. - **Episcopus**, decantato a Cantoribus: *Kyrie, eleison* etc., ordinat ad primam clericalem tonsuram; post Angelicum Hymnum, confert quatuor Ordines minores; post Orationem, cui additur alia pro Ordinandis, sub unica conclusione, ordinat ad Subdiaconatum; post cantum Epistolae ordinat Diaconos.

II. - Subdiaconus Missae, Diaconis ordinatis et Episcopo in Throno sedente, accedit, comite Caeremoniario secundo, ad Thronum et dicit: *Reverendissime Pater* etc., ut sub n. 1894, I notavimus.

III. - **Episcopus** procedit ad Altare pro ordinatione Presbyterorum, decantato a Choro primo Versu Tractus, scilicet: *Laudate Dominum* etc.

IV. - Pax non datur.

V. - **Episcopus**, lotis et abstersis manibus, post sumptionem ablutionis digitorum, accedit ad Missale et legit Responsorium: *Iam non dicam* etc., et se gerit ut in praecedenti Capite sub n. **2575** diximus.

VI. - Quum novi Presbyteri, accepta benedictione, ad suum redierint locum. **Episcopus** ad Thronum procedit ut sub n. **1877**, VII notavimus.

CAPUT VI.

DE SACRA ORDINATIONE GENERALI AB EPISCOPO ORDINARIO SOLEMNITER HABENDA IN ECCLESIA CATHEDRALI DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO

2651. — Si gravi causa Episcopus habeat Ordinationem die Dominica aut Festo de praecepto, omnia praeparantur ut in Missis pontificalibus (v. n. 851, *B)* quibus addenda sunt omnia quae notavimus sub n. 2555; color paramentorum etiam pro Ordinandis erit Officii color.

2652. — Omnes pariter se gerunt ut in Missis pontificalibus, sed animadvertant ad variationes respicientes sacram Ordinationem, scilicet:

I. - **Episcopus,** si dicatur: *Gloria in excelsis* etc., ordinat ad primam clericalem tonsuram post: *Kyrie, eleison* etc., ad Ordines minores, post Hymnum Angelicum; ad Subdiaconatum, post Orationes; ad Diaconatum, decantata Epistola; ad Presbyteratum:

a) si inter Pascha et Pentecosten, ante ultimum Versum Tractus;

b) si inter Pentecosten et Septuagesimam, ante Versum: *Alleluia,* nempe ante Versum qui praecedit ultimum *Alleluia;*

c) si inter Septuagesimam et Pascha, ante ultimum Versum Tractus.

In omnibus casibus, si in Missa legatur Sequentia, ante ultimum Versum Scquentiae.

II. - Si non dicatur: *Gloria in excelsis* etc., **Episcopus** ordinat ad primam clericalem tonsuram post Introitum, ad Ordines minores post: *Kyrie, eleison* etc., ad reliquos Ordines, ut supra.

CAPUT VII.

DESACRA ORDINATIONE GENERALI PRIVATIM AB EPISCOPO ORDINARIO HABENDA IN SABBATIS QUATUOR TEMPORUM ET IN SABBATO ANTE DOMINICAM DE PASSIONE

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit violaceus;
in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes erit ruber).

2653. — I. - Ad Altare maius. — Altare pallio violacei, vel rubri coloris instruitur; super eius gradus sternitur tapetum; sternitur quoque amplum tapetum super totum pavimentum Presbyterii.

Super Altare ponuntur septem candelabra et ante altius collocatur Crux; inter candelabra in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes collocari possunt SS. Reliquiae, vel vascula cum floribus.

Super Altaris mensam disponuntur paramenta episcopalia, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, stola, cingulum, alba, amictus; chirothecae in lance; s. Pallium, si Episcopus eo uti possit; in latere Evangelii, mitra auriphrygiata; in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, mitra pretiosa in latere Evangelii, auriphrygiata in latere Epistolae, pariter in latere Epistolae collocatur Missale cum legili.

Paramenta conteguntur velo coloris eorundem paramentorum.

II. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Baculus pastoralis.

iii. - Super infimum Altaris gradum in medio. — Pulvinus violacei vel rubri coloris.

IV. - In latere Epistolae ante infimum Altaris gradum. — Faldistorium.

V. - Super abacum. — Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis, scilicet: purificatorio, Patena cum hostia, palla, velo, bursa cum corporali; Pyxis cum particulis in numero respondenti Ordinandis: ampullae vini et aquae; Evangeliarium cum manipulo Episcopi; Epistolarium; Canon Pontificalis; Pontificale Romanum;caligae cum sandaliis in lance, velo coloris paramentorum coopertae; palmatoria cum candela; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; lanx pro Cruce pectorali; gremiale coloris paramentorum; gremiale lineum cum tends; Formula Indulgentiae; Calix cum vino et aliquot

aquae guttis, super Calicem ponitur Patena cum Hostia; Missale; Calix vacuus cum Patena; ampullae aquae et vini in pelvicula et mappula posita in eadem pelvicula; parvum candelabrum cum candela extincta; ampulla vacua; claves in lance; forfices in lance; tobalea sustinenda ante Communicandos; campanula; vasa vitrea cum vino et aqua; purificatoria pro purificatione.

VI. - In Sacristia Altari maiori contigua, vel, si possibile, a tergo eiusdem Altaris, super mensas praeparantur urcei cum pelvibus et manutergiis cum aliquantula medulla panis ac mali medici in numero sufficienti pro Ordinatis ad Presbyteratum.

VII. - In Sacristia maiori. — Vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

Praeparantur etiam mensae super quas disponuntur paramenta pro Ordinandis, scilicet:

ad Ordinem Presbyteratus: planetae, a parte posteriori super humeros complicatae ita ut facile solvi possint, stolae, manipuli, cingula, albae, amictus, Missalia, albus panniculus lineus;

ad Diaconatum: dalmaticae, stolae, manipuli, cingula, albae, amictus;

ad Subdiaconatum: tunicellae, manipuli, cingula,albae, amictus;

ad Ordines minores et ad primam clericalem tonsuram: superpellicea;

pro omnibus: candelae.

Color paramentorum pro Ordinandis in sacris esse debet coloris paramentorum ipsius Episcopi celebrantis, nisi aliud postulet necessitas (D. 3832 ad 6).

VIII. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei coloris; in Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes color strati erit viridis; ruber, si Episcopus sit Cardinalis.

Sex cerei accenduntur super Altare.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario in sacra Ordinatione generali privatim habenda in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2654. — Statuta hora, Episcopus, indutus mozzetta super rocchettum, accedit ad Ecclesiam Catliedralem; adoratione SS. Sacramento facta, accedit ad Altare maius, genuflectit in pulvino super infimum

Altaris gradum collocato et aliquantulum orat, dein accedit ad Faldistorium et recitat Psalmos et Preces in Missae praeparatione, dum accipit caligas et sandalia. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., biretum sibi ipse exuit, surgit, se convertit ad Altare; stans recitat Preces et Orationes; quibus absolutis, sedet, recitat Preces ad paramenta; deinde sibi detrahit de capite biretum; dimissis Cruce pectorali et mozzetta, caput bireto tegit, manus lavat ac postea, tradito bireto Assistenti primo, paramenta pontificalia assumit.

2655. — Accepto baculo, Episcopus surgit, procedit ante Altare, ubi, tradito Ministro baculo, mitram dimittit et, more solito, Missam incipit.

Missa dicenda est de Sabbato etiamsi sine cantu celebretur (D. 2473); circa Commemorationes consule n. 5 Tit. I Addit, et Variat, in Rubric. Missalis.

Episcopus deosculatur Altare, deinde initium textus Evangelii, ac postea accedit ad Missale et Introitum legit; quo lecto, in Sabbato ante Dominicam de Passione accedit ad Faldistorium, in medio suppedaneo collocatum, ubi mitram accipit et se gerit ut diximus sub n. 2558, sed omnia recitat sicut et in conferendis sacris Ordinibus.

In Sabbatis Quatuor Temporum, lecto Introitu, recitat etiam: *Kyrie, eleison* etc., dein se ut supra gerit.

2656. — Dimissis ab Archidiacono Tonsuratis, in Sabbato ante Dominicam de Passione, Episcopus surgit, ad Altare se convertit et recitat: *Kyrie, eleison* etc., deinde sedet in Faldistorio; in Sabbatis Quatuor Temporum accedit ad Missale et recitat: *Oremus* etc.; prima Lectione completa, accedit iterum ad Faldistorium et se gerit ut sub n. 2561 pro Ordinatione Ostiariorum; quibus ordinatis in Sabbato ante Dominicam de Passione confert etiam alios Ordines minores; in Sabbatis vero Quatuor Temporum accedit ad Missale, legit Versiculum et Lectionem, dein iterum ad Faldistorium accedit et se gerit ut sub n. 2563 pro Ordinatione Lectorum et ita deinceps se gerit in collatione aliorum Ordinum minorum (v. n. 2564 et 2565).

2657. — Dimissis Acolythis novis ordinatis, Episcopus accedit ad Missale, legit Versiculum post quartam Lectionem, dein legit quintam Lectionem ac postea revertitur ad Faldistorium. In Sabbato vero ante Dominicam de Passione, amoto Faldistorio, Episcopus deosculatur Altare et se ad populum convertit; dicit: *Dominus vobiscum,* dein accedit ad Missale et legit Orationes a Rubricis

praescriptas; quibus absolutis, revertitur ad Faldistorium et se gerit ut in Ordinatione ad Subdiaconatum (v. n. 2566), sed ipse recitat Litanias, adstantibus respondentibus.

2658. — Dimissis ordinatis ad Subdiaconatum, Episcopus accedit ad Missale, ubi in Sabbatis Quatuor Temporum legit Canticum: *Benedictus es, Domine* etc., dein revertitur in medium Altaris, quod deosculatur, et ad populum conversus dicit: *Dominus vobiscum,* dein ad Missale se confert, ubi legit Orationes iuxta Rubricas, et Epistolam.

In Sabbato vero Quatuor Temporum Pentecostes legit: *Alleluia* et Canticum: *Benedictus es, Domine* etc., deinde in medio Altaris recitat: *Gloria in excelsis* etc., tum ad populum se convertit et dicit: *Pax vobis,* et ad Missale legit Orationes et Epistolam; qua lecta, se recipit ad Faldistorium et se gerit ut diximus sub n. 2569 in Ordinatione Diaconorum.

2659. — Ordinatis Diaconis, Episcopus accedit ad Missale et legit Tractum usque ad ultimum Versiculum exclusive, et in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes legit etiam Sequentiam, pariter usque ad ultimum Versum exclusive, dein ad Faldistorium revertitur et se gerit ut diximus sub n. 2570 et seqq. de Ordinatione Presbyterorum.

2660. — Presbyteris ordinatis, Episcopus iterum accedit ad Missale, ubi legit ultimum Versiculum Tractus, vel Sequentiae, dein in medio Altaris recitat: *Munda cor meum* etc., et se gerit ut in Missis privatis, sed, lecto Offertorio, sedet in Faldistorio et mitram accipit. Post candelarum oblationem deponit annulum, nec non chirothecas, et lavat manus; quibus abstersis, annulum reassumit, mitram dimittit, surgit, ad Altare se convertit et, accepta Patena cum Hostia, recitat, elata voce, totam Missam cum novis Presbyteris. Ad manuum lotionem Episcopus utitur mitra.

Post Orationem: *Domine Iesu Christe* etc., Episcopus pacem donat primo Presbytero ordinato, primo Diacono et primo Subdiacono. Sumpto pretioso Sanguine, Episcopus se gerit ut sub n. 2574 notavimus.

Postquam Episcopus ablutionem digitorum assumpserit, mitram accipit ac manus lavat; quibus abstersis, mitram dimittit et ad Missale legit Responsorium: *Iam non dicam* etc.; quo lecto, se ad Faldistorium confert, mitram accipit; iterum surgit et se gerit ut notavimus sub n. 2575 et sequentibus,sed dum recitat Evangelium S. Ioannis, procedit ad Faldistorium.

Articulus III.

De Archidiacono et de duobus Canonicis Assistentibus in sacra Ordinatione generali ab Episcopo privatim habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2661. — Archidiaconus et duo Canonici Assistentes Episcopo sacras peragenti Ordinationes, cum Missa lecta, superpelliceum induere debent super rocchettum (DD. 3203 ad 2; 3700 ad 2; 3804 ad 1).

2662. — De Archidiacono. — Dum Episcopus recitat: *Kyrie eleison* etc., vel, dum recitat Introitum, in Sabbato ante Dominicam de Passione, Archidiaconus ad Altare procedit, consistit ad dexteram primi Assistentis et se gerit ut notavimus sub n. 2576 et 2577.

Lecta ab Episcopo prima Lectione, in Sabbato vero ante Dominicam de Passione post Orationes a Rubricis praescriptas, Archidiaconus se gerit ut sub n. 2578 et seqq. diximus; lecta ab Episcopo Epistola, se gerit ut sub n. 2582, sed postquam Ordinatos ad Diaconatum dimiserit, descendit in planum et consistit in cornu Evangelii donec Episcopus ad Faldistorium revertatur, ac postea suppedaneum conscendit et se gerit ut sub n. 2583 notavimus.

2663. — De duobus Canonicis Assistentibus. — Statuta hora, duo Canonici, superpelliceo supra rocchettum induti (DD. 3203 ad 2; 3700 ad 2; 3804 ad 1), ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad Ecclesiae ianuam et dignior porrigit Episcopo aspersorium, dcin ambo sequuntur cum ad Altare SS. Sacramenti, ac postea procedunt ad Altare maius et genuflectunt ad Episcopi latera, super infimum Altaris gradum.

Surgente Episcopo et ipsi surgunt; cum Episcopo ad Faldistorium pergunt, eique respondent, scilicet alternatim recitant cum eo Psalmos et Versiculos in Missae praeparatione. Quum Episcopus, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., surgit, Assistens primus accipit biretum eiusdem Episcopi et illud Caeremoniario tradit, dein transit ad dexteram Episcopi, dum Assistens secundus transit ad sinistram ipsius Episcopi.

Cum Episcopus ad populum se convertit, Assistens primus pariter transit ad eius dexteram, dum Assistens secundus se ad sinistram confert; Assistens primus Episcopo biretum porrigit a quo recipit, recitatis precibus ad paramenta. Postquam Episcopus inoz-

zettain dimiserit, iterum ci biretum tradit, quod recipit, lotis et abstersis manibus ab eodem Episcopo.

2664. — Mozzetta ab Episcopo dimissa, **Assistens primus** mantile accipit et extendit in gremio Episcopi; ab eodem accipit annulum, quem super lancem a Clerico sustentam deponit, dein alterum mantile accipit illudque cum osculis eidem porrigit ad tergendas manus; depositis mantilibus in lance, accipit ab Episcopo biretum, quod eiusdem Cappcllano tradit ac postea singula paramenta a Caeremoniario accipit: amictum circa extremitates et chordulas accipit, eum iuxta parvam Crucem osculatur et Episcopo illuni in medio, ubi Crux adest, deosculandum offert; albam super Episcopi caput immittit, deinde circa collum et brachia aptat; cingulo albam constringit, eamque ita aptat ut circumcirca aequaliter defluat; deosculatur in parte Crucem pectoralem et Episcopo osculandam offert, eamque collo imponit ita ut ante pectus pendeat; acceptam stolam etiam iuxta Crucem osculatur tum Episcopo deosculandam offert in Cruce, eamque super eius humeros ita applicat ne collum tegat, nec transversa sit in modum Crucis; tunicellam una cum **secundo Assistente** accipit et super caput Episcopi imponit, tum chordulas super dexterum humerum constringit, dein dalmaticam accipit et eodem modo imponit. Tum accipit dexteram chirothecam et in dextera manu imponit, prius manum et mox chirothecam osculans; tum planetam accipit et Episcopo imponit.

2665. — Si Episcopus s. Pallio uti potest, tunc **Assistens primus** Pallium ex lance sumit et offert Episcopo sedenti deosculandum in Cruce posteriori, scilicet quae in medio Pallii a parte posteriori est; advertat Assistens, dum illud capit, ut partem duplicem Pallii capiat dextera manu, simplicem vero sinistra et dum illud imponit, secundus Assistens manu dextera elevat partem quae a tergo pendere debet, ambo illud aptant ut humeros Episcopi aequaliter ambiat, et pars duplex Pallii ponatur super sinistrum humerum Episcopi. Quo facto, **Assistens primus** capit unam ex tribus spinulis, videlicet pulchriorem, eamque infigit Cruci anteriori Pallii, ante pectus existent!, et istam firmat tribus ocellis sericeis nigri coloris, qui sunt in ipsa Cruce, ac tali modo ut spinulae extremitas sit versus dexteram Episcopi et gemma ad sinistram; spinulam aliam in Cruce sinistri humeri ita infigit ut gemma adsit versus humerum Episcopi, extremitas versus pectus; tertiam secundus Assistens infigit.

«Spinulae taliter infigendae sunt ut... Crucem pertranseant, non autem perforent Pallium, neque planetam tangant. Non enim

figuntur ad retinendum Pallium, sed ad mysterium Passionis significandum » (Sacr. Caer. S. R. Eccl. L. 3, cap. XV).

Tum Assistens primus a Ministro accipit mitram et Episcopo imponit, deinde cum consuetis osculis annulum inserit eius digito annulari dextero.

2666. — Secundus Assistens adiuvat primum Assistentem dum sacris paramentis Episcopum induit, scilicet chordulas amictus post tergum ducens, manicam sinistram albae elevans, imponens tunicellam ac dalmaticam et constringit earum chordulas super humerum sinistrum positas. Tum sedentis Episcopi, imponit chirothecam in sinistra manu, prius manum dein chirothecam deosculans, dum Assistens primus alteram in dextera impopit. Deinde adiuvat primum Assistentem dum ille Episcopo planetam imponit atque s. Pallium, si Episcopus eo utatur, elevans manu dextera partem quae a tergo pendere debet; infigit tertiam spinulam Cruci posteriori ita ut extremitas spectet humerum sinistrum, gemma vero dexterum humerum. Dum Episcopus mitram accipit, elevat a tergo eius vittas.

2667. — Accepto ab Episcopo baculo pastorali, ambo cum eodem Episcopo procedunt ad Altare; quum ante infimum eius gradum pervenerint, Assistens secundus aufert Episcopo mitram, dein ambo genuflectunt (D. 3804 ad 1) super infimum gradum et cum Episcopo Confessionem recitant. Dicto ab Episcopo: *Indulgentiam* etc., secundus Assistens surgit, accipit a Caeremoniario manipulum et illum imponit sinistro brachio Episcopi (v. n. 1077, III).

Postquam Episcopus deosculatus fuerit Altare, secundus Assistens praesentat ei Missale deosculandum, dein ambo cum Episcopo accedunt ad Missale, in latere Epistolae, eique indicant quod legendum.

2668. — Lecto ab Episcopo Introitu et, in Sabbatis Quatuor Temporum, recitato etiam: *Kyrie, eleison* etc., primus Assistens Episcopo, sedenti in Faldistorio, mitram imponit et consistit ad eius dexteram, alter ad sinistram.

Quum Episcopus sedet, absoluta Oratione: *Oremus, fratres carissimi* etc., Assistentes extendunt mantile super eius genua, dein si Episcopus chirothecas dimittit, Assistens primus aufert ei cum osculis annulum et chirothecam dexteram, dum alter sinistram tollit, ac postea primus Assistens annulum reponit Episcopo eique porrigit forfices; ambo sustinent pelvim super eius genua.

Omnibus tonsis, Assistens primus tradit pelvim et forfices Clerico, dein mantile Episcopo manus lavanti ministrat, ac postea aufert

annulum eidem, dexteram chirothecam reponit, dum **alter** sinistram reponit, deinde annulum in digitum inducit.

Secundus Assistens aufert Episcopo mitram, quam primus imponit, recitata Oratione: *Praesta, quaesumus* etc., ambo recitant cum Episcopo Antiphonam: *Hic accipiet* etc., et alternatim cum ceteris Psalmum 23: *Domini est terra* etc. Repetita Antiphona, secundus Assistens mitram Episcopo tollit; ad Altare ambo se convertunt, primus Assistens transiens ad Episcopi dexteram, dum alter ad sinistram transit. Dicto ab Episcopo: *Oremus,* primus subiungit: *Flectamus genua,* genuflectens, alter surgens dicit: *Levate;* et ita se gerunt in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Verba: *Flectamus genua,* et: *Levate* ante singulas Orationes super Ordinandos semper dicenda sunt, etiam in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, aliisque diebus dominicis et festis de praecepto (D. 4164).

Quum Episcopus se convertit ad Tonsuratos et **ipsi Assistentes** se convertunt, **primus** transit ad dexteram, **alter** ad Episcopi sinistram. Absoluta Oratione: *Adesto, Domine* etc., **Assistens primus** Episcopo sedenti mitram imponit.

Omnibus Tonsuratis superpelliceo indutis, **secundus Assistens** Episcopo aufert mitram, quam **primus** reponit post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

Monitione Tonsuratis facta, **secundus Assistens** mitram Episcopo tollit; **ambo** cum eodem Episcopo accedunt ad Missale, in Sabbato vero ante Dominicam de Passione consistunt ad Episcopi latera in medio suppedaneo, et alternatim cum eo recitant: *Kyrie, eleison* etc.; *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

2669. — Lecta ab Episcopo Lectione, vel recitato: *Kyrie, eleison* etc., in Sabbato ante Dominicam de Passione, **Assistens primus** imponit mitram Episcopo sedenti in Faldistorio.

Monitione Ordinandis ad Officium Ostiariorum ab Episcopo facta, Assistens primus claves Episcopo porrigit; postquam omnes Ordinati claves tetigerint, eas recipit et Caeremoniario tradit. Reversis et genuflexis Ordinatis ante Altare, nec non Invitatione ad Orationem ab Episcopo facta, secundus Assistens mitram ei aufert, ad Altare se convertit, transit ad Episcopi sinistram, dum Assistens primus ad dexteram eiusdem Episcopi transit.

Oremus. Flectamus genua. Levate. Oratione: *Domine sancte* etc., completa, in Sabbatis Quatuor Temporum cum Episcopo ad Missale

accedunt et se gerunt ut post Ordinationem ad primam clericalem Tonsuram.

2670. — Lecta ab Episcopo secunda Lectione, ambo cum Episcopo ad Faldistorium revertuntur et Assistens primus Episcopo sedenti mitram imponit.

Post monitionem Ordinandis ad officium Lectorum, Assistens primus porrigit Episcopo Missalc, quod recipit postquam ab omnibus Ordinatis tactum fuerit; ac postea ambo se gerunt ut in Ordinatione ad Officium Ostiariorum, ad invitationem, ad Orationem et ad reliqua. Et ita se gerunt in Ordinatione Exorcistarum et etiam Acolythorum, in qua, monitione peracta, Assistens primus Episcopo porrigit candelabrum cum cereo; postquam omnes Ordinati candelabrum tetigerint, illud recipit et Episcopo ampullam porrigit; qua recepta, ambo se gerunt ut in aliis Ordinationibus, sed advertant quod loco unius Orationis Episcopus tres recitat Orationes.

2671. — Acolythis ordinatis, Assistentes accedunt ad Missale cum Episcopo; in Sabbato ante Dominicam de Passione accedunt ad Missale dicto ab Episcopo: *Dominus vobiscum.* Primus Assistens praemoneat Episcopum ut recitet Orationem Missae et Collectam pro Ordinandis sub unica conclusione.

Lecta ab Episcopo quarta Lectione, in Sabbato vero ante Dominicam de Passione, recitatis Orationibus a Rubricis praescriptis, ambo cum Episcopo ad Faldistorium revertuntur et Assistens primus Episcopo sedenti mitram imponit.

Quando etiam Ordinandi Presbyteri et Diaconi genuflexi sunt ante Altare, Assistens primus transit ad Episcopi dexteram, dum alter ad sinistram eiusdem Episcopi, genuflexi in Faldistorio, se confert; ambo eidem recitanti Litanias respondent; quibus absolutis, cum Episcopo surgunt et ad eius latera consistunt ut prius.

Admonitione Ordinandis ad Subdiaconatum ab Episcopo facta, Assistens primus porrigit Episcopo Calicem vacuum cum Patena; quem ab Episcopo receptum tradit Caeremoniario; Assistens secundus post invitationem ad Orationem: *Oremus Dominum ac Deum* etc., Episcopo sedenti mitram aufert ac transit ad eius sinistram, dum primus ad dexteram eiusdem Episcopi se confert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione absoluta, primus Assistens mitram Episcopo imponit et, omnibus Ordinandis tunicella indutis, Episcopo Missale porrigit a quo recipit postquam illud omnes Ordinati tetigerint. Secundus Assistens, Ordinatis ab Archidiacono dimissis, Episcopo mitram tollit; uterque cum Episcopo ad Missale accedit.

2672. — Lecta ab Episcopo Epistola, ambo cum eodem Episcopo ad Faldistorium revertuntur et primus Assistens mitram ei imponit, quam alter aufert ante Praefationem; qua absoluta, iterum Assistens primus mitram Episcopo imponit.

Omnibus dalmaticis indutis, Assistens primus Missale Episcopo porrigit et ab eodem recipit postquam Ordinati illud tetigerint, deinde secundus Assistens mitram Episcopo aufert et ad eius sinistram transit dum primus ad eiusdem Episcopi dexteram se recipit. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Dicta Oratione: *Domine sancte* etc., uterque cum Episcopo ad Missale accedit.

2673. — Lecto ab Episcopo Tractu, vel Sequentia, usque ad ultimum Versum exclusive, Assistentes cum Episcopo ad Faldistorium revertuntur, eique sedenti primus mitram imponit, quam alter aufert postquam Episcopus dixerit: *Oremus, fratres carissimi* etc.; *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Praefatione completa, primus Assistens mitram Episcopo imponit, quam secundus aufert, omnibus Ordinandis planeta indutis. Post Orationem: *Deus sanctificationum* etc., primus Assistens ad Episcopi dexteram transit, alter ad sinistram eiusdem Episcopi se confert eique pileolum aufert et ambo genuflectunt. Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., ambo surgunt, primus Assistens transit ad Episcopi dexteram, dum alter ad sinistram eiusdem Episcopi se recipit.

Episcopo in Faldistorio sedenti Assistens primus pileolum ac mitram imponit, dein annulum tollit et chirothecam dexteram, dum alter sinistram aufert, ac postea primus inducit in Episcopi digitum annulum, tandem gremiale lineum super genua extendit et una cum altero nodis Faldistorii alligat.

Unctione omnibus Ordinatis peracta, Assistens primus porrigit Episcopo gossypium ad pollicem abstergendum; quo recepto, accipit Calicem cum vino et Patenam cum Hostia eaque Episcopo porrigit. Peracta omnium Presbyterorum Ordinatione, recipit ab Episcopo Calicem et Patenam atque ea. Caeremoniario tradit.

Dum Episcopus manus lavat, Assistens primus mantile ministrat ac postea educit annulum, reponit dexteram chirothecam et annulum, dum alter reponit sinistram, dein Episcopo mitram aufert. Ambo cum Episcopo ad Missale accedunt et se gerunt ut in assistentia Missae privatae.

2674. — Lecto ab Episcopo Offertorio, Assistens primus Episcopo sedenti in Faldistorio mitram imponit; ambo sistunt ad eius latera,

dum Ordinati candelas offerunt, quas Assistens primus ab eodem Episcopo accipit et Clerico tradit.

Completa candelarum oblatione, Assistens primus tollit Episcopo annulum et dexteram cliirothecam, dum alter sinistram aufert, dein ministrat mantile et annulum in digitum reponit; secundus mitram Episcopo tollit, dein ambo se gerunt ut in assistentia Missae privatae, sed ante manuum lotionem Assistens primus mitram Episcopo imponit, quam alter aufert antequam Episcopus dicat Versum: *Gloria Patri* etc.

2675. — Recitata ab Episcopo Oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., Assistens primus se aliquantulum retrahit et locum dat Ordinatis ut pacem ab Episcopo recipiant. Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, Assistens secundus palla operit Calicem, dein ambo cum eodem Episcopo genuflexionem peragunt et ad Ordinatos se convertunt. Primus Assistens supponit Patenam cum Episcopus extra Pyxidem fert sacram Particulam donec super linguam Communicandi deposita fuerit. Omnibus novis Presbyteris communicatis, ambo ad Altare se convertunt; deposita Pyxide super Corporale, genuflexionem faciunt et se gerunt ut in Missa privata ad S. Communionis administrationem.

Sumpta ab Episcopo digitorum ablutione, primus Assistens imponit ei mitram, quam alter aufert, manibus ab Episcopo abstersis; dein ambo sistunt ad latera Episcopi legentis Responsorium: *Iam non dicam* etc., eidem respondentes; quo absoluto, accedunt ad Faldistorium et Episcopo sedenti primus Assistens mitram imponit, quam alter aufert postquam Episcopus novis Presbyteris benedictionem donaverit, dein ambo cum eodem Episcopo ad Missale accedunt et se gerunt more solito ut in assistentia Missae privatae, sed ad benedictionem, si Episcopus Cruce non utatur, Assistens primus imponit ei mitram; si vero Episcopus Cruce utatur tunc mitram ei imponit, benedictione donata, ac postea publicat Indulgentiam.

Monitione Ordinatis ab Episcopo facta, secundus Assistens mitram ei aufert et si utatur s. Pallio, Assistens primus eum exuit s. Pallio, quod super Altare deponit. Postquam Episcopus Altare signaverit, primus Assistens iterum mitram ei imponit, dein ambo cum eodem Episcopo ad Faldistorium accedunt.

Quum Episcopus baculum Ministro tradiderit, Assistens secundus mitram ei aufert, primus tollit et osculandum porrigit manipulum, ac postea, secundo Assistente adiuvante, Episcopum exuit sacris paramentis.

Accepta ab Episcopo Cruce pectorali, Assistens primus tradit ei biretum, dein ambo eidem Episcopo respondent, scilicet alternatim Canticum cum Psalmo et Versiculis in gratiarum actione post Missam recitant. Precibus absolutis, cum Episcopo accedunt ante Altare et super infimum gradum genuflectunt. Brevi oratione facta, se gerunt ut in recessu Episcopi ab Ecclesia (v. n. 533).

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in sacra Ordinatione generali ab Episcopo Ordinario privatim habenda in Ecclesia Cathedrali in Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato ante Dominicam de Passione.

2676. - I. — De Caeremoniario. — Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum Canonicis Assistentibus et Ministris inferioribus dat ad associandum Episcopum et se gerit ut in assistentia Missae privatae ab Episcopo celebrandae et ut in collatione sacrorum Ordinum.

Curet Caeremoniarius ut unus ex novis Subdiaconis ordinatis legat Epistolam dum Episcopus eam legit (DD. 2682 ad 9; 3368 ad 5); lectione absoluta, Episcopi manum non deosculatur. Et ita unus ex Diaconis novis ordinatis Evangelium legat dum Episcopus illud legit, sed neque benedictionem Episcopo petit, neque eius manus deosculatur; ipse librum sustinet cumque, absoluta lectione, Clerico tradit.

Ut rite et expedite Ritus sacrae Ordinationis persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2686 vel 2687 pro re.

IL - De Ministro mitrae. — Minister mitrae porrigit semper mitram primo Assistenti et a secundo recipit; se gerit ut sub n. 2646,1, in iis quae ad collationem sacrorum Ordinum pertinent; quoad Missam vero tradit mitram:

1° Antequam Episcopus lavet manus post Orationem: *Veni, sanctificator* etc.;

2° Sumpta digitorum ablutione;

3° Ad benedictionem in fine Missae, nisi Episcopus uti Cruce possit.

III. - De Ministro baculi. — Minister Episcopo baculum porrigit:

1° Postquam annulum acceperit, et ab eo recipit ante infimum Altaris gradum in Missae initio;

2° Recitato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., et ab eo recipit postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hos electos* etc.;

3° Ad benedictionem novis Presbyteris;

4° Ad benedictionem in fine Missae, ut in Missa pontificali solemni.

IV. - De Ministris libri et candelae. — Hi ministri accedunt ad Episcopum pro Missae praeparatione; cum Episcopus ad Altare se vertit, ipsi post Faldistorium se conferunt cum tergo versus Altare. In reliquis se gerunt ut in assistentia Missae privatae (v. Cap. XVI Art. II Partis IV) et in collatione sacrorum Ordinum (v. n. 2640 et seqq.), sed Minister candelae eam ex Altari sumit et super Altare deponit.

CAPUT VIII.

DE SACRA ORDINATIONE GENERALI PRIVATIM HABENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN SABBATO SANCTO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2677. — 1. - Ad Altare. — Altare pallio instruitur albo cui violaceum superimponitur et super eius gradum sternitur tapetum; sternitur quoque sufficiens tapetum pro prostratione Ordinandorum ante Altare.

Praecipua Altaris Imago erit tecta; super Altare ponuntur septeni candelabra et ante altius collocatur Crux detecta.

II. - Super Altaris mensam disponuntur paramenta violacei coloris pro Episcopo ut notavimus sub n. 2653, I, sed non collocatur s. Pallium; in latere Epistolae collocatur Missale.

III. - Apud Altare in cornu Evangelii: baculus pastoralis.

IV. - Super infimum Altaris gradum in medio: pulvinus violacei coloris.

V. - In latere Epistolae ante infimum Altaris gradum: Faldistorium cum tegumento et pulvinis violacei coloris.

VI. - Congruo in loco parantur tegumentum et pulvini albi coloris pro Faldistorio.

VII. - Super abacum omnia quae notavimus sub n. 2653, V, sed caligae et sandalia sint albi coloris, quae violaceo velo operiuntur; praeterea parantur paramenta pontificalia albi coloris pro Missae celebratione, et si Episcopus uti potest s. Pallio illud ponitur in lance albo velo contectum.

VIII. - In cubiculo attiguo Sacello, omnia quae sub n. 2653, VII diximus, praeterea praeparantur mensae super quas disponuntur urcei cum pelvibus et manutergiis cum aliquantula medulla panis ac mali medici in numero sufficienti pro novis Presbyteris ordinandis.

Articulus II.

In Functione.

2678. — Episcopus se gerit ut sub n. 2654 et 2655, sed, mitra dimissa, ascendit Altare, quod in medio deosculatur, dein se ad Missale confert et legit Prophetias. Ad: *Flectamus genua,* non genuflectit.

Completa Oratione post ultimam Prophetiam, reverentiam Cruci peragit, mitram et baculum accipit atque ad Faldistorium procedit, ubi, dimissis baculo et mitra, deponit manipulum et planetam, dein iterum mitram accipit, ascendit suppedaneum et genuflectit in Faldistorio. Episcopus recitat Litanias Sanctorum ut notantur in Missali sub hac die et ab Adstantibus iidem Versiculi repetuntur. Repetito ab Adstantibus Versiculo Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit et se gerit ut sub n. 2567. Completis Litaniis, Episcopus descendit ad Faldistorium in latere Epistolae collocatum, ubi dimittit annulum, mitram, chirothecas, dahnaticam, timicellam et stolam violaceam, deinde assumit paramenta pontificalia albi coloris et s. Pallium, si eo uti possit, accipit quoque mitram, annulum et baculum pastoralem, dein ad Altare procedit ubi, ante eius infimum gradum, baculum et mitram dimittit, reverentiam Cruci facit et recitat Confessionem ut in aliis Missis. Deosculatur prius Altare, dein Evangelii textum et statim recitat: *Kyrie, eleison* etc., ac postea sedet in Faldistorio in medio suppedaneo collocato et ordinat Clericos; quibus ordinatis surgit et recitat: *Gloria in excelsis* etc., quo recitato, iterum sedet in Faldistorio et confert Ordines minores.

Acolythis ordinatis surgit, Altare deosculatur et, dicto: *Pax vobis,* ad Missale se confert ubi legit Orationem Missae et Collectam

pro Ordinandis, sub unica conclusione, ac postea ad Faldistorium revertitur et ordinat Subdiaconos, omissis Litaniis. Post Ordinationem ad Subdiaconatum iterum Episcopus ad Missale se recipit et Epistolam legit; qua absoluta procedit ad Ordinationem Diaconorum.

Diaconis ordinatis, ad Missale revertitur ubi *Alleluia* tribus vicibus legit, vocem aliquantulum elevans; ab Adstantibus responso tertia vice: *Alleluia,* legit Tractum usque ad ultimum Versiculum exclusive ac postea iterum ad Faldistorium se recipit et Presbyteros ordinat; quibus ordinatis, rursus ad Missale se confert et legit ultimum Versum Tractus. Dicto: *Munda cor meum* etc., legit Evangelium; non dicit: *Credo in unum Deum* etc., dicit vero *Dominus vobiscum,* et: *Oremus,* ac statim sedet in Faldistorio pro candelarum oblatione, dein se gerit ut notavimus sub n. 2660, sed non recitat: *Agnus Dei* etc., nec pacem dat novis Ordinatis.

Antiphonae: *Trium puerorum* etc., addit: *Alleluia.*

CAPUT IX.

DE SACRA ORDINATIONE PARTICULARI

2679. — Quando habetur Ordinatio particularis, sive solemniter, sive privatim, omnia parantur ut suis in locis respective diximus, omissis quae ad Ordines non conferendos pertinent.

2680. — In Ordinatione particulari Mandatum ab Archidiacono legitur antequam Episcopus conferat primum Ordinem.

2681. — Si Subdiaconi ordinandi non sint, Litaniae dicuntur pro Ordinatione Diaconorum post Episcopi monitionem: *Provehendi, filii dilectissimi* etc.; si vero tantum Presbyteri ordinandi sunt, tunc Litaniae dicuntur absoluta monitione: *Consecrandi, filii dilectissimi* etc.

2682. — «Advertat quoque Pontifex, quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque Ordinem promovendus, illum admoneat, et alloquatur, non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari» (Ex Rubr. Pont. Rom.).

2683. — Quando Episcopus extra Missam confert primam Tonsuram et Ordines minores, induit stola super rocchettum et uti potest mitra.

Si immediate ante vel post Missam Episcopus primam Tonsuram et Ordines minores conferat, tunc non assumit manipulum, vel eum deponit; plancta exutus, vel pariter ea retenta, accipit mitram et accedit ad Faldistorium in medio suppedaneo collocatum.

Summarium Ritus sacrae Ordinationis generalis SOLEMNITER HABENDAE.

2684. — De sacra Ordinatione generali solemniter habenda in **Sabbatis Quatuor Temporum. —** Dum Canonici associant Episcopum, Ordinandi accedunt ad sua loca. — Dum canitur Hora Nona, Episcopus accipit caligas et sandalia tantum. — Completa Hora Nona, si Officium fit de Sabbato, Episcopus se confert ad Faldistorium. — Episcopus sumit paranienta ad Thronum, more solito.

I. - De promotione ad primam Tonsuram clericalem. — Dum canitur ultimum: *Kyrie* etc., Episcopus procedit ad Altare. — Archidiaconus se confert ad dexteram Diaconi et invitat Ordinandos. — Notarius nomine vocat Ordinandos. — Archidiaconus legit Mandatum, dein dicit: *Accedant qui promovendi* etc. — Notarius singulos appellat. — Promovendi, responso: *Adsum,* accedunt ante infimum Altaris gradum et genuflectunt in semicirculum. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Sit nomen* etc. — Incepto Psalmo, Episcopus sedens cum, vel sine, chirothecis, tondit capillos forficibus, dicens: *Dominus pars* etc. — Episcopus, si dimiserit chirothecas, manus lavat, dein chirothecas réassurait. — Episcopus, dimissa mitra, surgit. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Oratione absoluta, Episcopus sedet, mitram accipit et superpelliceum imponit singulis Tonsuratis. — Episcopus, dimissa mitra, surgit et cantat: *Oremus. Omnipotens* etc., dein sedet, mitram accipit et Tonsuratos admonet. — Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua. — Episcopus ad Thronum revertitur. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Episcopus, Oratione absoluta, sedet, mitram et gremiale accipit ac legit primam Lectionem.

II. - De Ordinatione ad Officium Ostiariorum. — Postquam Cantor primae Lectionis Episcopi manum deosculatus fuerit, Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. — Traditio clavium. — Archidiaconus ducit Ordinatos ad Ecclesiae ostium. — Postquam

Ordinati reversi fuerint, Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Deum Patrem etc.* — Episcopus mitram dimittit. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Post Orationem, Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus se ad Thronum confert, sedet, gremiale accipit, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Oratione absoluta, Episcopus mitram et gremiale accipit ac legit secundam Lectionem.

III. - De Ordinatione ad Officium Lectorum. — Postquam Cantor secundae Lectionis Episcopi manum deosculatus fuerit, Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. —Traditio Missalis. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Post Orationem, Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus se ad Thronum confert, sedet, gremiale accipit, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Oratione absoluta, Episcopus mitram et gremiale accipit et legit tertiam Lectionem.

IV. - De Ordinatione ad Officium Exorcistarum. — Postquam Cantor tertiae Lectionis Episcopi manum deosculatus fuerit, Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. — Traditio Missalis. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta Oratione, Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus se ad Thronum confert, sedet, gremiale accipit, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Episcopus mitram et gremiale accipit ac legit quartam Lectionem.

V. - De Ordinatione ad Officium Acolythorum. — Postquam Cantor quartae Lectionis Episcopi manum deosculatus fuerit, Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. — Traditio candelabri, dein urceoli. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta tertia Oratione,

scilicet: *Omnipotens sempiterne* etc., Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua. — Episcopus se ad Thronum confert, sedet, gremiale accipit, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Oratione absoluta, Episcopus sedet, mitram et gremiale accipit ac legit quintam Lectionem.

VI. - De Ordinatione Subdiaconorum. — Postquam Cantor quintae Lectionis Episcopi manum deosculatus fuerit, Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat, adiungens nomini et cognomini titulum Ordinationis. — Admonitio (si Ordinandi omnes sint Religiosi sive votorum solemnium, sive simplicium perpetuorum, omittitur). — Archidiaconus vocat Ordinandos ad Diaconatum et ad Presbyteratum. — Litaniae Sanctorum. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, accipit baculum, ad Ordinandos se convertit. — Postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hos* etc., baculum dimittit, iterum genuflectit. — Completis Litaniis, Episcopus sedet in Faldistorio. — Archidiaconus dicit: *Recedant* etc. — Admonitio. — Traditio Calicis cum Patena. — Archidiaconus tradit Ordinandis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus Deum* etc., dein mitram dimittit. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta Oratione, Episcopus sedet, mitram accipit, imponit singulis Ordinandis amictum, manipulum, tunicellam. — Traditio libri Epistolarum. — Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus ad Thronum revertitur, legit Canticum: *Benedictus es* etc. (In Quatuor Temporibus Pentecostes, dimissa mitra, cantat: *Gloria in excelsis* etc.). — Postquam Cantores decantaverint Canticum, Episcopus, dimissa mitra, canit: *Dominus vobiscum.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes, absoluto cantu Hymni, canit: *Pax vobis).* — Orationi Missae additur Collecta: *Exaudi etc.* — Dum Episcopus legit Epistolam, unus ex novis Ordinatis eam legit se gerens ut Subdiaconus in Missa pontificali.

VII. - De Ordinatione Diaconorum. — Postquam Subdiaconus manum Episcopi deosculatus fuerit, Episcopus se confert ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat; omittere potest Titulum Ordinationis. — Archidiaconus dicit: *Reverendissime Pater* etc. — Episcopus: Sc/s *illos* etc. — Archidiaconus: *Quantum* etc. — Admonitio. — Post admonitionem Episcopus dicit: *Commune* etc., dein surgit cum mitra et dicit: *Oremus,*

fratres carissimi etc. — Deposita mitra, Episcopus Praefationem canit. — Post verba: *quae sunt agenda concedere,* imponit manus super caput cuilibet Ordinando dicens: *Accipe* etc., dein prosequitur tono Praefationis extensam tenens manum usque ad verba: *mereantur,* inclusive. — Episcopus, sedens cum mitra, imponit stolam et dalmaticam Ordinandis. — Traditio libri Evangcliorum. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta Oratione, Archidiacono suggerente, Ordinati redeunt ad sua loca. — Episcopus ad Thronum revertitur, legit Tractum usque ad ultimum Versum exclusive. (In Quatuor Temporibus Pentecostes post Tractum legit Sequentiam pariter usque ad ultimum Versum exclusive).

VIII. - De Ordinatione Presbyterorum. — Completo a Cantoribus cantu partis Tractus (in Quatuor Temporibus Pentecostes canitur etiam Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive), Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat; omittere potest Ordinationis Titulum. — Archidiaconus dicit: *Reverendissime Pater* etc. — Episcopus: *Scis illos* etc. — Archidiaconus: *Quantum* etc. — Episcopus Clero et populo dicit: *Quoniam, fratres* etc. — Admonitio. — Impositio manuum. — Episcopus cum mitra dicit: *Oremus, fratres* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Praefatio. — Episcopus, sedeus cum mitra, imponit stolam et planetam Ordinandis. — Dimissa mitra, Episcopus surgit et dicit: *Deus sanctificationum* etc. — *Veni, Creator* etc. — Unctio manuum. — Traditio Calicis cum vino et aqua et Patenae cum hostia. — Lotio manuum. — Episcopus revertitur ad Thronum, et legit ultimum Versum Tractus (in Quatuor Temporibus Pentecostes ultimum Versum Sequentiae), dicit: *Munda cor meum* etc., ut in aliis Missis pontificalibus. — Unus ex novis Diaconis ordinatis canit Evangelium se gerens ut Diaconus Missae pontificalis. — Lecto Offertorio, oblatio candelarum. — Lotio manuum etc., more solito, sed Episcopus recitat, elata voce, omnia secreta cum Presbyteris, excepta Oratione: *Per intercessionem* etc.; *Dirigatur* etc.; *Accendat* etc. — Episcopus dat pacem, post Missae Subdiaconum, primo Presbytero, dein primo Diacono ac postea primo Subdiacono ex novis ordinatis. — Primus Presbyter pacem dat secundo Presbytero, Diaconus primus secundo; primus Subdiaconus secundo, ultimus Subdiaconus primo Acolytho, ultimus Acolythus primo Exorcistae, etc. — Sumpto pretioso Sanguine, Episcopus communicat

novos Presbyteros absque formula: *Corpus Domini* etc. — *Confiteor* etc. — Episcopus communicat ceteros Ordinatos proferens formulam: *Corpus... custodiat te.* — Ordinati respondent: *Arnen.* — Episcopus post manuum lotionem legit, in cornu Epistolae, Responsorium: *Iam non dicam* etc. — Dum Ordinati stantes recitant: *Credo* etc., Episcopus sedet cum mitra. — Imponit manus dicens: *Accipe* etc. — Explicans planetam Episcopus dicit: *Stola innocentiae* etc.; postea dicit: *Promittis* etc. — Episcopus dat osculum in gena dextera Ordinati. — Accepto baculo, Episcopus monet Ordinatos dicens: *Quia res... Missam accedatis,* dein surgit et dicit: *Benedictio* etc. — Benedictione impertita in fine Missae, Episcopus sedet; si mitram non habet, eam accipit; publicata Indulgentia, admonet omnes Ordinatos verbis Pontificalis.

2685. — De sacra Ordinatione generali solemniter habenda in Sabbato ante Dominicam de Passione. — Omnia ut in praecedenti numero peraguntur, sed animadverte sequentes variationes:

I. - De promotione ad primam Tonsuram clericalem. — Circa finem cantus Introitus Episcopus procedit ad Altare. — Quando Episcopus revertitur ad Thronum recitat: *Kyrie, eleison* etc.

II. - De Ordinatione ad Officium Ostiariorum. — Dum canitur ultimum *Kyrie* etc., Episcopus accedit ad Altare. — Archidiaconus vocat Ordinandos.

III. - De Ordinatione ad Officium Lectorum. — Ostiariis ordinatis, Episcopus sedet in Faldistorio et mitram accipit. — Archidiaconus vocat Ordinandos.

IV. - De Ordinatione ad Officium Exorcistarum. — Lectoribus ordinatis, Episcopus sedet in Faldistorio, et mitram accipit. — Archidiaconus vocat Ordinandos.

V. - De Ordinatione ad Officium Acolythorum. — Exorcistis ordinatis, Episcopus sedet in Faldistorio et mitram accipit. — Archidiaconus vocat Ordinandos. —Absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus revertitur ad Thronum, cantat: *Dominus vobiscum* et Orationem Missae et Collectam pro Ordinandis, sub unica conclusione, ac reliquas Orationes iuxta Rubricas.

VI. - De Ordinatione Subdiaconorum. — Completis Orationibus, Episcopus procedit ad Altare. — Quando Episcopus ad Thronum revertitur, legit Epistolam, dum ea canitur.

VII. - De Ordinatione Diaconorum. — Postquam Subdiaconus Episcopi manum deosculatus fuerit, Episcopus accedit ad Altare. —

Quando Episcopus ad Thronum revertitur legit Tractum usque ad ultimum Versum exclusive.

VIII. - De Ordinatione Presbyterorum. — Completo a Cantoribus cantu partis Tractus, Episcopus accedit ad Altare. — Quando ad Thronum revertitur Episcopus legit ultimum Versum Tractus etc.

Summarium Ritus sacrae Ordinationis generalis PRIVATIM HABENDAE.

2686. — De sacra Ordinatione privatim habenda in Sabbatis Quatuor Temporum. — Episcopus accedit ad Ecclesiam mozzetta indutus. — Quum ad Altare maius pervenerit, genuflectit in pulvino, super infimum Altaris gradum, dein ad Faldistorium accedit. — Dum recitat Psalmos in Missae praeparatione, Episcopus accipit caligas et sandalia. — Paramenta assumit ad Faldistorium. — Missa dicenda est de Sabbato. — Deosculatur Altare, deinde initium textus Evangelii.

I. - De promotione ad primam Tonsuram clericalem. — Recitato: *Kyrie,* Episcopus sedet in Faldistorio et mitram accipit. — Archidiaconus se confert ad dexteram primi Assistentis et invitat Ordinandos. — Notarius nomine vocat Ordinandos. — Archidiaconus legit Mandatum, dein dicit: *Accedant* etc. — Notarius singulos appellat. — Promovendi respondent: *Adsum,* dein accedunt ante infimum Altaris gradum et genuflectunt in semicirculum. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: Sit *nomen* etc. — Incepto Psalmo, Episcopus sedens cum, vel sine, chirothecis, tondit capillos forficibus, dicens: *Dominus pars* etc. — Episcopus si dimiserit chirothecas, manus lavat et chirothecas reassumit. — Episcopus, dimissa mitra, surgit. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Episcopus, Oratione absoluta, sedet, mitram accipit et superpelliceum singulis Ordinandis imponit. — Dimissa mitra, surgit et dicit: *Oremus. Omnipotens* etc., dein sedet et Tonsuratos admonet. — Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua. — Episcopus accedit ad Missale, recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* Oratione absoluta, Episcopus legit primam Lectionem.

II. - De Ordinatione ad Officium Ostiariorum. — Lecta prima Lectione, Episcopus se ad Faldistorium confert. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. — Traditio clavium. — Archidiaconus ducit Ordinatos ad Ecclesiae ostium. — Postquam Ordinati reversi fuerint, Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Deum Patrem* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Post Orationem Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus accedit ad Missale, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Oratione absoluta, Episcopus legit secundani Lectionem.

III. - De Ordinatione ad Officium Lectorum.— Lecta secunda Lectione, Episcopus se confert ad Faldistorium. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. — Traditio Missalis. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Post Orationem, Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus accedit ad Missale, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Oratione absoluta, Episcopus legit quartam Lectionem.

IV. - De Ordinatione ad Officium Acolythorum. — Lecta quarta Lectione, Episcopus se confert ad Faldistorium. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat. — Admonitio. — Traditio candelabri, dein urceoli. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta tertia Oratione, scilicet: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus accedit ad Missale, legit Graduale. — *Oremus. Flectamus genua. Levate.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes omittuntur verba: *Flectamus genua. Levate).* — Oratione absoluta. Episcopus legit quintani Lectionem.

V. - De Ordinatione Subdiaconorum. — Lecta quinta Lectione, Episcopus se ad Faldistoriuni confert. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat, adiungens nomini et cognomini Titulum Ordinationis. — Admonitio (si Ordinandi omnes sint Religiosi sive votorum solemnium, sive simplicium per-

petuorum, omittitur). — Archidiaconus vocat Ordinandos ad Diaconatum et ad Presbyteratum. — Episcopus recitat Litanias, Adstantibus respondentibus. — Post Versiculum: *Ut omnibus* etc., Episcopus surgit, accipit baculum, ad Ordinandos se convertit. — Postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hos* etc., baculum dimittit iterumque genuflectit. — Completis Litaniis, Episcopus sedet in Faldistorio. — Archidiaconus dicit: *Recedant* etc. — Admonitio. — Traditio Calicis cum Patena. — Archidiaconus tradit Ordinandis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutcrgio. — Episcopus surgit cum mitra et dicit: *Oremus Deum* etc., dein mitram dimittit. — — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta Oratione, Episcopus sedet, mitram accipit, imponit singulis Ordinandis amictum, manipulum, tunicellam. — Traditio libri Epistolarum. — Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus accedit ad Missale, legit Canticum: *Benedictus es* etc. (In Quatuor Temporibus Pentecostes legit: *Alleluia* et Canticum), dein accedit ad medium Altare et dicit: *Dominus vobiscum.* (In Quatuor Temporibus Pentecostes recitat: *Gloria in excelsis,* ac postea dicit: *Pax vobis).* — Orationi Missae additur Collecta: *Exaudi* etc. — Dum Episcopus legit Epistolam, unus ex novis Ordinatis eam legit; qua lecta, tradit Epistolarium Caeremoniario et ad suum revertitur locum.

VI. - De Ordinatione Diaconorum. — Lecta Epistola, Episcopus accedit ad Faldistorium. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos nominatim vocat; omittere potest Titulum Ordinationis. — Archidiaconus dicit: *Reverendissime Pater* etc. — Episcopus: Scis *illos* etc. — Archidiaconus: *Quantum* etc. — Admonitio. — Post admonitionem Episcopus dicit: *Commune* etc., dein surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — Deposita mitra, Episcopus Praefationem legit. — Post verba: *quae sunt agenda concedere,* imponit manum super caput cuilibet Ordinando dicens: *Accipe* etc., dein prosequitur extensam tenens manum usque ad verba: *mereantur,* inclusive. — Episcopus, sedens cum mitra, imponit stolam et dahnaticam Ordinandis. — Traditio libri Evangeliorum. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Absoluta Oratione, Archidiacono suggerente, Ordinati redeunt ad sua loca. — Episcopus accedit ad Missale, legit Tractum usque ad ultimum Versum exclusive. (In Quatuor Temporibus Pentecostes post Tractum legit Sequentiam pariter usque ad ultimum Versum exclusive).

VII. - De Ordinatione Presbyterorum. — Lecta parte Tractus (in Quatuor Temporibus Pentecostes lecta parte Sequentiae), Episcopus accedit ad Faldistorium. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Notarius singulos vocat nominatim; omittere potest Titulum Ordinationis. — Archidiaconus dicit: *Reverendissime Pater* etc. — Episcopus: *Scis illos* etc. — Archidiaconus: *Quantum* etc. — Episcopus Clero et populo dicit: *Quoniam, fratres* etc. — Admonitio. — Impositio manuum. — Episcopus cum mitra dicit: *Oremus, fratres* etc. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (etiam in Quatuor Temporibus Pentecostes). — Praefatio. — Episcopus, sedens cum mitra, imponit stolam et planctam Ordinandis. — Dimissa mitra, Episcopus surgit et dicit: *Deus sanctificationum* etc. — *Veni, Creator* etc. — Unctio manuum. — Traditio Calicis cum vino et aqua et Patenae cum hostia. — Lotio manuum. — Episcopus se confert ad Missale et legit ultimum Versum Tractus. (In Quatuor Temporibus Pentecostes legit etiam Sequentiam). — Dum Episcopus legit Evangelium, unus ex novis Diaconis legit pariter Evangelium; quo lecto, tradit Caeremoniario Evangeliarium et ad suum revertitur locum. — Lecto Offertorio, Episcopus sedet in Faldistorio pro oblatione candelarum. — Lotio manuum. — Episcopus recitat, elata voce, omnia secreta cum Presbyteris novis. — Episcopus dat pacem primo Presbytero, primo Diacono et primo Subdiacono ex novis ordinatis. — Primus Presbyter dat pacem secundo Presbytero, Diaconus primus Diacono secundo, primus Subdiaconus secundo ultimus Subdiaconus primo Acolytho, ultimus Acolythus primo Exorcistae, etc. — Sumpto pretioso Sanguine, Episcopus communicat novos Presbyteros absque formula: *Corpus Domini* etc. — *Confiteor* etc. — Episcopus communicat ceteros Ordinatos proferens formulam: *Corpus... custodiat te.* — Ordinati respondent: *Amen.* — Episcopus post manuum lotionem legit, in cornu Epistolae, Responsorium: *Iam non dicam* etc. — Dum Ordinati recitant: *Credo* etc., Episcopus sedet cum mitra. — Imponit manus dicens: *Accipe* etc. — Explicans planctam, Episcopus dicit: *Stola innocentiae* etc.; postea dicit: *Promittis* etc. — Episcopus in dextera gena Ordinati osculum dat. — Accepto baculo, Episcopus monet Ordinatos dicens: *Quia res... Missam accedatis,* dein surgit et dicit: *Benedictio* etc. — Benedictione impertita in fine Missae, Episcopus sedet; si mitram non habet, eam accipit; publicata Indulgentia, admonet Ordinatos omnes verbis Pontificalis.

2687. — De sacra Ordinatione generali privatim habenda in Sabbato ante Dominicam de Passione. — Omnia ut in praecedenti numero peraguntur, sed animadverte sequentes variationes:

I. - De promotione ad primam Tonsuram Clericalem. — Lecto Introitu, Episcopus se confert ad Faldistorium. — Dum Tonsurati revertuntur ad sua loca, Episcopus surgit, se ad Altare convertit et recitat *t'Kyrie* etc.

II. - De Ordinatione ad Officium Ostiariorum. — Recitato: *Kyrie* etc., Episcopus iterum sedet in Faldistorio. — Archidiaconus vocat Ordinandos.

III. - De Ordinatione ad Officium Lectorum. — Ostiariis ordinatis, Episcopus sedet in Faldistorio et mitram accipit. — Archidiaconus vocat Ordinandos.

IV. - De Ordinatione ad Officium Exorcistarum. — Lectoribus ordinatis, Episcopus sedet in Faldistorio et accipit mitram. — Archidiaconus vocat Ordinandos.

V. - De Ordinatione ad Officium Acolythorum. — Exorcistis ordinatis, Episcopus sedet in Faldistorio et mitram accipit. — Archidiaconus vocat Ordinandos. — Absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad sua loca. — Episcopus surgit, Altare deosculatur, se ad populum convertit et dicit: *Dominus vobiscum,* se ad Missale recipit, recitat Orationem Missae et Collectam pro Ordinandis sub unica conclusione, ac reliquas Orationes iuxta Rubricas.

VI. - De Ordinatione Subdiaconorum. — Completis Orationibus, Episcopus ad Faldistorium accedit. — Dum Episcopus legit Epistolam ad Missale, unus ex Subdiaconis ordinatis eam legit. — Lecta Epistola, Subdiaconus Missale Caeremoniario tradit et ad suum revertitur locum.

VII. - De Ordinatione Diaconorum. — Lecta Epistola, Episcopus se ad Faldistorium confert. — Quando Episcopus ad Missale revertitur, legit Tractum usque ad ultimum Versum exclusive.

VIII. - De Ordinatione Presbyterorum. — Episcopus, lecto Tractu usque ad ultimum Versum exclusive, revertitur ad Faldistorium. — Quando iterum ad Missale accedit, legit ultimum Versum Tractus.

CAPUT X.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM SOLEMNITER PERAGENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit color Officii, sed paramenta Electi erunt albi coloris).

2688. — I. - In Sacristia capitulari. — Disponuntur paraincnta pro Dignitatibus et Canonicis, scilicet: si praebendae sunt distinctae: pluvialia pro Dignitatibus; planetae pro Canonicis Presbyteris; dalniaticae pro Canonicis Diaconis; tunicellae pro Canonicis Subdiaconis.

Si praebendae distinctae non sunt: pro Dignitatibus: pluvialia; pro ceteris Canonicis: planetae.

II. - In Sacristia maiori. — Super aliquam mensam disponuntur quatuor pluvialia pro Ministris libri, candelae, mitrae et baculi; duae vimpae.

Super aliam mensam: vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula; superpellicea, bireta pro Clero et Ministris inferioribus.

III. - Ad Altare maius. — Altare pallio coloris Officii instruitur et super eius gradus sternitur tapetum; sternitur quoque amplum tapetum per totum Presbyterii pavimentum.

Super Altare ponuntur septeni candelabra et ante altius collocatur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur paramenta pro Consecrante, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; cliirothecae in lance; formale pariter in lance; mitra pretiosa in cornu Evangelii; auriphrygiata in cornu Epistolae; si color paramentorum erit violaceus, tunc collocatur mitra auriphrygiata in cornu Evangelii tantum, exceptis Dominica tertia Ad-

ventus et quarta Quadragesimae in quibus adhibetur etiam mitra pretiosa; paramenta teguntur velo eiusdem coloris paramentorum.

Si Episcopus consecrans uti potest s. Pallio, tunc ponitur in lance s. Pallium cum tribus spinulis, velo coloris paramentorum coopertum,

IV. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Collocatur in basi baculus pastoralis.

V. - Ante Altare. — Faldistorium cum tegumento et pulvinis; in eadem linea Faldistorii, versus Evangelii latus, collocantur duo pulvini, tertius pulvinus ponitur versus Epistolae latus. Si Consecrans sit Cardinalis, pulvini eodem ordine disponuntur retro post Faldistorium.

VI. - In cornu Evangelii. — Thronus (v. n. 398).

VII. - E regione Throni. — Erigitur parvum Altare cum suppedaneo contecto tapete; Altare instruitur pallio coloris Officii et super illud collocantur quatuor candelabra, quorum in medio ponitur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus.

Super Altaris mensam disponuntur paramenta albi coloris pro Electo, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, Crux pectoralis, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; in latere Epistolae collocatur Missale cum legili.

VIII. - Ante parvum Altare.— Statuuntur tria scabella nuda.

IX. - Super consuetum abacum. — Collocantur: duo candelabra cum cereis; Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis, quibus aliud purificatorium additur; cochleare parvum cum altera Patena; ampullae vini et aquae in pelvicula; phiala vino plena ad infundendum vinum in ampullam, si opus sit; campanula; vasculum s. Chrismatis in lance; medulla panis et mali medici in lance; caligae cum sandaliis in lance; lanx pro Cruce pectorali; Missale cum legili; Evangeliarium cum manipulo Consecrantis; Epistolarium; Pontificale Romanum; Canon Pontificalis; scotula cum candela; duo manipuli; velum humerale; patera pro praegustatione; formula Indulgentiae.

X. – In altero abaco prope Altare Electi. — Collocantur: mitra auriphrygiata; chirothecae albi coloris; caligae cum sandaliis albi coloris; annulus gemmatus in lance; duae vittae ex tela; mantile; urceus cum pelvi et manutergium in lance; medulla panis et mali medici in lance; Calix cum vino ac purificatorium; Canon Pontificalis; pluvialia cum stolis coloris Officii, amictus et mitrae simplices pro duobus Episcopis Assistentibus; duo doliola vini plena alterum

auro pictum, alterum argento cum utroque stemmate Consecrantis et Electi; duo panes, alter deauratus, alter argentatus, pariter uterque cum stemmate Consecrantis et Electi; si Ordinarius sit Cardinalis, doliolis et panibus apponitur tantum eius stemma; duo intorticia.

XI. - Apud abacum prope Altare Electi. — Collocatur baculus pastoralis Electi.

XII. - In cornu Epistolae. — Duo scabella nuda pro Ministris sacris.

XIII. - In Sacristia Altari maiori contigua, vel, si possibile, a tergo eiusdem Altaris. — Super abacum collocantur: pluviale pro Presbytero Assistente; daimaticae pro Diaconis Assistentibus; tres amictus.


Super aliquam mensam: paramenta pro Ministris sacris, scilicet: dalmatica, stola diaconalis, tunicella, duae albae, totidem cingula et amictus.

XIV. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Episcopo Ordinario, pro Episcopis Assistentibus et Electo.

Si Ordinarius sit Cardinalis, paratur genuflexorium cum strato et pulvinis pro eodem; ad sinistram genuflexorii, sed non in eadem linea, collocantur duo pulvini, tertius pulvinus ponitur ad dexteram eiusdem genuflexorii, sed non in eadem linea.

Super Altare ardebunt sex cerei.

Dispositio ad Altare maius in consecratione electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in sua Ecclesia Cathedral!.



P.E.O. – paramenta Episcopi Ordinarii. — P.E = paramenta Electi. — m.p. mitra pretiosa — m.a. = mitra auriphrygiata. — F. Faldistorium. — A. abacus consuetus. abacus prope Altare Electi. — a. = abacus pro paramentis Presbyteri et Diaconorum Assistentium. — b. = baculus pastoralis------F - Crux archiepiscopalis.

Pulvini pro: digniore Episcopo Assistente, I; altero Episcopo Assistente, II; Electo, III.

Scamna pro: digniore Episcopo Assistente, I; altero Episcopo Assistente, 2; Electo, 3; Presbytero Assistente, 4; Primo Diacono Assistente, 5; Secundo Diacono Assistente, 6; Diacono, 7; Subdiacono, 8; Ministro mitrae, 9; Ministro baculi, 10; Ministro candelae, 11 Ministro libri, 12; Caeremoniario primo, 13; Caeremoniario secundo, 14.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario consecrante solemniter in Ecclesia Cathedrali Electum in Episcopum.

2689. — Episcopus Ordinarius in accessu ad Ecclesiam se gerit more solito, sed ad aspersionem aquae benedictae, iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. 1, Cap. XV, n. 4), aspergit etiam Episcopos; iuxta vero plurium Ecclesiarum consuetudinem et iuxta illud eiusdem Caeremonialis (L. III, Cap. III, n. 2), porrigere potest Episcopis aquam benedictam per contactum aspersorii (v. n. 530), iuxta ordinem praecedentiae.

Ad adorationem SS. Sacramenti genuflectit vel in Faldistorio, vel in genuflexorio, et in casu semper in digniori loco.

Si vero Episcopus Ordinarius sit Cardinalis, genuflectit vel in Faldistorio, vel in genuflexorio solus.

Facta brevi oratione ante Altare maius, Ordinarius se gerit more solito ad cantum Horae Tertiae (v. n. 853).

2690. — Episcopus consecrans, assumptis paramentis pontificalibus, ad Altare procedit salutans Episcopos et Electum. Ante infimum Altaris gradum Cruci reverentiam facit, suppedaneum ascendit, sedet in Faldistorio et baculum Ministro tradit; dimissa mitra pretiosa, accipit mitram auriphrygiatam et gremiale.

Postquam Episcopus Assistens dignior dixerit: *Reverendissime Pater... ad onus Episcopatus sublevetis,* Consecrans dicit: *Habetis mandatum Apostolicum?* Responso: *Habemus,* dicit: *Legatur.*

Lecto per Notarium Mandato, Episcopus consecrans dicit: *Deo gratias.*

Si Electus iusiurandum non praestiterit, tunc praestat; lecta formula, Consecrator sustinet in gremio suo Missale apertum, ambabus manibus. Tacto ab Electo textu Evangelii et prolatis verbis: *Sic me Deus* etc., Consecrator dicit: *Deo gratias;* Assistentibus et Electo sedentibus, legit ex Pontificali: *Antiqua sanctorum Patrum* etc. Consecrator, dictis verbis: *Haec tibi fides augeatur* etc., et ab omnibus responso: *Arnen,* manum dexteram praebet deosculandam Electo, dein dimittit gremiale, baculum accipit, de Altari descendit, Ministro baculum tradit et mitram dimittit; reverentia Cruci peracta, Confessionem facit habens ad suam sinistram Electum.

Dicto: *Oremus,* Episcopus consecrans et Electus sibi invicem reverentiam faciunt et Consecrator, more solito, prosequitur Missam

pontificalem usque ad ultimum Versum Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten, usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, sed, thurificatione Altaris peracta, cum ad Thronum procedit non salutat Electum eo quod is recitat Psalmos in Missae praeparatione. Collecta pro Electo dicenda est sub unica conclusione cum Oratione Missae.

2691. — Lecto Graduali, vel Tractu etc., ut supra notavimus, Episcopus consecrans dimittit mitram auriphrygiatam et assumit pretiosam; accepto baculo, pergit ad Altare salutans Episcopos Assistentes et Electum; cum ante infimum gradum pervenerit, Cruci reverentiam peragit, ascendit suppedaneum, ibique in Faldistorio sedet, tradit Ministro baculum, dimittit mitram pretiosam et assumit auriphrygiatam, dein versus Electum legit ex Pontificali: *Episcopum oportet* etc., ac postea surgit et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc.; responso a circumstantibus: *Arnen,* ante Faldistorium procumbit.

2692. — Decantato a Cantoribus Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus consecrans surgit; accepto baculo, ad Electum se convertit, canit tribus vicibus: *Ut hunc praesentem Electum* etc., et super eum producit signum Crucis ut in Pontificali, dein baculum dimittit et iterum genuflectit. Litaniis absolutis, Episcopus consecrans surgit et se ad Electum convertit, a Diacono accipit Missale, quod sustinens apertum, adiuvantibus Episcopis Assistentibus, imponit super caput et scapulas Electi ita ut pars interior libri respondens primae lineae ac numero paginae insistat super scapulas, pars inferior insistat capiti Electi, deinde cum duobus Assistentibus utrasque manus iunctim imponit capiti Electi, et eodem tempore clara et aequali voce dicit: *Accipe Spiritum Sanctum,* dein, deposita mitra, Consecrans cantat tono feriali: *Propitiare, Domine* etc.; prolatis verbis: *in unitate Spiritus Sancti Deus,* manibus ante pectus expansis, prosequitur Praefationem.

Decantatis verbis: *coelestis unguenti rore sanctifica,* Episcopus consecrans se ad Altare convertit et in Faldistorio genuflexus, dimisso pileolo, intonat Hymnum: *Veni, Creator* etc. Postquam prima stropha decantata fuerit, Episcopus reassumit pileolum, sedet in Faldistorio, mitram accipit, dimittit annulum nec non chirothecas, reassumit annulum et gremiale lineum accipit.

Episcopus consecrans, intincto pollice dextero in sacro Chrismate, inungit prius tonsuram in formam Crucis, postea totam tonsuram recitans formulam: *Ungatur et consecretur* etc., et producens, manu dextera, tertio signum Crucis super caput Electi dicit: *In nomine*

Pa kp *Iris* etc., ac postea cum medulla panis pollicem abstergit ac gremiale dimittit.

Completo Hymni cantu, mitram dimittit, surgit et prosequitur in cantu secundam partem Praefationis, scilicet: *Hoc, Domine* etc., usque ad: *possit esse devotus,* inclusive, deinde dicit legendo: *Per Dominum* etc.; quibus prolatis verbis, incipit in cantu Antiphoiiam: *Unguentum* etc., ac postea sedet, mitram ac gremiale lineum accipit.

Episcopus consecrans intingit pollicem dexterum in sacro Chrismate et inungit Electi ambas manus, simul iunctas, in modum Crucis efficiens duas lineas, scilicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae ungendo mox totaliter palmam dicens: *Ungantur etc.* Et producens manu dextera ter signum Crucis super Electi manus, dicit: *In nomine Dei Pa* Φ *tris* etc., ac postea subiungit: *Deus et Pater* etc., denique medulla panis pollicem abstergit.

2693. — Si baculus pastoralis benedictus non sit, Episcopus consecrans mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus. Sustentator* etc.; qua Oratione absoluta, baculum aspergit ac postea sedet et mitram accipit. Acceptum baculum a Diacono, Consecrato tradit dicens: *Accipe baculum* etc.

2694. — Si annulus benedictus non sit, Episcopus consecrans mitram deponit, surgit et dicit: *Creator et Conservator* etc.; qua completa Oratione, illum aspergit, sedet, mitram accipit. Annulum a Diacono acceptum, inserit digito annulari dextcro Consecrati dicens: *Accipe annulum* etc., deinde, adiuvantibus Episcopis Assistentibus, Episcopus consecrans sumit de scapulis Consecrati Missale quod sustinens, una cum Episcopis Assistentibus, super genua sua Consecrato tradit clausum dicens: *Accipe Evangelium* etc.; quibus prolatis verbis et tradito Missali Diacono, recipit Consecratum ad osculum pacis, dicens: *Pax tibi.*

2695. — Profectis de Altari Episcopis Assistentibus et Consecrato, Episcopus consecrans deponit annulum, manus lavat et abstergit, chirothecas annulumque reassumit, baculum accipit, ad Thronum procedit et, postquam Consecratus laverit et absterserit manus, legit ultimum Versiculum Gradualis, vel Tractus, aut Sequentiae et prosequitur Missam, more solito, sed, lecto Offertorio, accipit oblationes a Consecrato, dimittit annulum et chirothecas et se more solito gerit, sed, elata voce, recitat omnes Secretas simul

cum Consecrato, cui primum donat pacem, dein Presbytero Assistenti et reliquis ut alias.

2696. — Postquam Episcopus consecrans se cum sacra Hostia signaverit, deponit super Corporale illam partem cui non deest Particula in Calicem immersa et se communicat altera parte; more solito, colligit fragmenta et pretiosum Sanguinem sumit advertens ut Calicem convertat ex illa parte ubi adest Particula ut eam sumat iunctim, et Specierum consecratarum dimidiam partem consummabit.

Si vero post sumptionem Sanguinis Particula in Calice maneret, Episcopus consecrans contrahit cum cochleari eamque assumit, ac abstergit diligenter cochlear.

Pretioso Sanguine sumpto, sumit ex Corporali dimidiam Hostiam quam super Patenam deponit et conversus ad Consecratum, ad suam dexteram stantem, illum communicat nihil dicens nec ullum Crucis signum efficiens, deinde accipit Calicem iliumque Consecrato tradit. Calice recepto, Episcopus consecrans iterum colligit fragmenta, et Patenam super Calicem abstergit; accipit deinde purificationem, more solito, advertens ut purificet cochlear, si eo usus sit.

2697. — Episcopus consecrans, donata benedictione in fine Missae, sedet in Faldistorio et accipit mitram, si uti Cruce potest. Publicata Indulgentia a Presbytero Assistente, Episcopus consecrans, si mitra benedicta non sit, dimittit mitram, surgit et dicit: *Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione completa, mitram aspergit, dein sedet, mitram accipit; a Diacono mitram Consecrati accipit, eam capiti eiusdem, adiuvantibus Episcopis Assistentibus, imponit dicens: *Imponimus* etc., ac postea si chirothecae non sint benedictae, mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus. Omnipotens Crea-*

intonat Antiphonam: *Firmetur* etc.; qua a Cantoribus repetita, dicit: *Domine, exaudi* etc.; *Dominus vobiscum; Oremus. Deus, omnium* etc.; qua Oratione completa, perstat eodem loco et, benedictione a Consecrato impertita, mitram accipit.

Decantatis tertia vice a Consecrato verbis: *Ad multos annos,* Episcopus consecrans recipit eum ad osculum pacis; postquam Consecratus, una cum Episcopis Assistentibus, discesserit, s. Pallium, si eo usus sit, dimittit et, more solito, incipit Evangelium S. Ioannis, vel aliud, si legendum, se gerens ut in aliis Missis pontificalibus.

Articulus 111.

De duobus Episcopis Assistentibus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2698. — Duo Episcopi Assistentes, habitu praelatitio induti cum rocchetto et mantelletto, conveniunt, statuta hora, in domum Episcopi Ordinarii et cum eo et Electo accedunt ad Ecclesiam Cathedralem, iuxta ordinem praecedentiae.

Ad Ecclesiae ianuam accipiunt aspersionem aquae benedictae ut ceteri, vel per contactum aspersorii, dein procedunt ad Altare SS. Sacramenti.

Facta brevi oratione ad Altare maius, Episcopi Assistentes consistunt ad latera Electi, reverentiam Cruci Altaris et Episcopo consecranti peragunt ac postea ad Altare Electi procedunt et ante scabella consistunt. Ad cantum Horae Tertiae, Choralibus se conformant.

2699. — Dum Episcopus consecrans, absoluta Hora Tertia, paramenta assumit pro Missae celebratione, Episcopi Assistentes, adiuvantibus Cappellanis, dimittunt Crucem pectoralem, mantellettum, accipiunt amictum, reassumunt Crucem pectoralem, induunt stolam ac pluviale; cum Consecranti mitra a Diacono imponitur, ipsi a suis Cappellanis manu accipiunt mitram, quam sibi ipsi imponunt et ita se gerunt durante Functione ac pariter eam exuentes, cum opus sit.

2700. — Quum Episcopus consecrans de Throno surgit, et ipsi surgunt; cum mitra Consecrantis salutationi respondent, dein ad Altare se convertunt, reverentiam Cruci peragunt ac postea procedunt ad Altare maius, incedentes ad Electi latera, reverentiam

faciunt simul Altaris Cruci et Consecranti, turn sedent; ad nutum Caeremoniarii, mitram dimittunt, surgunt; primus Episcopus Assistens legit ex Pontificali: *Reverendissime Pater* etc. Si Consecrans sit Cardinalis, dicit: *Eminentissime et Reverendissime Pater* etc. Dicto ab Episcopo Consecrante: *Habetis mandatum Apostolicum?* primus Assistens, accepto mandato a Familiari Electi, respondet: *Habemus,* ac postea porrigit mandatum Notario Consecrantis; deinde ambo sedent et caput mitra operiunt. Lecto Mandato, vel, lecta ab Electo formula juramenti, si legenda, Episcopi Assistentes legunt, submissa voce: *Antiqua sanctorum Patrum,* et cetera semper legere debent quae Consecrator legit relate ad consecrationem.

Expleto examine, Episcopi Assistentes surgunt et Electum ad Consecrantem ducunt ac sistunt ambo ante infimum Altaris gradum; cum Electus de Altari descendit, se conferunt aliquanto longe ab Altari, ibique consistunt; dimissa mitra, cum suis Cappellanis Confessionem faciunt, cum tempus sit.

2701. — Dicto: *Oremus* a Consecrante, Episcopi Assistentes accedunt ad Electum et cum eo ante parvum Altare procedunt, ibique reverentiam Cruci peragunt et sedent in scabello, versis humeris ad ipsum Altare, ac mitra caput operiunt.

Postquam Electus paramenta missalia assumpserit, Assistentes mitram dimittunt, surgunt, ad Altare se convertunt, Cruci reverentiam peragunt et ad latera Electi, Missam legentis, consistunt in suppedaneo ipsius Altaris; cum eodem Electo recitant: *Gloria in excelsis* etc., si recitandum. Recitatione Hymni completa, si nondum a Choro cantus eiusdem Hymni expletus fuerit, sedent in scabello et se Choralihus conformant. Si vero cantus vel locum non habeat, vel iam expletus fuerit, tum perstant donec Electus perveniat ad locum quo Missa solemnis processerit. Postquam Electus legerit Graduate, vel Tractum, vel Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum v. exclusive, descendunt cum eo de Altari, consistunt ante scabellum, versis humeris ad Altare ipsum, et caput mitra operiunt; cum Episcopus consecrans de Throno descendit, salutationi eiusdem respondent.

2702. — Sedente Episcopo consecrante in Faldistorio, Assistentes cum Electo ante Altare maius se conferunt; quo cum venerint, Cruci et Consecranti simul reverentiam peragunt ac sedent in scabellis et postquam Consecrator dixerit: *Episcopum oportet* etc., surgunt cum mitra. Absoluta invitatione ad orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc., Assistentes genuftectunt in pulvino ante scabellum

collocato. Dum Episcopus consecrans cantat: *Ut hunc praesentem Electum* etc., et benedicit Electum, **Episcopi Assistentes,** genuflexi recitant etimdem Versiculum ac super Electum producunt signum Crucis.

Absolutis Litaniis, **Episcopi Assistentes** surgunt, ascendunt suppedaneum; **dignior** consistens ad Consecrantis dexteram, **alter** ad sinistram, una cum eodem Consecrante imponunt Missale super scapulas et capiti Electi, dein pariter cum Consecrante iunctim utrasque manus imponunt capiti eiusdem Electi, ac postea, clara et aequali voce, dicunt: *Accipe Spiritum Sanctum;* his prolatis verbis, redeunt ad scabella sua, ubi mitram deponunt, iunctisque manibus legunt Orationem: *Propitiare, Domine* etc., et sequentem Praefationem usque ad verba: *coelestis unguenti rore sanctifica,* deinde genuflectunt in scabellum et pileolum dimittunt.

Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., **Episcopi Assistentes** reassumunt pileolum, surgunt, sedent in scabellis et mitra caput operiunt. Expleto Hymni cantu, mitram deponunt, surgunt, iunctisque manibus, alteram Praefationis partem legunt; qua completa, sedent et mitra caput operiunt.

2703. — Si baculus benedicendus sit, **Episcopi Assistentes** mitram dimittunt et surgunt, sed Orationem: *Sustentator imbecillitatis* etc. non recitant; baculo benedicto, sedent ac mitram sibi imponunt, sed non recitant formulam traditionis baculi. Ita se gerunt in benedictione et traditione annuli.

Postquam **Episcopi Assistentes** formulam traditionis annuli recitaverint, surgunt et ad Consecrantis latera accedunt, sumunt una cum Consecrante de scapulis Consecrati Missale, quod clausum sustinent super genua Consecrantis recitantes formulam: *Accipe Evangelium* etc.

Tradito Evangeliorum libro Consecrato, **Episcopi Assistentes** postquam Consecrans ad osculum pacis Consecratum receperit, et ipsi pacem Consecrato dant dicentes: *Pax tibi,* ac postea cum eodem Consecrato de Altari descendunt, Cruci et Episcopo consecranti simul reverentiam peragunt et se conferunt ad parvum Altare, ubi, facta Cruci reverentia, sedent ut prius.

2704. — Lotis et abstersis a Consecrato manibus, **Assistentes** mitram dimittunt, surgunt et cum Consecrato Altare ascendunt, eique legenti ultimum Versiculum Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae ac reliqua assistunt. Lecto Evangelio, de Altari descendunt, sedent et mitram sibi imponunt.

Quum Episcopus consecrans mitram dimittit pro Evangelii cantu, Episcopi Assistentes et ipsi sibi mitram exuunt, surgunt et consistunt ad Diaconum Evangelium canentem conversi.

2705. — Intonato a Consecrante: *Credo in unum Deum,* Assistentes cum Consecrato ad Altare se convertunt, ascendunt et cum eo recitant Symbolum; quo recitato, ad scabella redeunt, sedent ac mitra caput operiunt.

2706. — Absoluto Symboli cantu, Episcopi Assistentes mitram dimittunt, surgunt et ad Altare revertuntur. Lecto a Consecrato Offertorio, de Altari cum eo descendunt, mitram accipiunt et Consecratum ad Thronum deducunt, reverentia Cruci Altaris maioris peracta; quo cum pervenerint, reverentiam Episcopo consecranti faciunt et perstant ante infimum gradum donec Consecratus, oblationibus praesentatis, descendat, dein ad Altare maius procedunt, ante cuius infimum gradum Cruci reverentiam peragunt, mitram dimittunt, ascendunt et consistunt post Consecratum in latere posteriori cornu Epistolae, ibique thurificationem accipiunt cum mitra, quam, tliurificatione accepta, statim dimittunt.

Quum Consecrans et Consecratus proferunt verba: *Qui pridie* etc., Assistentes genuflectimt et genuflexi manent donec Consecrans a genuflexione surgat post Calicis elevationem. Ambo pacem accipiunt a Consecrato.

Postquam Consecrans et Consecratus recitaverint: *Corpus tuum, Domine* etc., Assistentes cum eodem Consecrato transeunt in alterum posterius latus Altaris; benedictionem accipiunt profunde inclinati.

2707. — Publicata Indulgentia, ambo mitram sibi imponunt et deducunt Consecratum ante Episcopum consecrantem; si mitra benedicta sit, consistunt ad latera Consecrantis, alias de Altari descendunt et, dimissa mitra, consistunt ante infimum Altaris gradum; non recitant Orationem: *Domine Deus* etc.; mitra a Consecrante aspersa, sibi mitram imponunt, suppedaneum conscendunt; consistentes ad Consecrantis latera, vittas mitrae Consecrati accipiunt et recitantes formulam: *Imponimus, Domine* etc., una cum Consecrante imponunt mitram capiti Consecrati; deinde, si chirothecae benedictae non sint, se gerunt ut supra in benedictione mitrae, alias perstant et Assistens primus adiuvat Consecrantem imponentem cliirothecam dexteram Consecrati dexterae, alter adiuvat pariter Consecrantem imponentem chirothecam sinistram Consecrati sinistrae.

2708. — Surgente de Faldistorio Episcopo consecrante, Assistens primus se confert ad sinistram Consecrati, interim alter se recipit ad cornu Evangelii et consistit in secundo gradu. Dum Consecrans accipit Consecratum per dexteram manum, **Assistens primus** illum accipit per sinistram, dein Episcopus consecrans et **Assistens dignior** deducunt Consecratum ad Faldistorium super quod sedere faciunt, dein **primus Assistens** accedit ad sinistram alterius Episcopi Assistentis. Quum Episcopus consecrans mitram dimittit, **ambo** mitram dimittunt, quam sibi imponunt, intonato a Consecrante Hymno: *Te Deum* etc., ac postea se conferunt ante infimum gradum; cum Consecratus de Altari descendit, cum eo reverentiam peragunt eumque per Ecclesiam deducunt.

Si Assistentes ad Altare redierint ante Versiculum: *Te ergo, quaesumus* etc., consistunt ante infimum Altaris gradum ad latera Consecrati et mitram dimittunt; ad Versiculum praedictum genuflectunt in pulvino super gradum collocato; surgunt, completo Versiculi cantu, dein se conferunt apud Episcopum consecrantem et sistunt ut ad intonationem Hymni. Repetita a Cantoribus Antiphona: *Firmetur* etc., **Assistentes** recitant: *Domine, exaudi* etc., *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Deus, omnium* etc.

2709. — Impertita benedictione a Consecrato, **Assistentes** mitram sibi imponunt et amplexum dant Consecrato, dein cum eodem de Altari descendunt, Cruci et Episcopo consecranti reverentiam faciunt, ac postea ad parvum Altare procedunt, Crucem salutant, ascendunt et Consecrato, legenti Evangelium, assistunt; quo absoluto, descendunt, Cruci reverentiam peragunt; ante scabella, humeris ad Altare versis, dimittunt paramenta, reassumunt mantellettum et Crucem pectoralem.

Quum Episcopus consecrans de Throno descendit, **Episcopi Assistentes** surgunt et se cum Consecrato ad medium Presbyterium conferunt, ubi in pulvino genuflectunt ac postea de Presbyterio discedunt, ordine quo venerant.

Articulus IV.

De Electo in Episcopum in sua consecratione solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2710. — Episcopus Electus, habitu praelatitio indutus cum mantelletto deferens pileolum (D. 4284, decl. III), accedit, statuta hora, ad domum Episcopi Ordinarii et cum eo, necnon cum Epi-

scopis Assistentibus, procedit ad Ecclesiam Cathedralem, iuxta ordinem praecedentiae.

Ad Ecclesiae ianuam accipit aspersionem aquae benedictae ut ceteri, vel per aspersorii contactum, dein accedit ad Altare SS. Sacramenti; facta brevi oratione, procedit ad Altare maius; peracta reverentia Cruci et Consecranti, medius inter Episcopos Assistentes se confert ad parvum Altare, e regione Throni, et ante scabellum suum consistit. Ad cantum Horae Tertiae, se Choralibus conformat.

2711. — Dum Episcopus consecrans, absoluta Hora Tertia, assumit paramenta missalia, Electus dimittit mantellettum; sedens, tecto capite, lavat manus, dein, adjuvantibus suis Cappellanis, accipit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale. Quum Consecrans accipit mitram, Electus dimittit pileolum et caput bireto cooperit.

2712. — Surgente Episcopo consecrante, Electus ipse surgit, detecto capite, respondet Consecrantis salutationi et dum ille Altare ascendit, ipse cum Episcopis Assistentibus se ad Altare suum convertit, reverentiam Cruci peragit; tecto capite, medius inter Assistentes, procedit ad medium Presbyterium ubi, detecto capite, reverentiam Cruci, nec non Episcopo consecranti, facit, sedet in suo scabello et caput tegit.

Ad nutum Caeremoniarii, Electus surgit, detecto capite. Dicto a digniore Assistente: *Habemus,* iterum sedet et caput operit. Si iuramentum praestare debet, tunc, lecto Mandato, caput detegit, biretum Cappellano suo tradit, procedit ante Altare, genuflectit in pulvino, ante scabellum, et formulam juramenti legit; qua lecta, surgit, ascendit suppedaneum, ibique genuflectit, manus super Missale imponit et dicit: *Sic me Deus adiuvet* etc. Responso a Consecrante: *Deo gratias,* Electus surgit, descendit de Altari; reverentia Cruci et Consecranti facta, revertitur ad scabellum, ibique sedet et caput tegit.

Electus in fine cuiuscumque interrogationis caput detegit, surgit et respondet ut in Pontificali. Expleto examine, caput detegit, surgit et, medius inter Assistentes, procedit ante infimum Altaris gradum; reverentia Cruci et Consecranti simul peracta, ascendit et genuflexus super pulvinum, deosculatur Consecrantis manum, dein descendit ac sistit ante infimum gradum, aliquantulum versus Evangelii latus.

2713. — Quum Consecrans descendit, Electus se confert ad eius sinistram; Cruci reverentia facta una cum ipso Consecrante, eidem

ad Missam respondet. Dicto: *Amen,* post: *Indulgentiam* etc., Electus aliquantulum recedit ut Subdiaconus Consecranti manipulum imponat; quo facto, iterum ad Consecrantis sinistram se confert. Consecrans et Electus post: *Oremus,* sibi ad invicem reverentiam peragunt ac postea Electus, medius inter Assistentes, procedit ad suum Altare, ubi, reverentia Cruci facta, sedet in scabello, humeris ad ipsum Altare versis, cx Canone legit, tecto capite, Psalmos et Preces in Missae praeparatione, interim per suum Cubicularium dimittit calceos usuales, accipit caligas cum sandaliis albi coloris. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., biretum non dimittit nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus sit recitat: *Kyrie, eleison* etc., cum Precibus et Orationibus; quibus absolutis, pluviale ac stolam dimittit, accipit Crucem pectoralem, reassumit stolam quam relinquit pendentem et cingulo firmat, accipit tunicellam, dalmaticam, planctam ac manipulum, dein ad Altare se convertit, reverentiam peragit, ascendit, dicit Orationem: *Aufer a nobis* etc., Altare deosculatur et in medio suppedaneo legit ex Missali Missam usque ad locum quo Consecrans pervenerit; *Kyrie, eleison* etc., recitat alternatim cum Assistentibus; si *Gloria in excelsis* etc. dicendum sit, pariter cum Assistentibus recitat. Angelico Hymno recitato, de Altari descendit, reverentiam peragit Consecranti, sedet in scabello, tegit caput, quod detegit et inclinat dum cantantur verba: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram;* et iterum ad: *Iesu Christe.*

2714. — Absoluto a Choro Hymno, Electus caput detegit, surgit, reverentiam Consecranti peragit, ad Altare suum se convertit, cum Assistentibus suppedaneum conscendit, in medio deosculatur Altare et dicit, ad Missale conversus: *Dominus vobiscum,* ac legit Orationem Missae, sub unica conclusione cum Oratione: *Adesto, Domine* etc., ut in eodem Missali habetur « *In Consecratione Episcopi* ». Orationibus absolutis, descendit ad scabellum, more solito, et sedet. Decantata a Subdiacono Epistola, Electus surgit, cum consuetis reverentiis, ad Altare revertitur, ubi Epistolam, Graduate, vel Tractum, vel Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum pariter exclusive, legit, dein de Altari descendit et ante scabellum suum consistit, detecto capite. Quum Episcopus consecrans de Throno descendit, salutationi eius respondet, dein caput tegit, cum Assistentibus accedit ante Altare, reverentiam, detecto capite, peragit Cruci et Consecranti simul, ac postea in scabello sedet atque caput tegit.

Prolatis a Consecrante verbis: *Episcopum oportet* etc., Electus caput detegit, Cappellano biretum tradit, surgit; post Orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc., accedit ante infimum Alatris gradum, versus Evangelii latus, ubi procumbit ad sinistram Consecrantis in Faldistorio genuflexi.

2715. — Litaniis completis, Electus surgit de prostratione, ascendit suppedaneum et genuflectit ante Consecrantem, caput inclinat ad Missale accipiendum super cervicem. Prolatis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum,* Electus de Altari descendit et genuflectit in infimo gradu; circa finem primae partis Praefationis accipit per Caeremoniarium vittam circa caput.

Quum Episcopus consecrans dimittit chirothecas, decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., Electus surgit, ascendit Altare, ante Consecrantem genuflectit; expleta unctione, de Altari descendit iterumque in infimo gradu genuflectit.

Post Praefationis cantum, Electus per Caeremoniarium accipit vittam quae pendere debet ante pectus; postquam Episcopus consecrans intonaverit Antiphonam: *Unguentum in capite* etc., Altare ascendit, genuflectit, ante Consecrantem sustinet apertas manus cum digitis et pollicibus iunctis. Unctione accepta ac prolatis verbis: *Deus et Pater* etc., Consecratus iungit ambas manus, dexteram super sinistram tenet easque imponit vittae a collo pendenti; baculum pastoralem accipit inter digitos medios et indices, non aperiens manus; annulum accipit in digito annulari dextero, imponit manus, non disiungens eas, Missali, dum Consecrans et Assistentes recitant formulam: *Accipe Evangelium* etc., qua formula recitata, genuflexus accipit a Consecrante amplexum, eique respondet: *Et cum spiritu tuo,* sed manus non aperit ac postea surgit, accipit pacem ab Episcopis Assistentibus eisque respondet: *Et cum spiritu tuo,* deinde descendit, reverentiam Cruci et Consecranti simul peragit, accedit ad scabellum suum in quo sedet; per suum Cappellanum dimittit vittas et caput purificatorio abstergit, dein annulum dimittit, manus lavat et abstergit ac postea annulum réassurait.

2716. — Quibus peractis, Consecratus surgit, ad suum Altare se convertit, Cruci reverentiam facit, Altare ascendit, legit ultimum Versum Gradualis, vel Tractus, etc., dicit: *Munda cor meum* etc., ac Evangelium, quod tamen non deosculatur, nec profert verba: *Per Evangelica* etc., de Altari descendit, reverentiam Consecranti peragit, in scabello sedet et caput tegit. Ad Evangelii cantum sistit, capite detecto iunctisque manibus, ad Diaconum conversus.

Quando Episcopus consecrans intonat: *Credo in unum Deum,* Consecratus se ad Altare convertit, Cruci reverentiam peragit, Symbolum recitat cum Episcopis Assistentibus, postea cum consuetis reverentiis sedet in suo scabello, caput tegit, quod detegit et inclinat ad: *lesum Christum; Et incarnatus est* etc.; *Simul adoratur.*

2717. — Decantato a Choro Symbolo, surgit, detecto capite, ut alias, ascendit Altare suum, quod deosculatur, et dicit: *Dominus vobiscum* ad Missale conversus, ac legit Offertorium, deinde de Altari descendit et, medius inter Episcopos Assistentes, procedit ad Thronum, facta reverentia Cruci Altaris sui et Altaris maioris.

Quum ad Thronum pervenerit, reverentiam Consecranti peragit, ascendit, genuflectit in pulvino ante ipsum Consecrantem cui praesentat intorticia et dum illa Consecrans accipit, Consecratus manum deosculatur, dein offert panes et doliola eodem modo ac postea de Throno descendit, reverentiam Consecranti facit, ad Altare maius procedit et consistit in latere posteriori, in cornu Epistolae, habens ante se Missale; numquam se movet de loco suo, nec se ad populum vertit. Circa coniunctionem, extensionem, seu elevationem manuum, ac Crucis efformationem super oblata, idem servat quod Consecrans. Non recitat preces in benedictione incensi, nec pro thurificatione oblatarum et Altaris. Thurificationem accipit post Consecrantem. Ad: *Lavabo* etc., manus non lavat; ad: *Orate, fratres* etc., Altare deosculatur. Legit Secretam propriam ut in Missali « *In Consecratione Episcopi* » sub unica conclusione cum Secreta Missae. Recitat, elata voce, sequens cantum, Praefationem, *Pater noster* etc., ac: *Pax Domini* etc. Oratio: *Hanc igitur* etc., est propria ut in Missali « *In Consecratione Episcopi* ». Ad: *Qui pridie* etc., non abstergit digitos et recitat verba consecrationis paullulum inclinatus, iunctisque manibus; ac postea genua flectit usque dum Episcopus consecrans reponit S. Hostiam supra Corporale, dein surgit et ita se gerit in consecratione Calicis. Post consecrationem, manus iunctas, vel apertas habet, iuxta Rubricas, sed pollicem iunctum indici non sustinet. Recitat: *Per ipsum* etc., innetis manibus, sicut: *Libera nos* etc. Recitata Oratione: *Domine lesu Christe, qui dixisti* etc., accedit ad dexteram Consecrantis et deosculatur Altare una cum eodem, accipit ab eo pacem ac respondet: *Et cum spiritu tuo,* deinde se confert ad pristinum locum, pacem donat primo Assistenti ac postea secundo Assistenti, quibus dicit: *Pax tibi.*

2718. — Quum Episcopus conseçrans S. Hostia se signat dicens: *Corpus Domini* etc., Consecratus eamdem recitat formulam, sed non

se signat, et ita se gerit ad verba: *Sanguis Domini* etc.; quibus prolatis verbis, accedit ad Consecrantis dexteram et, innetis manibus, a Consecrante recipit reverenter dimidiam sacram Hostiam, dein, accepto Calice de manibus eiusdem Consecrantis, nihil dicens, nec ullum Crucis signum efficiens, sumit pretiosum Sanguinem ac postea Calicem Consecranti reddit, ad suum revertitur locum et purificationem accipit, non ex Calice Consecrantis, sed iuxta Urbis praxim, ex alio, dein os purificatorio abstergit.

Recitata Oratione: *Corpus tuum, Domine* etc., Consecratus, medius inter Assistentes, se confert ad alterum posterius Altaris latus, ubi una cum Consecrante legit Antiphonam « *Communio* » dictam ac postea dicit: *Dominus vobiscum* et Orationem Missae sub unica conclusione cum Collecta: *Plenum quaesumus* etc., ut in Missali « *In Consecratione Episcopi* ». Benedictionem accipit profunde inclinatus.

2719. — Publicata Indulgentia, Consecratus, medius inter Assistentes, descendit de Altari, se confert ante infimum gradum, ubi, reverentia Cruci et Consecranti simul peracta, si mitra benedicta non sit, consistit, alias') suppedaneum ascendit, ante Consecrantem genuflectit, accipit mitram, chirothecas et annulum. Quum Episcopus consecrans eum per manum dexteram accipit et Episcopus Assistens dignior per sinistram, surgit et in Faldistorio sedet, dein a Consecrante baculum pastoralem accipit in sinistra manu.

Intonato Hymno: *Te Deum* etc. a Consecrante, Consecratus surgit de Faldistorio, descendit in planum, reverentiam Cruci et Consecranti facit, dein, medius inter Assistentes, procedit per Ecclesiam benedicens populum. Si ad Altare redierit ante Versiculum: *Te ergo* etc., consistit ante infimum Altaris gradum; completo Versiculo: *Index crederis* etc., per suum Cappellanum mitram dimittit et in pulvino super gradum collocato genuflectit; Versiculo: *Te ergo* etc. a Choro decantato, surgit, mitram accipit, ascendit suppedaneum et in Faldistorio iterum sedet.

2720. — Post Orationem: *Deus, omnium* etc., Consecratus baculum dimittit, surgit, per suam dexteram se convertit ad Altare, quod in medio deosculatur; ponit super illud sinistram et cantat: Sii *nomen Domini benedictum,* interim formans dextero pollice sibi in pectore Crucis signum; eoque formato, etiam dexteram manum super Altare ponit. Responso a Choro: *ex hoc nunc et usque in saeculum,* cantat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Dum haec profert verba, dextera manu signat se Crucis signo a fronte ad pectus; et a sinistro humero ad dexterum, tangens se in unoquoque verbo,

videlicet, dum dicit: *Adiutorium,* in fronte; *nostrum,* infra pectus: *in nomine,* in sinistro humero; *Domini,* in dextero, deinde ante pectus iungit manus donec a Choro respondeatur: *Qui fecit coelum et terram.* Cum dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus,* elevat oculos, manus expandit, sublevat ac ante faciem iungit et, accipiens sinistra manu baculum pastoralem, dum dicit: *Pater,* vertit se ad latus Epistolae et ibi signat populum; dicens: *Et Filius,* vertit se directe ad populum, in medio Ecclesiae existentem, signans iterum; dicens vero: *Et Spiritus Sanctus,* vertit se ad latus Evangelii et ibi tertio signat perficiendo circulum. Si Consecrans sit Cardinalis, Consecratus postquam sinistra acceperit baculum pastoralem, ad Consecrantem convertitur, se ei inclinat, ac postea vertit se ad latus Epistolae, ut supra notavimus.

Benedictione impertita, Cruci reverentiam peragit, accedit ad cornu Epistolae Altaris; ibidem cum mitra et baculo genuflexus in ora suppedanei versus Consecrantem cantat: *Ad multos annos;* surgit, accedit ad medium Altaris ubi iterum, ut prius genuflexus, altius cantat: *Ad multos annos;* postea surgit et genuflexus ante Consecrantem ac rursus cantat altius: *Ad multos annos,* tum surgit, baculum Cappellano suo tradit et excipitur ad amplexum a Consecrante, dein a digniore Episcopo Assistente ac postea ab altero Assistente.

2721. — Recepto baculo, Consecratus, medius inter Episcopos Assistentes, de Altari descendit, Cruci et Consecranti reverentiam peragit et ad suum Altare procedit, ubi, Cappellano suo baculo tradito, mitram dimittit, reverentiam Cruci peragit, suppedaneum ascendit et legit ultimum Evangelium; quo recitato, mitram et baculum accipit, de Altari descendit, Cruci reverentiam peragit et sedet in suo scabello, baculum Cappellano tradit, dein dimittit annulum, chirothecas, mitram, planetam etc. ac postea reassumit mantellettmn, Crucem et annulum. Dum legit preces in gratiarum actione post Missam, dimittit per Cubicularium sandalia et caligas atque reassumit calceos usuales. Quum Consecrans de Throno descendit, Consecratus, detecto capite, surgit, ante Altare maius se confert ubi in pulvino genuflectit ac postea de Presbyterio discedit, ordine quo venerat.

Articulus V.

De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2722. — Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes se more solito gerunt ut in Missa pontificali, sed, absoluta Hora Tertia, ad Altare pergunt, Presbyter Assistens incedens ad Consecrantis sinistram, Diaconi Assistentes Consecrantem sequentes; cum ante Altare pervenerint, Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes recedunt in Chorum ad sua loca.

Absoluto examine, Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes discedunt de suis locis et se conferunt ante Altare. Presbyter Assistens consistit ad dexteram Episcopi consecrantis, sed aliquantulum retro, Diaconi Assistentes a tergo Episcopi consecrantis. Dicto: *Indulgentiam* etc., se gerunt more solito, ut in aliis Missis pontificalibus.

Quum Consecrans, ante lectionem ultimi Versus Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae, accedit ad Altare, Presbyter Assistens praecedit eum, Diaconi Assistentes incedunt ad eius latera et cum pervenerint ante infimum Altaris gradum se conferunt ad sua loca, in Choro. Presbyter Assistens, dum Consecrans tradit Consecrato Evangelium, de suo loco discedit, accedit ad Altare, Consecranti mantile ministrat, aufert annulum iliumque in digitum inducit postquam chirothecas acceperit, dein descendit in planum et consistit ante infimum Altaris gradum.

Diaconi Assistentes ad Altare redeunt postquam Consecratus cum Episcopis Assistentibus ad suum Altare redierit.

Quum Consecrans de Altari descendit, Presbyter Assistens praecedit eum ad Thronum, Diaconi Assistentes incedunt ad eius latera, dein se gerunt more solito, sed, lecto a Consecrante Offertorio, Diaconus Assistens primus imponit ei mitram, extendit gremiale super eius genua, dein ab Episcopo consecrato accipit oblationes quas Clerico tradit. Quum Consecratus de Throno descendit, Diaconus secundus Assistens tollit Consecranti gremiale; Presbyter Assistens vero aufert ei annulum ac postea omnes se gerunt more solito.

Advertat Presbyter Assistens quod Secreta propria Consecrantis legitur sub una conclusione cum Secreta Missae, pariter quod Oratio: *Hanc igitur* etc., propria est ut in Missali « *In Consecratione Episcopi* ».

Presbyter Assistens pacem accipit post Episcopum consecratum et more solito Choro distribuit; **Diaconi Assistentes** pacem accipiunt post Presbyterum Assistentem.

Publicata Indulgentia, **Presbyter Assistens** et **Diaconi Assistentes** se conferunt ad loca sua in Choro; ad Altare revertuntur postquam Consecratus tertio decantaverit: *Ad multos annos,* et se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus.

Articulus VI.

De Ministris sacris in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2723.— **Ministri sacri** se gerunt more solito, ·sed, assumptis missalibus paramentis ab Episcopo consecrante, post Horam Tertiam, non assumunt manipulum et ad Altare cum eodem accedunt, **Diaconus** ad sinistram Consecrantis, **Subdiaconus** ad sinistram Diaconi.

Quum ad Altare pervenerint, **Diaconus** transit ad Consecrantis dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram, reverentiam Cruci peragunt et suppedaneum ascendunt; **Diaconus** sistit ad dexteram Episcopi sedentis in Faldistorio, eique mitram pretiosam aufert ac imponit auriphrygiatam et extendit super eius genua gremiale; **Subdiaconus** ad sinistram consistit.

Postquam Electus, expleto examine, manum Consecrantis deosculatus fuerit, **Diaconus** tollit gremiale ac postea una cum **Subdiacono** de Altari descendit; facta Cruci et Consecranti reverentia, **ambo** ad abacum pergunt; ibique manipulum sumunt et ad Consecrantem cum consuetis reverentiis revertuntur, cum eo descendunt in planum; **Diaconus** mitram Consecranti aufert, deinde ad sinistram Electi se confert, sed aliquantulum retro; **Subdiaconus** sistit ad sinistram Diaconi.

Dum Episcopus consecrans profert: *Indulgentiam* etc.,**Subdiaconus** accipit manipulum ex libro Evangcliorum, accedit ad Consecrantem, ante Diaconum, sed post Electum, et se more solito gerit.

Quum Consecrans, lecta parte Gradualis, vel Tractus, vel Sequendae, a Rubrica praescripta, accedit ad Altare, **Ministri sacri** surgunt, accedunt ante infimum Altaris gradum et ad latera Consecrantis ascendunt suppedaneum; **Diaconus** ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram illius sedentis in Faldistorio consistunt. Quum Episcopus

consecrans genuflectit in Faldistorio, **Diaconus** transit ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram ipsius Consecrantis.

Decantato a Choro Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., **Ministri** cum Consecrante surgunt, **Diaconus** sistit ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram eiusdem Episcopi. Dimisso a Consecrante baculo, ambo iterum genuflectunt, ut prius,et, completis Litaniis,surgunt; **Diaconus** transit ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram Consecrantis. Quum Episcopi Assistentes ascendunt ad latera Consecrantis, **Ministri** sacri aliquantulum recedunt, dein Diaconus Missale Consecranti porrigit. Postquam Consecrans et Assistentes dixerint: *Accipe Spiritum Sanctum,* **Ministri sacri** redeunt ad Consecrantis latera et **Diaconus** aufert ei mitram. Decantatis a Consecrante verbis: *unguenti rore sanctifica,* Ministri sacri una cum Episcopo consecrante se convertunt ad Altare, **Diaconus** transit ad Consecrantis dexteram, dum **Subdiaconus** ad sinistram eiusdem Consecrantis se confert, ibique ambo genuflectunt; postquam decantata fuerit prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., surgunt, loca permutant, et **Diaconus** Consecranti sedenti mitram imponit, dein aufert annulum et chirothecam dexteram, dum **Subdiaconus** sinistram exuit, ac postea **Diaconus** annulum reponit, dein, adiuvante **Subdiacono,** extendit super genua Consecrantis gremiale lineum; **uterque** firmat illud tends ad nodos Faldistorii; peracta capitis Electi unctione, **Diaconus,** adiuvante Subdiacono, gremiale tollit. Expleto Hymni cantu, Diaconus Consecranti mitram aufert, quam ei iterum imponit post Praefationis cantum.

Intonata Antiphona: *Unguentum in capite* etc., **Ministri sacri** iterum extendunt super genua Consecrantis gremiale lineum illudque firmant ad Faldistorii nodos. Antiphona repetita, **Diaconus,** nisi baculus sit benedictus, aufert Consecranti mitram et post Orationem: *Sustentator* etc., cum osculis porrigit aspersorium; quo recepto, mitram Consecranti imponit, dein baculum pastoralem Consecrati eidem Consecranti porrigit.

Diaconus, recepto baculo Consecrati, nisi annulus benedictus sit, Consecranti aufert mitram et post Orationem: *Creator* etc., aspersorium eidem tradit; quo recepto, mitram Consecranti imponit ac porrigit annulum. Quum Episcopi Assistentes ascendunt ad latera Consecrantis, Ministri sacri aliquantulum recedunt. Postquam Episcopus consecrans Missale Consecrato tradiderit, Diaconus illud recipit et Clerico tradit. Postquam Episcopi Assistentes Consecratum ad osculum pacis receperint, Ministri sacri ad Consecrantis latera redeunt; lotis abstersisque a Consecrante manibus, **Diaconus** imponit

chirothecani dexteram, dum **Subdiaconus** sinistram imponit, postea ambo gremiale tollunt et de Altari descendunt; facta Cruci ac Consecranti reverentia, ad scamnum revertuntur et more solito se gerunt, sed Diaconus, postquam thurificaverit Consecrantem, incensat Episcopum Consecratum, dein duos Episcopos Assistentes ac postea Presbyterum Assistentem ceterosque ut in aliis Missis pontificalibus.

Sumpto a Consecrante pretioso Sanguine, **Diaconus** se aliquantulum retrahit ut Consecratus accedere possit ad dexteram Consecrantis; sumpto pretioso Sanguine a Consecrato, **Diaconus** ad dexteram Consecrantis iterum accedit.

Benedictione impertita, Diaconus, si Episcopus consecrans uti Cruce possit, mitram ei, sedenti in Faldistorio, imponit et ad eius dexteram sistit dum Subdiaconus se ad sinistram confert.

Publicata Indulgentia, si mitra Consecrati benedicta non sit, Diaconus aufert Consecranti mitram; completa Oratione: *Domine Deus* etc., aspersorium porrigit; quo recepto, mitram eidem imponit ac postea mitram Consecrati tradit, deinde ambo locum cedunt Episcopis Assistentibus. Mitra Consecrato imposita, **ambo** ad Consecrantis latera accedunt, dumne chirothecae benedicendae sint, quo in casu Diaconus mitram Consecranti aufert; absoluta Oratione: *Omnipotens Creator* etc., aspersorium porrigit; quo recepto, mitram Consecranti imponit; **ambo** locum cedunt Episcopis Assistentibus, dein **Diaconus** tradit Consecranti chirothecani dexteram; qua Consecrato imposita, chirothecani sinistram, ac postea annulum porrigit.

Surgente Episcopo consecrante de Faldistorio, **Subdiaconus** transit in latus Evangelii ad sinistram **Diaconi**, qui interim Consecranti baculum pastoralem Consecrati porrigit.

Quum Episcopus consecrans in latus Evangelii se confert, **Diaconus** ei mitram aufert ac postea **ambo** consistunt a tergo Consecrantis. Benedictione a Consecrato impertita, **Diaconus** mitram Consecranti imponit. Post amplexum, si Consecrans uti potest s. Pallio, **Diaconus** aufert ei mitram, dein Pallium, quod super Altare deponit. Si Evangelium S. Ioannis dicendum sit, **Diaconus**, postquam Consecrans Altare signaverit, imponit ei mitram, alias post Evangelii lectionem et ambo more solito se gerunt.

Articulus VII.

De Canonicis deque ceteris Choralibus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2724. — Canonici, habitu chorali induti, more solito se gerunt ut ad Missam pontificalem ad Thronum (v. n. 938). Dum Episcopus consecrans sedet in Faldistorio, in suppedaneo collocato, et ipsi sedere possunt;dum canitur prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., genuflectunt, ad reliquas strophas consistunt.

2725. — Cantores canunt Graduate vel Tractum vel Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive, si inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive. Quum Episcopus consecrans, dicta Oratione: *Fratres carissimi* etc., genuflectit in Faldistorio, incipiunt Litanias quibus Chorales respondent; decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., desinunt cantum, quem reassumunt ad Versiculum: *Ut nos exaudire* etc., postquam Consecrans genuflexcrit, decantato tertio: *Ut hunc praesentem* etc.

Intonatum a Consecrante Hymnum: *Veni, Creator* etc. **Cantores** prosequuntur et pariter prosequuntur Antiphonam: *Unguentum in capite* etc., postquam ab eodem Consecrante intonata fuerit, dein canunt Psalmum 132: *Ecce quam bonum* etc.; quo absoluto, Antiphonam in cantu repetunt.

Sanctus etc., *Agnus Dei* etc., Cantores canunt postquam illa a Consecrante et Consecrato recitata fuerint, et etiam Antiphonam « *Communio* » dictam canunt postquam illam Consecrans et Consecratus legerint.

Postquam Consecrans intonaverit Hymnum: *Te Deum* etc., Cantores illum prosequuntur et etiam prosequuntur Antiphonam: *Firrnchir manus* etc., postquam ab eodem Consecrante intonata fuerit.

Articulus VIII.

De Caeremoniariis in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2726.— De Caeremoniario primo.—Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius primus signum associandi Episcopum Ordinarium dat.

Episcopus Ordinarius incedit solus et eum sequuntur Episcopi Assistentes et Electus in medio eorum.

cap. t.

E 11

2728. — Dispositio ad Confessionem.

Eet Econ

SD PA

D AU DAL

Mb. Me M L Mm

cap. EAII cap capEA.Γ cap

2729. — Dispositio ad litaniarum cantum.

Π.A. i.A.

2730. — Dispositio ab Offertorio usque ad Communionem.

Caput X. - De sol. consecratione Electi in Episcopum

2731. — Dispositio ad cantum Hymni: *Te Deum.*

C—O—O—O —O—O—O

2732. — Dispositio ad cantum: *Ad multos annos.*

I, II, III — locus In quo Consecratus gcnuflcxus canit: *Ad multos annos.*

2733. — De Caeremoniario secundo. — Caeremoniarius secundus in hac Functione sollicitus sit praecipue circa personam Electi in Episcopum et duos Episcopos Assistentes, propterea attente perlegat quae notavimus in Articulis III et IV huius Capitis.

Post primam partem Praefationis, Caeremoniarius ligat caput Electi cum una ex longioribus mappulis; absoluta vero Praefatione, imponit ad eiusdem collum aliam ex mappulis longioribus.

Quum Consecratus redit ad suum scamnum, ante parvum Altare, Caeremoniarius aufert ei vittas et abstergit caput. Sumpta purificatione, praemoneat Consecratum ut ad Evangelii latus transeat. Postquam Presbyter Assistens Indulgentiam publicaverit, Caeremoniarius imponit Consecrato pileolum. Intonato a Consecrante Hymno: *Te Deum* etc., invitat Consecratum et Assistentes ad procedendum per Ecclesiam et Consecratum ac Assistentes praecedit.

Si ad Altare redierint ante Versiculum: *Te ergo, quaesumus* etc., omnes consistunt ante infimum gradum et ante cantum eiusdem Versiculi Caeremoniarius aufert Consecrato mitram quam reponit, decantato Versiculo; dein eum deducit iterum ad Faldistorium, in medio suppedaneo collocatum.

Quum Consecratus ad suum Altare revertitur, Caeremoniarius aufert ei mitram.

2734. — De Caeremoniario tertio. — Caeremoniarius tertius se gerit ut secundus Caeremoniarius in Missa solemni pontificali ad Thronum, sed Cantoribus signum dat canendi *Sanctus* etc., *Agnus Dei* etc., Antiphonam « *Communio* » dictam, postquam recitata fuerint ab Episcopo consecrante et a Consecrato.

Ut rite et expedite Ritus consecrationis Electi in Episcopum persolvatur, Caeremoniarii prae oculis habeant Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub. n. 2739.

Articulus IX.

De Ministris libri et candelae in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

[a]

2735. — Ministri libri et candelae se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus ad Thronum, sed cum Episcopus consecrans ad Altare procedit, Hora Tertia absoluta, **Minister libri** sumit ex abaco Pontificale Romanum et cum **Ministro candelae** accedit ad Consecrantem; postquam Consecrator dixerit: *Haec tibi fides augeatur* etc., **ambo** de Altari descendunt et super abacum reponunt Pontificale et candelam.

Lecto ab Episcopo consecrante Graduali, vel Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, de Throno descendunt, **Minister libri** tradit Acolytho Missale et ab eo recipit Pontificale Romanum, dein ambo sequuntur Consecrantem ad Altare. Completa invitatione ad orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc., de Altari descendunt et postquam decantatus fuerit Versiculus Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., ad Consecrantem revertuntur. Dicto ab eodem Consecrante tertio: *Ut hunc praesentem* etc., de Altari descendunt et ad Consecrantem iterum revertuntur postquam Litaniarum cantus absolutus fuerit. Decantata prima Praefationis parte, **Minister libri** genuflectit ad sinistram Diaconi sustinens librum versus Consecrantem, **Minister candelae** genuflectit ad dexteram Subdiaconi. Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., ambo surgunt et postquam Consecrans gremiale lineum acceperit rursus coram eo genuflectunt. Tradito Evangeliario Consecrato, de Altari descendunt.

Impertita a Consecrante benedictione, **Minister libri** sumit Pontificale Romanum et una cum **Ministro de candela** accedit ad Consecrantem. Impositis Consecrato chirothecis, ambo surgunt et recedunt in latus Evangelii; cum Consecrans consistit in eodem Evangelii laterc, ante eum se conferunt pro intonatione Hymni: *Te Deum* etc., dein descendunt in planum in cornu Evangelii, ibique consistunt, facie cornu Epistolae versa.

Postquam absolutus fuerit cantus Hymni: *Te Deum* etc., iterum se conferunt ante Consecrantem stantem in suppedaneo ut prius et, absoluta Oratione: *Deus, omnium* etc., descendunt; **Minister** libri deponit Pontificale Romanum super abacum ac postea **ambo** more solito se gerunt.

Articulus X.

De Ministris mitrae et baculi in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2736. - De Ministro mitrae. — Minister mitrae ad Horam Tertiani more solito se gerit, deinde ut in aliis Missis pontificalibus, sed:

	mitram tradit:	mitram recipit:	
1 Diae. Ass.:	Diacono Missae:	a II Diae. Ass	a Diae. Missae:
			pretiosam, cum Consecrans sedet in Faldistorio;
	auriphrygiatam, accepta pretiosa;		
			postquam Consecrans descenderit, expleto examine;
thurificato Altari			
		cum Consecrans ad Thronum pervenerit;	
recitato: *Kyrie, eleison* etc.;			
		postquam decantatum fuerit ultimum: *Kyrie, eleison·,*	
recitato: *Gloria in excelsis* etc.;			
		decantatoAngelico Hymno;	
completis Orationibus;			
pretiosam postquam Episcopus legerit Graduale, vel Tractum, vei Sequentiam usque ad ultimum Versum;			
			auriphrygiatam, tradita pretiosa Diacono I;
	auriphrygiatam, accepta pretiosa cum Episcopus I sedet in Faldistorio;		

[mitram tradit.]	[mitram recipit:]
| Diae. Ass.:	Diacono Missae: | a II Diae. Ass.:	a Diae. Missae:
		postquam Consecrans et Assistentes dixerint: *Accipe Spiritum Sanctum;*
decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc.;		
	*	postquam Consecrans dimiserit gremiale lineum;
completa Praefatione;		
		ante benedictionem baculi, si benedicendus;
asperso baculo;		
		ante benedictionem annuli, si benedicendus;
annulo asperso;		
		auriphrygiata/n, postquam Consecrans Consecrato osculum pacis dederit;
	pretiosam, accepta auriphrygiata;	
auriphrygiatam, cum ad Thronum pervenerit.		
	pretiosam, tradita Diacono | auriphrygiata.	
	impertita benedictione, si Consecrans uti Cruce possit;	
		ante benedictionem mitrae, si benedicenda;
	mitra aspersa;	
		ante benedictionem chirotecharuin, si benedicendae;
	aspersis chirothecis;	
		ante intonationem Hymni: *Te Deum* etc.
	impertita a Consecrato benedictione.	

II. - De Ministro baculi. — Hic Minister se more solito gerit ut in Missa pontificali, sed baculum ab Episcopo consecrante recipit cum ille, absoluta Hora Tertia, sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo Altaris collocato; eique porrigit postquam Electus, absoluto examine, manum eiusdem Consecrantis deosculatus fuerit, et statim recipit postquam Consecrans descenderit in planum.

Baculum porrigit etiam Consecranti cum ille, lecto Graduali, vel Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, de Throno descendit et ab eo recipit cum in Faldistorio, ut supra, sedet. Porrigit quoque baculum, decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., et ab eo recipit postquam tertio dixerit: *Ut hunc praesentem* etc. Publicata Indulgentia, recipit baculum a Consecrante. Iterum baculum porrigit postquam Consecrator receperit Consecratum ad osculum pacis in fine Missae, et ab eo recipit cum ad Thronum pervenerit.

Articulus XI.

De Cappellanis inservientibus Episcopis Assistentibus et Electo in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2737. — I. - De Cappellanis inservientibus Episcopis Assistentibus. — Singulis Episcopis Assistentibus **duo Cappellani** superpelliceo induti inserviant, **alter de mitra, alter de libro.**

Statuta hora, ambo cum ceteris procedunt ad associandum Episcopum Ordinarium. Quum ad Altare maius pervenerint, se conferunt apud Altare Electi; absoluta Hora Tertia, adiuvant Episcopos Assistentes in deponendis Cruce et mantelletto, nec non in assumendis amictu, Cruce pectorali, stola et pluviali, dein porrigunt eis mitram.

Cappellani de libro sumunt ex abaco Pontificale Romanum et sequuntur Episcopos Assistentes, alter sistit ad dexteram primi Assistentis, alter ad sinistram secundi; cum Episcopi Assistentes sedent, genuflectunt sustinentes librum apertum versus eosdem; expleto examine, deponunt Pontificale super abacum, deinde accedunt ad sinistram Episcoporum Assistentium, dum **Cappellani de mitra** se conferunt ad dexteram eorundem; **omnes** genuflectunt et Episcopis Assistentibus respondent ad Confessionem; qua absoluta, **Cappellani de mitra** tradunt eis mitram, dein procedunt ad Altare

Electi, ibique ad eius latera sistunt; cum opus sit, ab Episcopis Assistentibus mitram accipiunt eamque eis porrigunt.

Quum Episcopi Assistentes et Electus accedunt ante Altaris maioris gradum, lecto Graduali, vel Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum pariter exclusive, **Cappellani de libro** sumunt ex abaco Pontificale Romanum et se gerunt ut supra ad examen; recitata invitatione ad orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc., deponunt super abacum Pontificale Romanum, quod reassumunt dum canitur Litaniarum Versiculus: *Ut omnibus fidelibus* etc., et ad Episcopos Assistentes accedunt. Postquam Consecrans tertio decantaverit: *Ut hunc praesentem* etc., reponunt super abacum Pontificale Romanum. Iterum accedunt ad Episcopos Assistentes, ante Orationem: *Propitiare, Domine* etc.; tradito annulo Consecrato, rursus super abacum Pontificale Romanum deponunt.

Quum Episcopus consecratus procedit cum Episcopis Assistentibus per Ecclesiam, intonato Hymno: *Te Deum* etc., **Cappellani** bini bini sequuntur Episcopos.

II. - De Cappellanis Electi. — **Duo Cappellani,** superpelliceo induti, Episcopo electo inserviant. **Cappellani,** statuta hora, cum ceteris procedunt ad associandum Episcopum Ordinarium et cum ad Altare maius pervenerint se conferunt apud Altare Electi.

Absoluta Hora Tertia, **Cappellani** adjuvant Electum in deponendo mantelletto, **Cappellanus primus** porrigit ei biretum ac mantile ministrat, deinde ambo eum induunt amictu, alba, cingulo, stola et pluviali. Quum Episcopus consecrans mitram accipit, **Cappellanus** primus aufert pileolum Electo eique porrigit biretum a quo recipit, si praestare debeat iuramentum, post lectionem Mandati Apostolici, eique reddit cum, praestito iuramento, de Altari descendit; alias biretum recipit, expleto examine, iterumque ei porrigit cum ad parvum Altare pervenerit et sedet ad legendas preces in Missae praeparatione.

Cappellanus secundus, si Electus praestare iuramentum non debet, sumit ex abaco Pontificale Romanum, sequitur Electum et genuflectit ad eius dexteram sustinens librum apertum ante illum; alias sumit Formulam iuramenti et, cum Electus genuflectit in pulvino ante scamnum, ponit Formulam super scamnum ipsum; iuramento praestito, recipit Formulam quam super abacum deponit, sumit Pontificale Romanum et se ut supra gerit.

Quum Electus, post Confessionem, procedit ad suum Altare, Cappellanus secundus sumit ex abaco Canonem Pontificalem et

sustinet apertum ante Electum sedentem in scamno. Absolutis ab eodem Electo precibus in Missae praeparatione, Cappellani adiuvant Electum in deponendis pluviali ac stola et in assumendis Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, planeta ac manipulo, deinde Cappellanus secundus sumit ex abaco legile cum Missali et illud ponit ante Crucem, super mensam Altaris Electi.

Postquam Episcopus consecrans, adiuvantibus Episcopis Assistentibus, Missale apertum imposuerit super scapulas et caput Electi, Cappellanus secundus accedit ad Electum et adstans a tergo eius sustinet Missale continue usque ad traditionem annuli inclusive, deinde recedit.

Dum Consecratus manus lavat, Cappellanus primus mantile ei ministrat.

Lecto Offertorio, Cappellanus secundus transfert Missale cum legili Consecrati ad Altare maius et illud collocat in latere Epistolae.

Cappellanus primus, sumpto a Consecrato pretioso Sanguine, porrigit ei Calicem pro purificatione, deinde alter transfert Missale Consecrati ad Evangelii latus.

Publicata Indulgentia, Cappellanus primus sumit ex abaco mitram Consecrati et se confert ante Consecrantem, si benedicenda sit, alias eam Diacono porrigit; alter, dum Consecrans mitram imponit Consecrato, sumit ex abaco chirothecas et, imposita mitra Consecrato, se confert coram Consecrante, si chirothecae benedicendae, alias eas Diacono tradit. Dum Episcopus consecrans imponit manibus Consecrati chirothecas, Cappellanus primus sumit baculum pastoralem Consecrati et Diacono illuni tradit.

Quum Episcopus consecratus procedit per Ecclesiam, duo Cappeliani eum praecedunt; si ad Altare redierint ante cantum Versiculi: *Te ergo* etc., Cappellani sistunt retro post Consecratum et primus, decantato Versiculo: *Index crederis* etc., accipit a Caeremoniario mitram, quam eidem porrigit post Versum: *Te ergo* etc.

Decantata Oratione: *Deus, omnium* etc., Cappellanus secundus accipit a Consecrato baculum pastoralem, quem reddit antequam ille dicat: *Pater.*

Postquam Consecratus tertio decantaverit: *Ad multos annos,* Cappellanus secundus recipit baculum, quem iterum ei porrigit post amplexum et ab eo rursus recipit cum Consecratus pervenerit ad parvum Altare; alter accipit a Caeremoniario mitram. Ambo Consecratum adiuvant in deponendis paramentis nec non in reassumendis mantelletto et Cruce pectorali ac postea Cappellanus secundus accipit Canoncm Pontificalem et apertum sustinet ante Consecratum.

Articulus XII.

De ceteris Ministris inferioribus in consecratione Electi in Episcopum solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2738. — I. - De Acolytho. — Acolythus se gerit ut in aliis Missis pontificalibus. Quando Consecrans uti potest mitra pretiosa Acolythus

sumit ex abaco mitram pretiosam et Ministro tradit:	a Ministro eam accipit et deponit super abacum:
absoluta Hora Tertia;	
	cum Consecrans sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato;
cum Consecrans incipit Confessionem;	
	quum Consecrans ad Thronum pervenerit;
dum Episcopus consecrans legit Graduate vel Sequentiam;	
	postquam Consecrans sederit in Faldistorio;
dum Consecrans tradit Missale Consecrato;	
deinde se gerit more solito.	

Si Electus praestare debet iuramentum, circa finem Formulae sumit ex abaco Missale et Diacono tradit.

Decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., sumit ex abaco lancem et accedit ad Consecrantem; acceptas chirothecas super abacum deponit, sumit lancem cum vasculo s. Chrismatis et Diacono defert; expleta unctione capitis Electi, accipit in lance vasculum, descendit in planum ad latus Evangelii, ibique consistit.

Iterum ad dexteram Diaconi accedit intonata Antiphona: *Unguentum in capite* etc.; expleta unctione manuum Electi, defert vasculum s. Chrismatis ad abacum ex quo sumit lancem cum chirothecis Consecrantis et postquam Consecrans laverit ac absterserit manus ad eum accedit. Assumptis a Consecrante chirothecis, Acolythus defert ad abacum lancem et si baculus

Consecrati benedicendus, sumit vasculum aquae benedictae ac se confert ad Diaconi dexteram; asperso annulo, Acolythus defert ad abacum vasculum aquae benedictae, dein se ad Diaconum iterum confert a quo Missale recipit et illud super abacum deponit.

Publicata Indulgentia, si mitra benedicenda, sumit ex abaco vasculum aquae benedictae et ad Diaconi dexteram se confert; aspersis chirothecis, deponit vasculum super abacum.

II. - De Ministro de gremiali. — Minister de gremiali se ut in aliis Missis pontificalibus gerit, praeterea gremiale porrigit Diacono Missae cum, absoluta Hora Tertia, Consecrans sedet in Faldistorio in medio suppedaneo Altaris collocato et ab eo recipit, expleto examine.

Minister eidem Diacono tradit gremiale lineum, decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., et illud ab eo recipit, expleta capitis unctione; iterum gremiale lineum Diacono tradit, intonata Antiphona: *Unguentum in capite* etc., et illud recipit postquam Consecrans laverit et absterserit manus.

III. - De Cereoferariis. — Ceroferarii se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus, sed, absoluta Hora Tertia, depositis candelabris super abacum, collocant Faldistorium in medio suppedaneo et, cum Consecrans de Altari descendit, expleto examine, amovent Faldistorium, dein Ministris sacris manipulum imponunt.

Decantata Epistola, iterum Faldistorium in medio suppedaneo statuunt. Reassumptis chirothecis a Consecrante, post unctionem manuum Consecrati, Ceroferarius primus sumit ex abaco baculum pastoralem Consecrati et, si benedicendus, sustinet illum ante Consecrantem, alias porrigit baculum Diacono a quo recipit post traditionem Consecrato; interim Ceroferarius secundus sumit annulum in lance et, si benedicendus, sustinet lancem coram Consecrante, alias Diacono annulum porrigit.

Quum Episcopus consecrans de Altari descendit, ambo Faldistorium amovent, quod rursus in medio suppedaneo statuunt, impertita a Consecrante benedictione in fine Missae. Publicata Indulgentia, Ceroferarius primus sumit ex abaco mitram Consecrati et, si benedicenda, sustinet eam ante Consecrantem, alias porrigit eam Diacono; interim alter sumit ex abaco lancem cum chirothecis et si benedictae non sint, se confert ante Consecrantem, alias tradit eas Diacono.

Ambo quum Episcopus consecratus, decantata a Consecrante Oratione: *Deus, omnium* etc., surgit de Faldistorio, statim illud amovent.

IV. - De Thuriferario. — Thuriferarius se gerit ut in aliis Missis pontificalibus (v. n. 966, IV).

V. - De Clericis inservientibus. — Hi Clerici pro paranientis se ut in aliis Missis pontificalibus gerunt; tres ex illis transferunt scamna Episcoporum Assistentium et Electi, cum opus sit; scilicet Clericus primus scamnum primi Assistentis; secundus scamnum secundi Assistentis; tertius scamnum Electi.

Quum Episcopi Assistentes et Electus surgunt de oratione ante Altare maius, tres Clerici tollunt pulvinos et congruo in loco reponunt. Quum Consecrans de Throno surgit et ad Altare procedit, tres Clerici scamna collocant, ut apparet ex dispositione sub n. 2727; absoluto examine, reponunt scamna in pristino loco.

Si Electus praestare debet iuramentum, lecto Mandato Apostolico, Clericus tertius collocat scamnum Electi apud infimum Altaris gradum et ante scamnum ponit pulvinum, alium pulvinum collocat in suppedaneo ante Consecrantem, circa finem lectionis Formulae. Si vero Electus praestare iuramentum non debet, collocat pulvinum in ora suppedanei, prolatis a Consecrante verbis: *Haec tibi fides* etc.

Quum Episcopi Assistentes et Electus, lecto Graduali, vel Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum v. pariter exclusive, de Altari parvo descendunt, iterum statuuntur scamna ante Altare, ut prius, sed in linea recta.

Dum Episcopus consecrans dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc., tertius Clericus collocat duos pulvinos super gradus Altaris versus latus Evangelii, interim Clericus primus et secundus sumunt pulvinos quos ante Episcoporum Assistentium scamna collocant.

Absolutis Litaniis, tertius Clericus collocat ante Consecrantem pulvinum, dein amovet pulvinos super gradus positos, transfert scamnum Electi ante parvum Altare, interim Clericus primus et secundus tollunt pulvinos collocatos ante scamna Episcoporum Assistentium.

Quum Consecratus, post traditionem Evangeliarii, de Altari descendit, Clericus tertius tollit pulvinum de suppedaneo; Clericus secundus et primus transferunt ad parvum Altare scamna Episcoporum Assistentium.

Dum Consecratus legit Offertorium, Clericus primus sumit ex abaco intorticia eaque accendit, secundus Clericus sumit panes, tertius barilia ac postea accedunt, debitis cum genuflexionibus, ad Thronum et consistunt ante infimum gradum ad dexteram Cathe-

drae. Quum Consecratus Thronum ascendit, Clericus primus et ipse ascendit, Consecrato intorticia tradit ac postea ascendit Clericus secundus qui porrigit panes, denique tertius qui barilia tradit.

Publicata Indulgentia, Clericus tertius collocat pulvinum in suppedaneo ante Consecratum, quem tollit cum Consecratus ipse surgit.

Summarium Ritus Consecrationis Electi in Episcopum solemniter PERAGENDAE AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA Cathedrali.

2739. — Consecrans accedit ad Ecclesiam cum Episcopis Assistentibus et cum Electo. — Consecrans aspergit etiam Episcopos, vel eis aspersorium porrigit. — Adorato SS. Sacramento, procedunt ad Altare maius. — Consecrans ad Tertiam se gerit more solito. — Episcopi Assistentes et Electus se Choralibus conformant. — Dum Ordinarius paramenta missalia sumit, Episcopi Assistentes assumunt amictum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale; Electus manus lavat, dein sumit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale. — Quum Consecrans accipit mitram, Assistentes a suis Cappellanis manu accipiunt mitram, quam sibi ipsi imponunt et ita durante Functione se gerunt ac pariter exuentes eam, cum opus sit; Electus dimittit pileolum et caput bireto operit. — Consecrans accedit ad Altare, sedet in Faldistorio, mitram pretiosam dimittit et accipit auriphrygiatam. — Assistentes cum Electo accedunt ante Altare et in scamnis sedent; innuente Caeremoniario, surgunt, detecto capite. — Assistens dignior dicit: *Reverendissime Pater* etc. — Consecrans: *Habetis mandatum?* — Assistens: *Habemus.* — Consecrans: *Legatur.* — Notarius mandatum legit. — Si Electus iusiurandum non praestiterit, tunc praestat. — Examen. — Electus in fine cuiuscumque interrogationis caput detegit, surgit et respondet. — Expleto examine, Electus deosculatur manum dexteram Consecrantis. — Consecrator Confessionem facit ad dexteram Electi. — Dicto: *Oremus,* Consecrans et Electus sibi invicem reverentiam faciunt. — Consecrans prosequitur Missam, more solito, usque ad ultimum Versum Gradualis, vel Tractus etc. — Electus, medius inter Assistentes, procedit ad suum Altare. — Dum legit Psalmos in Missae praeparatione, Electus accipit caligas et sandalia. — Completa Missae praeparatione, dimittit pluviale et stolam; sumit Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, planetam et manipulum, dein Altare conscendit recitans: *Aufer* etc., deosculatur Altare et Missam legit usque ad locum quo Consecrans pervenerit. — Lecto,

usque ad ultimum Versum exclusive, Graduali vel Tractu etc Consecrator procedit ad Altare; Electus cum Assistentibus se confert ante Altare. — Consecrans mutat mitram et postquam dixerit: *Episcopum oportet* etc., surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — Litaniae Sanctorum. — Electus procumbit ad sinistram Consecrantis. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Consecrans surgit, ad Electum se convertit. — Postquam Consecrans tertio dixerit: *Ut hunc praesentem* etc., baculum dimittit, iterumque genuflectit. — Completis Litaniis, Consecrans, adiuvantibus Assistentibus, Missale imponit super cervicem et scapulas Electi. — Consecrans et Assistentes utrasque manus capiti Electi imponunt dicentes: *Accipe* etc. — Consecrator, absque mitra canit: *Propitiare* etc. — Praefatio. — *Veni, Creator* etc. — Caeremoniarius caput Electi ligat. — Unctio capitis Electi. — Consecrans prosequitur Praefationem. — Cum mitra intonat Antiphonam: *Unguentum* etc. — Caeremoniarius imponit ad Electi collum mappulam. — Consecrator inungit manus Electi. — Lotio manuum Consecrantis. — Benedictio baculi (si non benedictus). — Traditio baculi. — Benedictio annuli (si non benedictus). — Consecrans annulum immittit in digitum Consecrati. — Consecrans sumit cum Episcopis Assistentibus de Consecrati scapulis Missale eique illud tradit. — Consecrator et singuli Episcopi Assistentes accipiunt Consecratum ad osculum pacis, singuli dicentes: *Pax tibi;* Consecratus respondet: *Et cum spiritu tuo,* dein procedit ad suum scabellum. — Consecrator manus lavat, dein reassumit chirothecas et annulum ac postea ad Thronum revertitur. — Abstergitur caput Consecrati qui postea manus lavat. — Missam uterque prosequitur, more solito, sed Consecratus textum Evangelii non deosculatur, nec dicit: *Per evangelica* etc. — Lecto Offertorio, oblationes. — Etiam Consecratus accedit ad Altare maius, sed se recipit ad latus posterius in cornu Epistolae, ante Missale. — Consecrator, elata voce, recitat omnia secreta simul cum Consecrato. — Consecratus non recitat preces in benedictione incensi nec pro Altaris thurificatione. — Diaconus thurificat Consecratum immediate post Consecrantem, dein Episcopos Assistentes, ac postea Presbyterum Assistentem ceterosque de more. — *Hanc igitur* etc., propria. — Consecrans pacem donat Consecrato, dein Presbytero Assistenti. — Consecratus dat pacem Episcopis Assistentibus. — Consecrator se communicat cum dimidia Hostia. — Pretioso Sanguine sumpto, ponit super Patenam alteram partem Hostiae; communicat, nihil dicens, Consecratum stantem, deinde tradit ei Calicem. — Consecratus, nihil dicens, nec ullum Crucis signum efficiens, sumit pre-

tiosum Sanguinem, ac postea ex alio Calice purificationem sumit. — Post Orationem: *Corpus tuum, Domine* etc., Consecratus cum Assistentibus se confert ad alterum posterius Altaris latus. — Consecratus et Assistentes ad benedictionem consistunt profunde inclinati. — Consecrator, benedictione impertita, sedet in Faldistorio. — Publicata Indulgentia, Consecratus se confert ante infimum Altaris gradum. — Benedictio mitrae (si non benedicta). — Assistentes cum mitra accedunt ad latera Consecrantis. — Impositio mitrae Consecrato; Consecrator recitat cum Assistentibus: *Imponimus* etc. — Benedictio chirothecarum (si non benedictae). — Consecrans imponit cliirothecas Consecrato, adjuvantibus Episcopis Assistentibus. — Intlironizatio. — *Te Deum* etc. — Consecratus cum Assistentibus procedit benedicens per Ecclesiam. — Consecrans, absque mitra intonat Antiphonam: *Firmetur* etc. — Repetita Antiphona, Consecrator canit Versiculos et Orationem: *Deus, omnium* etc. — Consecratus impertit benedictionem. — *Ad multos annos.* — Consecrans primo, Episcopi Assistentes dein, accipiunt Consecratum ad osculum pacis. — Consecrator, si s. Pallio usus est, illud dimittit et se gerit more solito, ut in aliis Missis pontificalibus. — Consecratus procedit ad suum Altare, ibique legit ultimum Evangelium; quo recitato, accedit ad suum scamnum, paramenta dimittit et recitat preces in gratiarum actione post Missam. — Consecrator ab Ecclesia, modo quo advenerat, discedit.

CAPUT XI.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM PRIVATIM PERAGENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit color Officii, sed paramenta Electi erunt albi coloris).

2740. — I. - In Sacristia maiori super aliquam mensam disponuntur superpellicea et bireta pro Clero; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

II. - Ad Altare maius. — Altare pallio coloris Officii instruitur et super eius gradus sternitur tapetum; sternitur quoque amplum tapetum per totum Presbyterii pavimentum.

Super Altare ponuntur septeni candelabra et ante altius collocatur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur paramenta Consecrantis, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, chirothecae in lance, mitra pretiosa in cornu Evangelii; auriplirygiata in cornu Epistolae; si color paramentorum erit violaceus tunc collocatur mitra auriplirygiata in cornu Evangelii tantum, exceptis Dominica Tertia Adventus et Quarta Quadragesimae, in quibus adhibetur etiam mitra pretiosa; paramenta teguntur velo eiusdem coloris paramentorum.

Si Episcopus consecrans uti potest s. Pallio, tunc ponitur in lance s. Pallium cum tribus spinulis, velo coloris paramentorum coopertum.

III. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Collocatur baculus pastoralis.

IV. - Super infimum Altaris gradum collocantur quatuor pulvini.

Si Consecrans sit Cardinalis, super infimum gradum, in medio, collocatur unus pulvinus; in plano Presbyterii collocantur ceteri pulvini, scilicet duo versus Evangelii latus, tertius versus Epistolae latus.

V. - In latere Epistolae ante infimum Altaris gradum statuitur Faldistorium (v. n. 674, V).

VI. - E regione throni erigitur parvum Altare cum suppedaneo contecto tapeto; Altare instruitur pallio coloris Officii et super illud collocantur quatuor candelabra, quorum in medio ponitur Crux; inter candelabra collocari possunt vascula cum floribus. Super Altaris mensam disponuntur paramenta albi coloris pro Electo, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, Crux pectoralis, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; in latere Epistolae collocatur Missale cum legili.

VII. - Ante parvum Altare statuuntur tria scabella nuda.

VIII. - Super consuetum abacum collocantur: Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis, quibus aliud purificatorium additur; cochlear parvum cum altera Patena; ampullae vini et aquae in pelvicula; phiala vino plena ad infundendum vinum in ampullam, si opus sit; campanula; vasculum s. Chrismatis in lance; medulla panis et mali medici in lance; caligae cum sandaliis in lance; lanx pro Cruce pectorali; Missale cum legili; Evangeliarium cum manipulo Consecrantis; Pontificale Romanum; Canon Pontificalis; scotula cum

candela; duae vimpae pro Ministris mitrae et baculi; formula Indulgentiae.

IX. - In altero abaco prope Altare Electi collocantur: mitra auriphrygiata; chirothecae albi coloris; caligae cum sandaliis albi coloris, annulus gemmatus in lance; duae vittae ex tela; mantile; urceus cum pelvi et manutergium in lance; medulla panis et mali medici in lance; Calix cum vino ac purificatorio: Canon Pontificalis; pluvialia cum stolis coloris Officii, amictus et mitrae simplices pro duobus Episcopis Assistentibus; duo doliola vini plena,, alterum auro pictum, alterum argento cum stemmatibus Consecrantis et Electi; duo panes, alter deauratus, alter argentatus, pariter uterque cum stemmate Consecrantis et Electi; si Ordinarius sit Cardinalis, doliolis et panibus apponitur tantum stemma Consecrantis; duo intorticia.

X. - Apud abacum prope Altare Electi collocatur baculus pastoralis Electi.

XI. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Episcopo Ordinario, pro Episcopis Assistentibus et Electo.

Si Ordinarius Cardinalis sit, paratur genuflexorium cum strato et pulvinis pro eodem; ad genuflexorii sinistram, sed non in eadem linea, collocantur duo pulvini; tertius pulvinus ponitur ad dexteram eiusdem genuflexorii, sed non in eadem linea.

Super Altare ardebunt sex cerei.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario, de duobus Episcopis Assistentibus deque Electo in Episcopum, in consecratione episcopali privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali.

2741. — De Episcopo consecrante. — Statuta hora, Episcopus Ordinarius, mozzetta super rocchettum indutus, accedit ad Ecclesiam Cathedralem una cum Episcopis Assistentibus et Electo ac se gerit ut sub n. 2689, sed cum ad Altare maius pervenerit, genuflectit in pulvino super infimum Altaris gradum collocato, dein accedit ad Faldistorium, recitat Psalmos ac preces in Missae praeparatione, dum accipit caligas et sandalia. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., biretum sibi ipse exuit, surgit, convertit se ad Altare et stans recitat preces ac Orationes; quibus absolutis, sedet, recitat preces ad paramenta; dimissis Cruce pectorali et mozzetta, caput

bireto tegit, manus lavat ac paramenta pontificalia sumit. Accepto baculo, procedit ad Altare ante cuius infimum gradum Cruci reverentiam peragit et se gerit ut sub n. 2690, sed dicta Oratione: *Oramus te, Domine* etc., sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, accipit mitram et gremiale.

2742. — Quum Electus, sumptis paramentis missalibus, surgit ct ad Altare suum se convertit, surgit et ipse Consecrans, ad Missale se confert et simul cum Electo legit Introitum et reliqua usque ad ultimum Versiculum Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum v. pariter exclusive, ac postea ad Faldistorium accedit et se gerit ut sub n. 2691, sed, si Functio peragitur privatissime, Consecrans ipse una cum Episcopis Assistentibus recitat Litanias, adstantibus respondentibus, recitat etiam Praefationem et reliqua quae in Pontificali Romano in musicis notis signantur.

Consecrans, recepto annulo et mitra dimissa, postquam consecrationem Electi peregerit, accedit ad Missale, Missam prosequitur, se gerens ut in privata, una cum Consecrato.

2743. — Lecto Offertorio, Consecrans sedet in Faldistorio et mitram accipit. Post oblationes, deponit annulum ac chirothecas et lavat manus; quibus abstersis, annulum reassumit, mitram dimittit, surgit; accepta Patena cum Hostia, recitat, elata voce, totam Missam cum Consecrato et se gerit ut sub n. 2695 et seqq., sed Altare non incensatur. Ad manuum lotionem utitur mitra; post Orationem: *Domine Iesu Christe* etc., donat pacem Consecrato.

2744. — De duobus Episcopis Assistentibus. — Duo Episcopi Assistentes se gerunt ut in Articulo III praecedentis Capitis, sed paramenta assumunt postquam Electus legerit Psalmos et preces in Missae praeparatione, ante examen.

Assumptis ab Electo paramentis Missae, surgunt, cum eo suppedaneum ascendunt, et ei assistunt dum Missam prosequitur usque ad ultimum Versiculum Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum pariter exclusive.

Si Functio privatissime peragatur, una cum Consecrante recitant Litanias, adstantibus respondentibus.

2745. — De Electo in Episcopum. — Electus se gerit ut in Art. IV Capitis praecedentis, sed cum pervenerit ad scabellum suum, ante parvum Altare, sedet, legit Psalmos et preces in Missae praeparatione, dum per suum Cubicularium, dimissis calceis usualibus, acci-

pit caligas ct sandalia albi coloris. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., caput detegit, surgit; stans in eodem loco recitat: *Kyrie, eleison* etc., cum precibus et Orationibus; quibus absolutis, dimittit mantellettum; sedens, tecto capite, lavat manus, deinde adjuvantibus Cappellanis suis, accipit amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale. Quum Episcopus consecrans accipit mitram, ipse dimittit pileolum, bireto caput tegit et se gerit ut sub n. 2712 ct 2713.

Responso: *Arnen,* post: *Indulgentiam* etc., Electus redit ad suum Altare, sedet in scamno; dimissis pluviali ac stola, sumit Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, planctam et manipulum; postea surgit, convertit se ad suum Altare ac dicens Orationem: *Aufer a nobis* etc., suppedaneum conscendit, Altare deosculatur in medio; una cum Consecrante, intelligibili voce, legit Introitum et reliqua usque ad ultimum Versum exclusive Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum v. pariter exclusive, dein de Altari descendit, reverentiam Cruci peragit, caput tegit, cum Assistentibus ad Altare procedit et se gerit ut sub n. 2714 et 2715.

Postquam Consecrans laverit et absterserit manus ac annulum reassumpserit, Consecratus ascendit Altare, legit ultimum Versum Gradualis, vel Tractus, etc., et recitat: *Munda cor meum* etc., atque post Evangelium deosculatur Missale, dicens: *Per evangelica* etc.

Lecto Offertorio, Consecratus accedit ante infimum Altaris gradum, reverentiam Cruci et Consecranti simul facit, ascendit pro oblationibus ac postea descendit, Cruci et Consecranti reverentiam iterat ac medius inter Episcopos Assistentes, se confert ad postremum latus Epistolae in gradum superiorem, infra suppedaneum, et se gerit ut sub n. 2717 et seqq.

Articulus III.

De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo Ordinario in consecratione Electi in Episcopum privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali.

2746. — Statuta hora, duo Canonici, superpelliceo supra rocchettum induti, cum ceteris Assistentibus procedunt ad Ecclesiae ianuanv, dignior porrigit Episcopo Ordinario aspersorium; quo recepto, ambo sequuntur Electum et Episcopos Assistentes ad Altare SS. Sacramenti, ac postea procedunt ad Altare maius et genuflectunt in plano a tergo Episcopi Ordinarii. Surgentibus Episcopis, et ipsi surgunt ac cum Ordinario ad Faldistorium pergunt eique re-

spondent, scilicet alternatim recitant cum eo Psalmos et Versiculos in Missae praeparatione.

Quum Consecrans, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., surgit, Assistens primus accipit biretum et ambo se gerunt ut notavimus sub n. 2663-2666.

Accepto a Consecrante baculo pastorali, **Assistentes** procedunt cum eo ante infimum Altaris gradum, Cruci reverentiam faciunt, suppedaneum conscendunt, **Assistens secundus** se confert ad sinistram Consecrantis, sedentis in Faldistorio, eique mitram aufert, si pretiosa utatur; Assistens primus se recipit ad Consecrantis dexteram eique mitram auriphrygiatam imponit, si mitram pretiosam dimiserit, et extendit super eius genua gremiale.

Postquam Electus, expleto examine, manum Consecrantis deosculatus fuerit, **Assistens secundus** tollit gremiale ac postea **uterque** cum Consecrante descendit in planum, ubi, Cruci reverentia facta, Assistens **secundus** aufert mitram Consecranti, deinde **ambo** se conferunt a tergo eiusdem Consecrantis ibique genua submittunt (D. 3804 ad 1).

Dicto a Consecrante: *Indulgentiam* etc., **secundus Assistens** surgit, accipit a Caeremoniario manipulum et illum imponit brachio sinistro eiusdem Consecrantis ac postea iterum suo in loco genuflectit (v. n. 1077, **III**).

Postquam Consecrans dixerit: *Oremus,* Assistentes surgunt et ad latera eiusdem accedunt ac cum eo Altare ascendunt: postquam Consecrans Altare deosculatus fuerit, **secundus Assistens** praesentat eidem Missale deosculandum, deinde ambo, cum eodem Consecrante, se ad populum convertunt et sistunt ad eius latera sedentis in Faldistorio; Assistens **primus** imponit mitram auriphrygiatam et super eius genua extendit gremiale.

Assumptis ab Electo paramentis missalibus, Assistens secundus aufert Consecranti gremiale et mitram; ambo cum eo accedunt ad Missale, in latere Epistolae, eique indicant quod legendum. Collecta pro Electo dicenda est sub unica conclusione cum Oratione Missae. Postquam Consecrans legerit Graduale, vel Tractum, vel Sequential!! usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, ambo accedunt cum eodem Consecrante ad Faldistorium, in medio suppedaneo collocatum, et Assistens **primus** eidem mitram imponit. Quum Consecrans, recitata invitatione ad orationem: *Oremus, fratres carissimi* etc., genuflectit in Faldistorio, primus Assistens transit ad dexteram, alter ad sinistram ipsius Consecrantis.

Decantato a Choro, vel recitato a Consecrante et ab Episcopis Assistentibus Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Assistentes surgunt et primus sistit ad dexteram, alter ad sinistram eiusdem Consecrantis. Dimisso a Consecrante baculo, Assistentes iterum genuflectunt, ut prius.

Quum Episcopi Assistentes accedunt ad latera Consecrantis, duo Canonici Assistentes aliquantulum recedunt, dein primus porrigit Consecranti Missale.

Postquam Consecrans et Episcopi Assistentes dixerint: *Accipe Spiritum Sanctum,* Canonici Assistentes redeunt ad Consecrantis latera et secundus aufert ei mitram. Prolatis a Consecrante verbis: *unguentum rore sanctifica,* Assistentes, una cum Episcopo consecrante, se convertunt ad Altare, primus transit ad Consecrantis dexteram, dum alter ad sinistram eiusdem Consecrantis se confert, ibique genuflectunt; postquam decantata, vel recitata fuerit prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., surgunt, loca permutant; primus Consecranti sedenti mitram imponit, dein aufert annulum et chirothecam dexteram, dum alter sinistram exuit, ac postea primus annulum reponit, dein, altero adiuvante, extendit super genua Consecrantis gremiale lineum; uterque firmat illum teniis ad nodos Faldistorii; peracta capitis Electi unctione, primus, adiuvante altero, gremiale tollit. Expleto Hymno, secundus Assistens Consecranti mitram aufert, quam ei iterum imponit absoluta Praefatione.

Intonata Antiphona: *Unguentum in capite* etc., Assistentes rursum extendunt super genua Consecrantis gremiale lineum, quod, ut prius, firmant; Antiphona repetita, secundus Assistens, si baculus non sit benedictus, aufert Consecranti mitram; dignior post Orationem: *Sustentator* etc., cum osculis porrigit aspersorium; quo recepto, mitram Consecranti imponit, dein baculum pastoralem Consecrati eidem Consecranti porrigit.

Recepto baculo, Assistens secundus, si annulus benedictus non sit, Consecranti aufert mitram; dignior post Orationem: *Creator* etc., aspersorium eidem porrigit; quo recepto, mitram Consecranti imponit ac porrigit annulum. Quum Episcopi Assistentes ascendunt ad Consecrantis latera, Canonici Assistentes aliquantulum recedunt.

Postquam Episcopus consecrans Missale Consecrato tradiderit, Assistens primus illud recipit et Clerico tradit. Postquam Episcopi Assistentes Consecratum ad osculum pacis receperint, Canonici Assistentes ad Consecrantis latera redeunt. Lotis et abstersis manibus a Consecrante, post traditionem Evangeliarii Consecrato, Assistens primus imponit chirothecam dexteram, dum alter sini-

strain imponit, ac postea prior annulum reponit, dein ambo gremiale tollunt; Assistens secundus aufert Consecranti mitram postquam Consecratus laverit et absterserit manus, dein ambo cum Consecrante accedunt ad Missale et se gerunt ut in assistentia Missae privatae.

Lecto a Consecrante Offertorio, Assistens primus mitram eidem Consecranti in Faldistorio sedenti imponit. Ambo sistunt ad eius latera, dum Consecratus oblationes offert, quas Assistens primus ab eodem Consecrante recipit et Clericis tradit, dein tollit Consecranti annulum et dexteram chirothecam, dum alter sinistram aufert, ac postea ministrat mantile et annulum in digito reponit. Abstersis a Consecrante manibus, Assistens secundus mitram aufert; ambo ad Altare se convertunt cum eodem Consecrante eique assistunt ut in Missa privata, sed ante manuum lotionem Assistens primus mitram Consecranti imponit, quam alter aufert antequam Consecrans dicat: *Gloria Patri* etc.

Recitata a Consecrante Oratione: *Domine Iesu Christe* etc., Assistens primus se aliquantulum retrahit et locum dat Consecrato ut ille pacem a Consecrante accipiat.

Sumpto a Consecrante pretioso Sanguine, Assistens primus recedit aliquantulum ut Consecratus accedere possit ad dexteram Consecrantis; sumpto pretioso Sanguine a Consecrato, Assistens ad dexteram Consecrantis iterum accedit.

Postquam Episcopus consecrans sumpserit digitorum ablutionem, Assistens primus imponit ei mitram quam alter aufert, abstersis a Consecrante manibus, dein ambo se gerunt ut in assistentia Missae privatae, sed ad benedictionem, si Consecrans Cruce non utatur, Assistens primus imponit ei mitram, alias, benedictione donata, ac postea indulgentiam publicat.

indulgentia publicata, si mitra Consecrati benedicta non sit, Assistens secundus mitram Consecranti aufert et, completa Oratione: *Domine Deus* etc., prior aspersorium porrigit; quo recepto, mitram eidem imponit ac postea mitram Consecrati porrigit, dein ambo locum cedunt Episcopis Assistentibus. Mitra Consecrato imposita, ambo ad Consecrantis latera accedunt, si chirothecae benedictae non sint, quo in casu Assistens secundus mitram Consecranti aufert et, absoluta Oratione: *Omnipotens Creator* etc., Assistens primus aspersorium porrigit; quo recepto, mitram ei imponit; uterque cedit locum Episcopis Assistentibus, dein Assistens primus tradit Consecranti chirothecam dexteram; qua Consecrato imposita, chirothecam sinistram ac postea annulum porrigit.

Surgente Episcopo consecrante de Faldistorio, Assistens secundus

se confert in latus Evangelii ad sinistram Assistentis primi, qui interim baculum pastoralem Consecrati porrigit Consecranti.

Quum Consecrans in latus Evangelii se recipit, Assistens secundus mitram ei aufert, ac postea ambo consistunt a tergo eiusdem Consecrantis. Benedictione a Consecrato impertita, Assistens primus mitram Consecranti imponit. Post amplexum, si Consecrans uti potest s. Pallio, Assistens secundus aufert ei mitram, dein primus tollit Pallium, quod super Altare deponit. Si Evangelium S. Ioannis dicendum sit, Assistens primus, postquam Consecrans Altare signaverit, imponit ei mitram, alias post Evangelii lectionem, et ambo cum Consecrante procedunt ad Faldistorium.

Quum Episcopus consecrans baculum Ministro tradiderit, Assistens secundus mitram ei aufert et primus tollit manipulum, quem osculandum porrigit, ac postea, secundo Assistente adiuvante, Consecrantem exuit sacris paramentis.

Rcassumpta ab Episcopo consecrante Cruce pectorali, Assistens primus tradit ei biretum, dein ambo, eidem Consecranti respondent, scilicet altcrnatim Canticum cum Psalmo et Versiculis in gratiarum actione post Missam recitant. Precibus absolutis, cum Consecrante ante Altare se conferunt et genuflectunt a tergo eiusdem, in plano. Brevi oratione facta, se gerunt ut in recessu Episcopi Ordinarii ab Ecclesia (v. n. 533).

Articulus IV.

De Caeremoniariis deque Ministris inferioribus in consecratione Electi in Episcopum privatim peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2747. — De Caeremoniario primo. — Caeremoniarius primus se gerit ut in Missa privata celebranda ab Episcopo Ordinario et ut in Consecratione Electi in Episcopum, advertat tamen ut Episcopus consecrans:

I. - Legat Psalmos et Preces in Missae praeparatione ad Faldistorium, in cornu Epistolae, ibique paramenta sumat;

II. - Recitata Oratione: *Oramus te, Domine* etc., sedeat in Faldistorio donec Electus, sumptis paramentis missalibus, parvum Altare ascendat;

III. - Lecto Offertorio, oblationes accipiat in Faldistorio in medio suppedaneo.

Un rite et expedite Ritus persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2757.

2748. — De Caeremoniario Electi. — Caeremoniarius Electi se gerit ut in Articulo VIII Capitis praecedentis, sed advertat ut Electus:

I. - Legat Psalmos et preces in Missae praeparatione quum, facta brevi oratione ad Altare maius, ad suum scabellum pervenerit.

II. - Legat Introitum et reliquas partes Missae, una cum Episcopo consecrante.

III. - Pro oblationibus accedat ad Consecrantem sedentem in Faldistorio collocato in medio suppedaneo.

Ut rite et expedite Ritus persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2757.

2749. — De Ministris libri et candelae. — Hi Ministri accedunt ad Consecrantem pro Missae praeparatione cum Consecrans ipse ad Faldistorium pervenerit; cum vero Consecrans ad Altare se vertit, Ministri post Faldistorium se conferunt cum tergo ad Altare verso. In reliquis se gerunt ut in assistentia Missae privatae (v. Cap. XVI Art. IV Partis III) et in Consecratione Electi in Episcopum (v. Art. IX praec. Cap.), sed Minister candelae eam sumit ex Altari et super Altare deponit.

2750. — De Ministro mitrae. — Minister mitrae semper porrigit mitram primo Assistenti et a secundo recipit; se gerit ut sub n. 2736,1 quod ad Consecrationem Electi in Episcopum pertinet; quod vero ad Missam tradit mitram:

I. - Antequam Consecrans lavet manus post Orationem: *Veni, sanctificator* etc.

II. - Sumpta digitorum ablutione.

III. - Ad benedictionem in fine Missae, nisi Consecrans uti Cruce possit.

2751. — De Ministro baculi. — Minister Consecranti baculum porrigit:

I. - Postquam annulum acceperit; ab eodem recipit postquam sederit in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, ante examen.

II. - Expleto examine, et recipit postquam Consecrans de Altari descenderit ante Missae initium.

III. - Recitato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc.; ab eo recipit postquam tertio dixerit: *Ut hunc praesentem* etc.

IV. - Ad benedictionem in fine Missae; ab eo recipit, publicata Indulgentia.

V. - Postquam Consecrans Altare signaverit, si Evangelium S. Ioannis legendum, alias post Evangelii lectionem, et ab eo recipit cum ad Faldistorium pervenerit.

2752. — De Cappellanis inservientibus Episcopis Assistentibus.— Hi Cappellani se gerunt ut in Articulo XI praecedentis Capitis, sed adiuvant Episcopos in deponendis Cruce ac mantelletto nec non in assumendis amictu, Cruce pectorali, stola ac pluviali postquam Electus legerit Psalmos et preces in Missae praeparatione, ante initium sacrae Functionis.

Si haec Functio privatissime persolvatur, Cappellani de libro sustinent Pontificale Romanum coram Episcopis Assistentibus ad recitationem Litaniarum.

2753. —De Cappellanis inservientibus Electo.—Hi Cappellani se gerunt ut in Articulo XI praecedentis Capitis, sed cum Electus, facta brevi oratione ante Altare maius, pervenerit ad scamnum ante suum Altare, Cappellanus secundus sumit ex abaco Canonem Pontificalem et sustinet ante illum in scamno sedentem.

2754. — De Acolytho. — Acolythus se gerit ut in Articulo XII praecedentis Capitis, sed quando Episcopus consecrans uti potest mitra pretiosa, tradit Ministro mitram auriphrygiatam cum Consecrans sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, in Functionis initio et ab eodem Ministro recipit mitram pretiosam, quam iterum tradit, lecto a Consecrante Offertorio, et recipit auriphrygiatam.

2755. — De Ministro de gremiali. — Minister de gremiali porrigit gremiale primo Assistenti cum Consecrans sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, in Functionis initio et ab eo recipit expleto examine.

Eidem primo Assistenti gremiale lineum porrigit, decantata vel recitata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., et illud recipit, expleta capitis unctione; iterum gremiale lineum tradit, intonata Antiphona: *Unguentum in capite* etc., et illud recipit postquam Consecrans laverit atque absterserit manus.

2756. — De Clericis inservientibus. — Lectis ab Episcopo consecrante precibus in Missae praeparatione, dum Caeremoniarius suppedaneum ascendit, Clerici octo se ante infimum Altaris gradum conferunt et se gerunt ut sub n. 635 notavimus, sed Clericus primus defert amictum, secundus albam, tertius cingulum, quartus stolam, quintus tunicellam, sextus dalmaticam, septimus chirothecas, octavus planetam. Tres Clerici ex eis transferunt etiam scamna pro Episcopis Assistentibus et Electo, ut notavimus sub n. 2738, V.

Duo ex eis transferunt Faldistorium cum opus sit, scilicet: Quum Episcopus consecrans, accepto baculo, surgit, collocant Faldistorium in medio suppedaneo et cum Consecrans ipse de Altari descendit, absoluto examine, illud amovent. Iterum Faldistorium in medio suppedaneo collocant, dum Consecrans Epistolam legit; illud amovent quando Consecrans surgit, lotis et abstersis manibus ab Episcopo consecrato. Lecto a Consecrante Offertorio, in medio suppedaneo Faldistorium statuunt et illud amovent, quando Consecrans surgit. Impertita a Consecrante benedictione in fine Missae, rursus in medio suppedaneo Faldistorium collocant et illud amovent postquam Consecrans cantaverit Orationem: *Deus, omnium* etc.

Summarium Ritus Consecrationis Electi in Episcopum privatim peragendae ab Episcopo ordinario in ecclesia Cathedrali.

2757. — Consecrans accedit ad Ecclesiam cum Episcopis Assistentibus et Electo. — Consecrans aspergit etiam Episcopos, vel eis aspersorium porrigit. — Adorato SS. Sacramento, procedunt ad Altare maius. — Consecrans legit Psalmos in Missae praeparatione ad Faldistorium; Electus ad scabellum et ambo accipiunt caligas et sandalia. — Precibus absolutis, uterque manus lavat. — Consecrator sumit paramenta pontificalia missalia; Electus sumit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale. — Episcopi Assistentes assumunt amictum, Crucem pectoralem, stolam et pluviale. — Cum Consecrans accipit mitram, Assistentes a suis Cappellanis manu accipiunt mitram, quam sibi ipsi imponunt et ita durante Functione se gerunt, ac pariter exuentes eam, cum opus sit; Electus dimittit pileolum et caput bireto operit. — Consecrans accedit ad Altare, sedet in Faldistorio, mitram pretiosam dimittit et auriphrygiatam accipit. — Episcopi Assistentes et Electus accedunt ante Altare et in scamnis sedent; innuente Caeremoniario, surgunt, detecto capite. — Assistens dignior dicit: *Reverendissime Pater* etc. — Consecrans: *Habetis* etc. — Assistens: *Habemus.* — Consecrans: *Legatur.* — Notarius mandatum legit. — Si Electus iusiurandum non praestiterit, tunc praestat. — Examen. — Electus in fine cuiuscumque interrogationis caput detegit, surgit et respondet. — Expleto examine, Electus deosculatur dexteram Consecrantis. — Consecrator Confessionem facit ad dexteram Electi. — Dicto: *Oremus,* Consecrans et Electus sibi invicem reverentiam faciunt. — Consecrans, recitata Oratione: *Oramus te, Domine* etc., sedet in Faldistorio. — Electus cum ad suum

Altare redit, dimittit pluviale ac stolam et sumit Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam etc.; dein suppedaneum conscendit dicens: *Aufer* etc., deosculatur Altare et ad Missale se confert. — Consecrans surgit et pariter ad Missale se confert. — Uterque legit Introitum et reliqua usque ad ultimum Versum exclusive Gradualis, vel Tractus etc. — Consecrans accedit ad Faldistorium, sedet, mitram accipit. — Electus, medius inter Episcopos Assistentes, se ante Altare confert. — Consecrator postquam dixerit: *Episcopum oportet* etc., surgit cum mitra et dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc. — Litaniae Sanctorum (si Functio privatissime peragitur, Consecrans ipse una cum Episcopis Assistentibus recitat Litanias, Adstantibus respondentibus). — Electus procumbit ad sinistram Celebrantis. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Consecrator surgit, ad Electum se convertit. — Postquam Consecrans tertio dixerit: *Ut hunc praesentem* etc., baculum dimittit, iterumque genuflectit. — Completis Litaniis, Consecrans, adiuvantibus Episcopis Assistentibus, Missale imponit super cervicem et scapulas Electi. — Consecrans et Episcopi Assistentes utrasque manus capiti Electi imponunt dicentes: *Accipe* etc. — Consecrator, absque mitra dicit: *Propitiare* etc. — Praefatio (si Functio privatissime peragitur, recitatur). — *Veni, Creator* etc. (pariter si Functio privatissime peragitur, recitatur). — Caeremoniarius caput ligat Electi. — Unctio capitis Electi. — Consecrans prosequitur Praefationem. — Cum mitra incipit (sine cantu si Functio privatissime peragitur) Antiphonam: *Unguentum* etc. — Caeremoniarius imponit ad Electi collum mappulam. — Consecrator inungit Electi manus. — Lotio manuum Consecrantis. — Benedictio baculi (si benedictus non sit).—Traditio baculi. — Benedictio annuli (si benedictus non sit). — Consecrator annulum inserit in digitum Consecrati.—Consecrans sumit una cum Episcopis Assistentibus de Consecrati scapulis Missale eique illud tradit. — Consecrator et singuli Episcopi Assistentes accipiunt Consecratum ad osculum pacis, singuli dicentes: *Pax tibi',* Consecratus respondet: *Et cum spiritu tuo,* ac postea procedit ad scabellum suum. — Consecrator manus lavat, dein reassumit chirothecas et annulum. — Abstergitur caput Consecrati, qui postea manus lavat. — Missam uterque prosequitur more solito; etiam Consecratus deosculatur textum Evangelii dicens: *Per evangelica* etc. — Lecto Offertorio, Consecrator sedet in Faldistorio. — Oblationes. — Quando Consecrans de Faldistorio surgit, Consecratus accedit ad Altare maius, sed se recipit ad latus posterius in cornu Epistolae, ante Missale. — Consecrator, elata voce, recitat omnia secreta simul cum Consecrato.—Ad lotionem

manuum, Consecrator accipit mitram pretiosam. — *Hanc igitur* etc., propria. — Consecrans dat pacem Consecrato, qui eam donat Episcopis Assistentibus. — Consecrator se communicat cum dimidia Hostia. — Pretioso Sanguine sumpto, ponit super Patenam alteram partem Hostiae; communicat, nihil dicens, Consecratum stantem, deinde tradit ei Calicem. — Consecratus nihil dicens, nec ullum signum Crucis efficiens, sumit pretiosum Sanguinem, ac postea ex alio Calice purificationem sumit. — Post Orationem: *Corpus tuum, Domine* etc., Consecratus cum Episcopis Assistentibus se confert ad alterum posterius Altaris latus. — Consecratus et Episcopi Assistentes ad benedictionem consistunt profunde inclinati. — Consecrator, benedictione impertita, sedet in Faldistorio.— Publicata Indulgentia, Consecratus se confert ante infimum Altaris gradum. — Benedictio mitrae (si benedicta non sit). — Assistentes cum mitra ascendunt ad latera Consecrantis. — Impositio mitrae Consecrato, Consecrator recitans cum Episcopis Assistentibus: *Imponimus* etc. — Benedictio chirothecarum (si benedictae non sint). — Consecrans imponit chirothecas Consecrato, adiuvantibus Episcopis Assistentibus. — Inthronizatio.— *Te Deum etc.*— Consecratus cum Episcopis Assistentibus procedit per Ecclesiam benedicens. — Consecrator incipit (sine cantu si Functio privatissime peragitur) absque mitra, Antiphonam: *Firmetur* etc. — Repetita Antiphona, Consecrator canit vel recitat Versiculos et Orationem: *Deus, omnium* etc. — Consecratus impertit benedictionem. — *Ad multos annos.* — Consecrans primo, dein Episcopi Assistentes accipiunt Consecratum ad osculum pacis. — Consecrator, si s. Pallio usus est, illud dimittit et se gerit more solito ut in aliis Missis pontificalibus. — Consecratus procedit ad suum Altare, ibique legit ultimum Evangelium; quo recitato, accedit ad suum scamnum, paramenta dimittit et recitat preces in gratiarum actione post Missam. — Consecrator ab Ecclesia, modo quo advenerat, discedit.

CAPUT XII.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM SOLEMNITER PERAGENDA A METROPOLITA IN ECCLESIA CATHEDRALI EIUSDEM ELECTI

2758. — Omnia praeparantur et sacra Functio peragitur ut in Capite X, sed animadverte sequentes variationes:

I. - Non collocatur septimum candelabrum; super Altaris mensam ponitur s. Pallium in lance.

II. - In plano Throni, albi coloris exornati, non collocantur scabella.

III. - Thronus pro Metropolita, exornatus coloris Officii, erigitur e regione Sedis Episcopi Ordinarii.

IV. - Ad Altare SS. Sacramenti praeparatur, si possibile, genuflexorium unicum cum pulvinis pro Metropolita, Electo et Assistentibus, vel genuflexorium pro Metropolita et Electo; hinc inde huius genuflexorii statuuntur alia genuflexoria pro Episcopis Assistentibus.

V. - In medio Presbyterio Altaris maioris statuuntur in eadem linea duo Faldistoria et hinc inde collocantur duo pulvini.

VI. - Altare Electi collocatur in cornu Evangelii et illi superimponuntur sex candelabra; ante Altare, loco scabelli nudi pro Electo, statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

VII. - Non praeparantur paramenta pro Canonicis, nec dalmaticae pro Diaconis Assistentibus.

VIII. - Metropolita incedit ad dexteram Episcopi Electi qui, licet cappam induat, tamen reverentiae causa eam explicare nequit, sed debet caudam involvere et positam sustinere super sinistrum brachium (D. 4355, II, 2).

IX. - Dignior Capituli, iubente Ordinario, aspersorium cum consuetis osculis porrigit Metropolitae (Caer. Episc. L. I, cap. XV, n. 3 et 4; D. 2049 ad 13 et 14) qui se gerit ut Episcopus Ordinarius accedens ad suam Cathedralem, sed iuxta plurium Ecclesiarum consuetudinem, nec Ordinarium nec Episcopos Assistentes aspergit, sed eis aquam benedictam per aspersorii contactum porrigit.

X. - Metropolita, quando Electus procedit ad Altare, surgit, eiusdem salutationi respondet; similiter se gerit quotiescumque Electus accedit ad Altare, vel ab eo discedit.

XI. - In examine et in altera monitione, ante Litanias, **Electus** sedet in Faldistorio et quum responsurus erit, non surgit, sed tantum caput aperit et respondet; post examen, non deosculatur manum Metropolitae.

XII. - Pro Litaniarum cantu, loco duorum pulvinorum super Altaris gradus collocatur in suppedaneo, versus Evangelii latus, Faldistorium vel scabellum cum duobus pulvinis, quorum unus ad brachia, alter ad genua in quibus Electus procumbit.

XIII. - Consecratus oblationes praesentat stans, nec Metropolitae manum deosculatur.

XIV. - Imposito annulo Consecrato, Metropolita surgit, accipit Consecratum per manum dexteram, dum primus Assistens per manum sinistram pariter accipit, et ducunt eum ad Thronum, in quo inthronizant; deinde Metropolita tradit ei baculum pastoralem ac postea se recipit ad dexteram Cathedrae ubi, dimissa mitra, conversus aliquantulum versus Altare intonat Hymnum: *Te Deum* etc.

XV. - Assistens primus, inthronizato Consecrato, se confert ad dexteram Cathedrae et consistit in primo gradu Throni, ad dexteram Metropolitae; secundus Assistens se confert ad dexteram primi Assistentis et consistit in secundo gradu Throni.

Quum Metropolita mitram dimittit, Assistentes ipsi mitram deponunt, quam sibi imponunt, intonato Hymno: *Te Deum* etc., ac postea se conferunt ante infimum Throni gradum; cum Consecratus de eodem Throno descendit, eum per Ecclesiam deducunt.

Si Consecratus cum canitur Versiculus: *Te ergo* etc., iam ad suam Sedem redierit, surgit et genuflectit in pulvino, ad Altare aliquantulum conversus. Item Metropolita et Assistentes, suis in locis, super pulvinum genuflectunt.

XVI. - Completa Oratione: *Deus, omnium* etc., Metropolita et Episcopi Assistentes mitram accipiunt, Consecratus surgit et inter Assistentes accedit ad Altare maius, dum Metropolita, medius inter Diaconum et Subdiaconum, se confert ad suam Sedem, in cornu Epistolae collocatam, ubi dimittit baculum et mitram.

XVII. - Consecratus benedictionem impertit, ac postea se recipit ad cornu Epistolae Altaris, interim Metropolita, acceptis mitra et baculo, ad Altare se confert, ubi baculum dimittit et in cornu Evangelii consistit.

Quum Metropolita ad cornu Evangelii pervenerit, Consecratus inclinatus cantat:.Ad *multos annos.*

XVIII. - Absoluta Missa, Consecratus accedit ad suam Sedem, medius inter Episcopos Assistentes, qui, cum ante infimum Throni gradum pervenerint, Consecrato reverentiam peragunt, dein se conferunt ad sua scamna ante parvum Altare.

XIX. - Consecratus in sua Sede paramenta dimittit, adjuvantibus Cappellanis, non vero Canonicis, dein reassumptis cappa et Cruce pectorali, legit preces in gratiarum actione post Missam.

XX. - Metropolita, Presbyter Assistens et Ministri sacri circa ea quae Missae Ritum et caeremonias respiciunt se gerunt respective ut in Art. II et HI Capitis X Partis III.

Dispositio ad Altare maius pro consecratione Electi in Episcopum peragenda a Metropolita in Ecclesia Cathedrali eiusdem Electi.

o

F. I. — Faldistorium pro Metropolita. — F. II. =» Faldistorium pro Electo. — P. I. =■ Pulvinus pro Episcopo Assistente Digniore. — P. 11. = Pulvinus pro altero Episcopo Assistente. — + – Crux Metropolitae. — A. — abacus consuetus. — a. = abacus prope Altare Electi.

Scabellum pro: Episcopo Assistente Digniore, 1; altero Episcopo Assistente, 2; Presbytero Assistente, 3; Diacono, 4; Subdiacono, 5; Ministro libri, 6; Ministro candelae, 7; Ministro mitrae, 8; Ministro baculi, 9; Caeremoniario Metropolitae, 10; Caeremoniario Electi, 11; Caeremoniario tertio, 12.

CAPUT XIII.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM SOLEMNITER PERAGENDA AB EPISCOPO EXTRANEO IN ECCLESIA CATHEDRALI EIUSDEM ELECTI

2759. — Omnia praeparantur et sacra Functio peragitur ut in Capite X, sed animadverte sequentes variationes:

I. - Non collocatur septimum candelabrum, super abacum non ponuntur palmatoria, nec patera pro praegustatione, neque formula Indulgentiae.

II. - In plano Throni, exornati albi coloris, pro Episcopo Ordinario non collocantur scabella.

III. - In latere Epistolae ante infimum Altaris gradum statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis coloris Officii; non longe a Faldistorio, a sinistris, collocantur scamnum pro Caeremoniario, scamnum pro Presbytero Assistente et pro Ministris sacris.

IV. - Super infimum Altaris gradum disponuntur quatuor pulvini.

V. - Loco scabelli nudi pro Electo, statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis coloris albi.

VI. - Super abacum, prope Altare Electi, collocatur etiam scotula cum candela.

VII. - Non praeparantur paramenta pro Canonicis, nec dalmaticae pro Diaconis Assistentibus.

VIII. - Ad Altare SS. Sacramenti praeparatur, si possibile, unicum genuflexorium cum pulvinis pro Electo, pro Episcopo consecrante et pro Episcopis Assistentibus.

IX. - **Electus**, cappa indutus, incedit ad dexteram **Episcopi** consecrantis et ad ianuam Ecclesiae se gerit more solito ad aspersionem aquae benedictae, sed non aspergit nec Episcopum consecrantem nec Assistentes, eisque, iuxta plurium Ecclesiarum consuetudinem, aquam benedictam per aspersorii contactum porrigit.

X. - In examine et in altera monitione, ante Litanias, **Electus** sedet in Faldistorio; cum responsurus erit, non surgit, sed tantum caput aperit ac respondet; post examen, non deosculatur manum Episcopi consecrantis.

XI. - In Litaniis collocatur in suppedaneo, versus Evangelii latus, Faldistorium, vel scabellum cum duobus pulvinis, quorum unus ad brachia, alter ad genua, in quibus **Electus** procumbit.

XII. - Consecratus, lecto Offertorio, accedit ante infimum Altaris maioris gradum, reverentiam Cruci et Consecranti simul peragit, ascendit et stans oblationes praesentat; descendit, reverentiam Cruci et Consecranti simul iterat, dein, medius inter Episcopos Assistentes, se confert ad postremum latus Epistolae in gradum superiorem, infra suppedaneum.

XIII. - Imposito annuto Consecrato, Episcopus consecrans surgit, accipit Consecratum per manum dexteram, dum primus Assistens per sinistram pariter accipit, et ducunt eum ad Thronum in quo inthronizant; dein Consecrans tradit ei baculum pastoralem ac postea se recipit ad dexteram Cathedrae ubi, dimissa mitra, conversus aliquantulum versus Altare, intonat Hymnum: *Te Deum* etc.

XIV. - Assistens primus, inthronizato Consecrato, se confert ad dexteram Cathedrae et consistit in primo gradu Throni, ad dexteram Consecrantis, Assistens secundus se confert ad dexteram primi Assistentis et consistit in secundo gradu Throni. Quum Consecrans mitram dimittit, Assistentes ipsi mitram deponunt, quam sibi imponunt, intonato Hymno: *Te Deum* etc., ac postea se conferunt ante infimum Throni gradum; cum Consecratus de eodem Throno descendit, eum per Ecclesiam deducunt.

Si Consecratus cum canitur Versiculus: *Te ergo* etc., iam ad suam Sedem redierit, surgit et genuflectit in pulvino ad Altare aliquantulum conversus, item Consecrans et Episcopi Assistentes, suis in locis, super pulvinum genuflectunt.

XV. - Completa Oratione: *Deus, omnium* etc., Consecrans et Episcopi Assistentes mitram accipiunt, Consecratus surgit et inter Episcopos Assistentes accedit ad Altare maius, dum Consecrans inter Ministros sacros sequitur Consecratum; ante infimum Altaris gradum per Diaconum mitram dimittit, Ministro baculum tradit, suppedaneum conscendit et se recipit in cornu Evangelii, ibique consistit, facie ad cornu Epistolae versa.

XVI. - Quum Consecrans ad cornu Evangelii pervenerit, Consecratus benedictionem impertit.

XVII. - Absoluta Missa, Consecratus accedit ad suam Sedem, medius inter Episcopos Assistentes, qui, cum ante infimum Throni gradum pervenerint, Consecrato reverentiam peragunt, dein se conferunt ad sua scamna ante parvum Altare.

XVIII. - Consecratus in sua Sede paramenta dimittit, adjuvantibus Cappellanis, non vero Canonicis, dein, reassumptis cappa et Cruce pectorali, legit preces in gratiarum actione post Missam.

XIX. - Episcopus consecrans, Presbyter Assistens et Ministri sacri circa ea quae Missae ritum et caeremonias respiciunt se gerunt ut diximus in Art. II Capitis XIV Partis III.

2760. — Dispositio ad Altare maius pro consecratione Electi in Episcopum peragenda ab Episcopo extraneo in Ecclesia Cathedrali ipsius Electi.

J

5

i

à

F. C. Faldistorium pro Consecrante. — F. E. Faldistorium pro Electo. — P. — Pulvini PΓ0\ iw°' ' Consecrante, II; Episcopo Assistente Digniore, III; altero Episcopo Assistente, iv.

Scamnum pro: Episcopo Assistente Digniore, I; altero Episcopo Assistente, 2; Presbyero Assistente et Ministris sacris, 3; Caeremoniario Episcopi Consecrantis, 4; Caeremoniario Electi, 5. — A. – abacus consuetus. — a. – abacus prope Altare Electi.

CAPUT XIV.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM SOLEMNITER PERAGENDA AB EPISCOPO EXTRANEO EXTRA ELECTI DIOECESIM

2761. — Omnia praeparantur et sacra Functio peragitur ut in Capite X, sed animadverte sequentes variationes:

I. - Non collocatur septimum candelabrum, nec Thronum erigitur. Super abacum non collocatur: patera pro praegustatione; formula Indulgentiae.

II. - Super infimum Altaris maioris gradum collocantur quatuor pulvini.

III. - In latere Epistolae, ante infimum Altaris gradum, statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis coloris Officii; non longe a Faldistorio, a sinistris, collocantur scamnum pro Caeremoniario Consecrantis, scamnum pro Presbytero Assistente et pro Ministris sacris.

IV. - Non praeparantur paramenta pro Canonicis, nec dalmaticae pro Diaconis Assistentibus.

V. - Ad Altare SS. Sacramenti praeparatur, si possibile, unicum genuflexorium cum pulvinis pro Consecrante, Electo et Assistentibus, vel genuflexorium pro Consecrante et Electo; hinc inde huius genuflexorii statuuntur alia genuflexoria pro Episcopis Assistentibus.

VI. - Episcopus consecrans, Presbyter Assistens et Ministri sacri se gerunt, circa ea quae .Missae ritum et caeremonias respiciunt, ut diximus in Capite XIV Partis 111.

CAPUT XV.

DE CONSECRATIONE S. R. E. CARDINALIS ELECTI IN EPISCOPUM SOLEMNITER PERAGENDA AB ALTERO CARDINALI

2762. — Omnia praeparantur et sacra Functio peragitur ut in Capite X, sed animadverte sequentes variationes:

1. - Si Cardinalis consecrans non est Ordinarius loci in quo consecratio peragitur, non collocatur septimum candelabrum; si

vero sit Metropolita, et in sua Provincia, ponitur super Altaris mensam s. Pallium in lance.

II. - Cardinalis consecrans non utitur Throno pro respectu Electi, sedet vero in Faldistorio in latere Epistolae, ante infimum Altaris gradum, etiam si Ordinarius loci.

Non longe a Faldistorio, a sinistris, collocatur scamnum pro Caeremoniario, scamnum pro Presbytero Assistente et pro Ministris sacris.

III. - In medio Presbyterio collocantur in eadem linea duo Faldistoria pro Eminentissimis Cardinalibus et hinc inde, sed aliquantulum retro, duo pulvini pro Episcopis Assistentibus.

IV. - Altari Electi superimponuntur sex candelabra; super eius mensam non collocatur Crux pectoralis; ante Altare collocantur duo scabella nuda pro Episcopis Assistentibus; loco scabelli nudi pro Electo statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

V. - Super abacum, prope Altare Electi, collocatur etiam scotula cum candela.

VI. - Ad Altare SS. Sacramenti praeparantur genuflexorium et pulvini ut sub n. 111 notavimus.

VII. - Duo Eminentisshni Cardinales, cappa induti, incedunt iunctim, iuxta ordinem praecedentiae, quae deducenda est a die electionis ad dignitatem cardinalitiam; Episcopi Assistentes sequuntur Cardinales.

VIII. - Si Cardinalis consecrans uti possit Cruce, ea non defertur, sed collocatur in basi ad sinistram Faldistorii.

IX. - Dignior Capituli, vel Ecclesiae Rector, porrigit aspersorium Cardinali digniori qui offert illud tangendum alteri Cardinali, dein seipsum signat, ac postea Episcopis Assistentibus aquam benedictam per contactum aspersorii porrigit, tandem adstantes aspergit.

i X. - Consecrans, quando Electus procedit ad Altare, surgit et eius salutationi respondet; quod etiam facit quotiescumque Electus accedit ad Altare, vel ab eo recedit.

XI. - Electus ante manuum lotionem, dimittit annulum eumque reassumit in Functione quum ei datur a Consecrante; ante stolam sumit Crucem pectoralem; postquam pluviale assumpserit, dimittit pileolum et caput bireto rubro tegit.

XII. - Electus in examine et in altera monitione, ante Litanias, sedet in Faldistorio; cum responsurus erit non surgit, sed tantum

caput detegit et respondet; post examen, manum Consecrantis non deosculatur.

XIII. - In Litaniis collocatur Faldistorium vel scabellum in suppedaneo, versus Evangelii latus, cum duobus pulvinis, quorum unus ad brachia, alter ad genua, in quibus Electus procumbit.

XIV. - **Consecratus** oblationes praesentat ad Altare stans, nec manum Consecrantis deosculatur.

XV. - Etiamsi Functio peragatur in Ecclesia Consecrati, **Cardinalis consecrans** inthronizat eum in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato.

XVI. - Consecratus inclinatus cantat: *Ad multos annos.*

XVII. - **Episcopus primus Assistens** in postulatione dicit: *Eminentissime ac Reverendissime Pater, postulat sancta Adater Ecclesia Catholica ut hunc praesentem Presbyterum Eminentissimuni ac Riwrendissimum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Diaconum* (vel *Presbyterum,* vel *Episcopum) ad onus episcopatus sublevetis.*

XVIII. - **Presbyter Assistens et Ministri sacri** circa ea quae Missae ritum et caeremonias respiciunt se gerunt ut diximus in Capite XVII Partis III, omissis quae respiciunt praesentiam Em.ffll Cardinalis Missae Assistentis.

CAPUT XVI.

DE CONSECRATIONE S. R. E. CARDINALIS ELECTI IN EPISCOPUM SOLEMNITER PERAGENDA AB EPISCOPO DIGNITATE CARDINALITY NON INSIGNITO

2763. — Omnia peraguntur et sacra Functio peragitur ut in Capite X, sed animadverte sequentes variationes:

I. - Si Episcopus consecrans non sit Ordinarius loci, non collocatur septimum candelabrum; nec patera pro praegustatione neque formula Indulgentiae ponuntur super abacum; si vero sit Metropolita, et in sua Provincia, ponitur super Altaris mensam s. Pallium in lance. Super abacum non collocatur palmatoria cum candela. <9

II. - Consecrans non utitur Throno, etiamsi Ordinarius loci, sed sedet in Faldistorio in latere Epistolae, ante infimum Altaris gradum collocato.

III. - Non longe a Faldistorio, a sinistris collocatur scamnum pro Caeremoniario, scamnum pro Presbytero Assistente et pro Ministris sacris.

IV. - In medio Presbyterio collocatur vel Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris, vel genuflexorium pro Eminentissimo Cardinali. Si collocatur Faldistorium, et Episcopus consecrans sit Ordinarius loci, tunc ad sinistram Faldistorii ponitur pulvinus et aliquantulum retro duo pulvini pro Episcopis Assistentibus. Si vero statuitur genuflexorium, alterum genuflexorium collocari potest ad eius sinistram, si Consecrans sit Ordinarius loci, alias parantur tres pulvini, duo ad sinistram alter ad dexteram, sed aliquantulum retro vel Faldistorii, vel genuflexorii.

V. - Altari Electi superimponuntur sex candelabra; super eius mensam non collocatur Crux pectoralis; ante Altare, loco scabelli nudi pro Electo, statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

VI. - In abaco, prope Altare Electi, collocatur etiam scotula cum candela.

VII. - Ad Altare SS. Sacramenti collocatur vel Faldistorium, vel genuflexorium, ut supra (η. IV) notavimus.

VIIL - Si Episcopus consecrans sit Ordinarius loci, Electus accedit ad Ecclesiam ad eius dexteram; Ordinarius licet cappam induat, tamen, reverentiae causa, eam explicare nequit; debet vero caudam involvere et positam sustinere super sinistrum brachium (D. 4355, II, 2). Si vero Consecrans non sit Ordinarius loci, tunc Electus solus incedit et Episcopus consecrans, indutus mantelletto super rocchettum, sequitur Electum, medius inter Episcopos Assistentes.

IX. - Si Consecrans sit Metropolita, et in sua Provincia, non utitur Cruce, sed ea collocatur in basi, ad sinistram Faldistorii.

X. - Dignior Capituli, vel Ecclesiae Rector, porrigit aspersorium Electo qui seipsum signat, deinde illud tangendum Consecranti et Episcopis Assistentibus porrigit.

XI. - Consecrans, quando Electus procedit ad Altare, surgit et eius salutationi respondet; quod etiam facit quotiescumque Electus accedit ad Altare, vel ab eo recedit.

XII. - Electus ante manuum lotionem, dimittit annulum eumque reassumit in Functione quum ei datur a Consecrante; ante stolam, sumit Crucem pectoralem; postquam pluviale assumpserit, dimittit pileolum et caput rubro bireto tegit.

XIII. - In examine et in altera admonitione, ante Litanias, Electus sedet in Faldistorio; quum responsurus erit, non surgit, sed tantum caput detegit et respondet; post examen, manum Consecrantis non deosculatur.

XIV. - In Litaniis collocatur Faldistorium vel scabellum in suppedaneo, versus Evangeiii latus, cum duobus pulvinis, quorum unus ad brachia, alter ad genua, in quibus Electus procumbit.

XV. - Consecratus oblationes praesentat ad Altare stans, nec Consecrantis manum deosculatur.

XVI. - Consecratus inclinatus cantat: *Ad multos annos.*

XVII. - Episcopus Assistens primus in postulatione dicit: *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia ut hunc praesentem Eminentissimum ac Reverendissimum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Diaconum* (vel *Presbyterum,* vel *Episcopum)* *ad onus episcopatus sublevetis.*

XVIII. - Presbyter Assistens et Ministri sacri circa ea quae Missae ritum et caeremonias respiciunt se gerunt ut diximus in Capite XVII Partis III, omissis quae respiciunt praesentiam Em.mi Cardinalis Missae Assistentis.

CAPUT XVII.

DE CONSECRATIONE PLURIUM EPISCOPORUM

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2764. — Omnia praeparantur ut in Articulo I Capitis X, vel ut in Articulo I Capitis XI, sed:

I. - Curandum est ut gradus et mensa Altaris maioris in longitudinem augeantur ut Episcopi consecrati commode manere possint apud ipsum tum in concelebratione tum in inthronizatione.

II. - Ad latera Faldistorii, in medio Presbyterio collocati, ponuntur pulvini in numero sufficienti pro Episcopis Electis et pro Assistentibus.

III. - Altare pro Electis sit longum prout opus fuerit et ei superimponuntur Crux et quatuor candelabra tantum, quorum in medio collocari possunt vascula cum floribus.

Super eius mensam praeparantur paramenta pro singulis Electis; ante idem Altare collocantur tot scabella quot Electi et duo pro Episcopis Assistentibus.

IV. - Super consuetum abacum praeparatur Calix pro Missae celebratione, maioris formae quam consuetae sicut et hostia; pariter ampulla vini sit formae maioris quam consuetae, vel plures praeparantur ampullae; parantur etiam tot Missalia, seu libri Evangeliorum, quot Electi.

V. - In altero abaco, prope Altare Electorum, pro singulis Electis praeparantur omnia quae diximus pro uno, sed si numerus urceorum et pelvium respondens haberi non possit, urceus unus adhiberi poterit pro duobus vel tribus. Curandum est ut ojnnia sint signata vel ita disposita ut quisquis possit uti illis quae sunt ei propria.

VI. - Adsint pulvini sufficientes pro Electorum prostratione.

VII. - Parantur tot Faldistoria, pro inthronizatione, quot Electi.

VIII. - Ante Altare SS. Sacramenti parantur genuflexoria sufficientia pro omnibus.

Ut sacra Functio expedite peragatur, baculi, mitrae, annuli, chirothecae oportet iam benedicta sint.

Articulus II.

De Episcopo consecrante in plurium Episcoporum consecratione.

2765. — Episcopus consecrans se gerit ut in Articulo II Capitis X, vel ut in Articulo II Capitis XI, sed:

I. - Accedit ad Ecclesiam medius inter Episcopos Assistentes.

II. - Legit examen: *Antiqua sanctorum Patrum* etc., singulari numero, et in plurali numero dicit tantum: *Haec omnia et caetera bona tribuat vobis Dominus, et custodiat vos, atque corroboret in omni bonitate.*

In fine examinis dicit: *Haec vobis fides augeatur a Domino, ad veram et aeternam beatitudinem, dilectissimi fratres in Christo.*

III. - Invitationem ad orationem ante Litanias recitat plurali numero: *Oremus, fratres carissimi, ut his Electis utilitati Ecclesiae etc.*, et pariter plurali numero legit Litaniarum Versum: *Ut hos praesentes electos* etc.

IV. - Imponit librum Evangelii super scapulas et etiam manus imponit super caput cuiusque Electi successive singulis.

V. - Praefationem cantat plurali numero.

VI. - Ungit caput cuiusque Electi successive; secundam Praefationis partem plurali numero canit, deinde dum canitur Psalmus 132: *Ecce quam bonum* etc., ungit manus primi Electi, tum secundi ac postea reliquorum.

VII. - Repetita Antiphona: *Unguentum* etc., tradit baculum, annulum et Evangelii librum primo Consecrato et ad amplexum eum admittit, ac postea secundo Consecrato tradit annulum etc., et sic deinceps reliquis.

VIII. - Pacem dat unicuique Consecrato.

IX. - Dividit integram dimidiam partem sacrae Hostiae in tot aequales particulas quot Consecrati sunt; unicuique ministrat prius Hostiam, deinde Calicem.

X. - Imponit mitram, chirothecas et annulum primo Consecrato, dein secundo ac postea reliquis.

XI. - Omnibus Consecratis mitra, chirothecis et annulo impositis, Consecrans recedit in Evangelii latus et cum primus Consecratus Altare ascendit accipit eius dexteram manum, ducit eum sessum ad Faldistorium, eique tradit baculum pastoralem.

XII. - Si Consecrati duo sint: primus sedet in Faldistorio versus cornu Evangelii, alter a sinistris primi, scilicet in Faldistorio versus Epistolae latus.

Si Consecrati tres sint: primus sedet in medio, secundus a dextris primi, tertius a sinistris primi.

Si Consecrati quatuor sint: primus sedet in secundo Faldistorio versus latus Evangelii; secundus sedet in Faldistorio tertio versus Epistolae cornu; tertius in Faldistorio primo versus Evangelii cornu; quartus in Faldistorio quarto, scilicet in Faldistorio versus cornu Epistolae.

XIII. - Cantat plurali numero Orationem: *Deus, omnium fidelium* etc.

2766. — Dispositio ad inthronizationem, si duo Consecrati sint.

2768. — Dispositio ad inthronizationem, si quatuor Consecrati sint.

Articulus III.

De duobus Episcopis Assistentibus in plurium Episcoporum consecratione.

2769. — Episcopi Assistentes se gerunt ut in Articulo III Capitis X, vel ut in Articulo 111 Capitis XI, sed:

I. - Accedunt ad Ecclesiam ad latera Episcopi consecrantis.

II. - In examine sedent more solito, facie aliquantulum ad invicem conversa. Primus Assistens in postulatione dicit: *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia ut hos praesentes Presbyteros ad onus Episcopatus sublevetis.*

III. - Assumptis ab Electis paramentis pro Missae celebratione, Assistentes accedunt ad Altare et ab eo recedunt modo descripto in sequenti numero respective ad V et ad VI.

IV. - Quum Consecrati accedunt ad Thronum, vel ad Altare pro oblationibus, Assistentes incedunt ad latera primi Consecrati.

V. - Accipiunt pacem ab unoquoque Consecrato.

VI. - Intonato Hymno: *Te Deum* etc., si Consecrati duo tantum sint, Assistens primus incedit ad dexteram primi Consecrati, alter ad sinistram secundi; si plures et numerus sit dispar, tunc Assistentes incedunt ad latera primi Consecrati.

Articulus IV.

De Electis in Episcopum in sua consecratione.

2770. — Electi se gerunt ut in Articulo IV Capitis X, vel ut in Articulo IV Capitis XI, sed:

I. - Si duo sint, accedentes ad Ecclesiam incedunt post Consecrantem, Electus primus ad dexteram alterius; si tres: primus incedit medius inter ceteros, secundus ad dexteram primi, tertius ad sinistram primi (v. n. 2771).

Si plures, incedunt bini bini et si numerus sit dispar, primo loco terni, et servabunt ordinem praecedentiae etiam in sacra Functione.

II. - In examine sedent ad unam eamdemque lineam e regione Consecrantis.

III. - Si praestare debent iuramentum, tunc, lecto Mandato Apostolico, caput detegunt, surgunt, ante Altare genuflectunt in pulvino et dignior Electorum, elata voce, legit Formulam; qua completa, accedit ad Episcopum consecrantem, manus extensas imponit super Missale et dicit: *Sic me Deus adiuvct* etc., dein surgit, se Consecranti inclinat, de Altari, per Evangelii latus, descendit et ad suum scabellum accedit. Secundus Electus, dum primus dicit: *Sic me Deus adiuvct* etc., surgit, se ante infimum gradum Altaris confert; primo Electo descendente, Altare ascendit, coram Consecrante genuflectit et dicit: *Et Ego N., electus Ecclesiae N., iuro in omnibus et per omnia ut supra, in formula iuramenti iam lecta, facere et observare pro Ecclesia N. mihi commissa.* Tum imponit manus super Missale ac dicit: *Sic me Deus adiuvct* etc., deinde surgit; reverentia Consecranti peracta, descendit per latus Evangelii. Et ita se gerunt singuli Electi.

Si inter Electos adsit quidam promotus ad Ecclesiam Titularem, legit formulam iuramenti propriam in qua, scilicet, omittuntur quae respiciunt obligationes Episcoporum residentialium.

IV. - Expleto examine, Electi, unus post alium, deosculantur Consecrantis manum, dein recedunt versus Evangelii latus et consistunt ante infimum Altaris gradum, ita ut dignior pro Confessione consistat a sinistris Consecrantis, secundus ad sinistram primi Electi, tertius ad sinistram secundi, etc.

V. - Postquam Electi assumpserint paramenta missalia, surgunt, ad Altare se convertunt, deinde Assistens primus, transiens retro post Electos et Assistentem secundum, se confert ad cornu Epistolae Altaris; Electus secundus qui sistit ad dexteram primi Assistentis eum sequitur et in suppedaneo consistit ad eius sinistram ante Missale. Electus primus ascendit suppedaneum et consistit ante Missale ad sinistram Electi secundi. Electus tertius ascendit ad sinistram Electi primi, tandem Assistens secundus ascendit ad sinistram Electi tertii (v. n. 2772).

VI. - Quando vero Electi et Assistentes descendere debent in planum ante Altare, tunc Assistens primus, transiens retro post Electum secundum, se confert ante suum scamnum, dein Electus secundus sequitur Assistentem primum, inde Electus primus descendit ac postea Electus tertius, transiens retro post secundum Assistentem, se recipit ad suum scamnum, tandem Assistens secundus sequitur Electum tertium (v. n. 2773).

VII. - Ad monitionem: *Episcopum oportet* etc., Electi se disponunt ut ad examen.

VIII. - Ad Litanias Electus primus procumbit a sinistris Consecrantis, secundus Electus ad sinistram primi Electi et Electus tertius ad sinistram secundi Electi.

IX. - Ad oblationes praesentandas, incedit primus Consecratus, medius inter Episcopos Assistentes, sequitur secundus Consecratus etc.

X. - Post Offertorium, primus Consecratus apud Altare consistit propius Consecrantis dexteram, secundus Consecratus ad dexteram primi Consecrati, tertius ad dexteram secundi.

XI. - Quisquis Consecratus pacem dat singulis Episcopis Assistentibus.

XII. - Quando Episcopi Consecrati transeunt in alterum Altaris latus, primus Consecratus consistit propius sinistram Consecrantis, secundus Consecratus ad sinistram primi, tertius ad sinistram secundi.

XIII. - Primus Episcopus Consecratus, accepto annulo, descendit perlatus Evangelii, transit in latus Epistolae et consistit ante infimum Altaris gradum. Dum primus descendit, ascendit secundus et ita se gerunt reliqui deinceps.

XIV. - Collocatis in suppedaneo Faldistoriis, primus Consecratus ascendit Altare pro inthronizatione, dein secundus et deinceps reliqui.

XV. - Intonato Hymno: *Te Deum* etc., Episcopi Consecrati una simul surgunt, dc Altari descendunt ordine quo sederant, ad Altare se convertunt; reverentia Cruci et Consecranti facta, ad populum se vertunt et, si duo tantum sint, ad lineam procedunt, medius inter Episcopos Assistentes; si vero plures numero pari, incedun t bini bini, iuxta ordinem praecedentiae; si numerus sit dispar, tunc primus Consecratus incedit inter Assistentes, ceteri eum sequuntur bini et bini.

XVI. - Decantata a Consecrante Oratione: *Deus, omnium* etc., Consecrati surgunt, reverentiam Episcopo consecranti peragunt, descendunt in planum, per latus Epistolae, ibique se disponunt ita ut primus Consecratus sit propius Altare, secundus ad sinistram primi, tertius ad sinistram secundi, etc.

XVII. - Amotis a suppedaneo Faldistoriis, primus Consecratus Altare ascendit, benedictionem impertit, dein acclamationes Consecranti facit et postquam amplexum acceperit ab eodem Consecrante, nec non ab Assistentibus, descendit in planum cornu Evangelii ac consistit, facie cornu Epistolae versa, et mitram dimittit.

XVIII. - Quum primus Consecratus benedictionem impertit, ceteri Consecrati per suos Cappellanos mitram dimittunt.

XIX. - Dum primus Consecratus accipit amplexum a secundo Episcopo Assistente, secundus Consecratus mitram accipit, Altare ascendit et se ut primus gerit, et ita se gerunt reliqui.

XX. - Quum ultimus Consecratus amplexum a secundo Episcopo Assistente acceperit, ceteri Consecrati mitram accipiunt et ordine consueto accedunt ad sua scamna.

2772. — Modus ascendendi Altare.

EIIΓ^Π

2773. — Dispositio in suppedaneo Altaris et modus descendendi in planum.

CAPUT XVIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII CORAM EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANDO DEQUE MISSA CUM BENEDICTIONE NUPTIARUM

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2774. — I. - Ad Altare maius. — Altare pallio coloris Officii instruitur cui, nisi sit albi coloris, superimponitur pallium albi coloris; super eius gradus sternitur tapetum.

Sex candelabra Altari superimponuntur, quorum in medio statuitur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta, scilicet: planeta et manipulus albi coloris, vel, si Missa votiva pro Sponsis eo die prohibeatur: planeta, stola et manipulus coloris Officii; parantur quoque: pluviale et stola albi coloris; cingulum, alba, amictus, formale pretiosum in lance; mitra pretiosa, in cornu Evangelii; auriphrygiata in cornu Epistolae.

II. - Apud Altare. — Baculus pastoralis.

III. - In medio Presbyterio 'Statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

IV. - Super abacum. — Collocantur: Rituale Romanum, vel Pontificale Romanum; scotula cum candela; annulus Sponsae in lance; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; Instrumentum Pacis; schedula in qua scripta sint nomina et cognomina Sponsi et Sponsae; mappa linea; Calix cum purificatorio, Patena cum hostia et duabus particulis pro Sponsis, palla, velum, bursa et intra eam Corporale; ampullae aquae et vini in pelvicula; urceus cum pelvi et mantilia in lance; Canon Pontificalis; Missale cum legili.

V. - Extra Presbyterium paratur pro Sponsis genuflexorium cum strato et pulvinis tantum ad genua.

VI. - Ad Altare SS. Sacramenti paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis coloris, vel rubri coloris si Episcopus sit Cardinalis.

Super Altare ardebunt sex cerei.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario Matrimonio assistente et Missam celebrante.

2775. — Episcopus Ordinarius, mozzetta indutus, more solito accedit ad Ecclesiam; brevi oratione facta ante Altare maius, recitat cum Assistentibus Psalmos et preces in Missae praeparatione, ex Canone Pontificali, ac postea se confert ante infimum Altaris gradum ubi, dimissis mozzetta et Cruce pectorali, accipit biretum, manus lavat et abstergit, dein primo Assistenti biretum tradit; sumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale albi coloris ac formale; mitram et baculum accipit, suppedaneum conscendit atque in Faldistorio sedet. Tradito Ministro baculo, vulgari eloquio, Sponsum interrogat dicens: *N., vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?* Recepto viri consensu, Sponsam interrogat, pariter dicens vulgari sermone: *N., vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae?* Recepto mulieris consensu, Episcopus iubet eos invicem iungere dexteras et dicit: *Ego contango vos in matrimonium. In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Sancti,* tria Crucis signa super eos efficiens, dein aspergit eos aqua benedicta ac postea mitram dimittit, surgit, ad Altare se convertit, benedicit et aspergit annulum ac postea sedet in

Faldistorio, mitram accipit, atque annulum benedictum Sponso tradit. Dum Sponsus inducit annulum benedictum digito Sponsae, Episcopus tria Crucis signa efficiens dicit: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *Hi, et Spiritus* ✠ *Sancti,* deinde se convertit ad Altare; recitata Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc., mitram dimittit, recitat: *Gloria Patri* etc., ac reliqua ut in Pontificali, vel in Rituali.

Oratione: *Respice, quaesumus* etc., absoluta, Episcopus accipit mitram et baculum, postea descendit in planum; ad Altare conversus dimittit baculum, mitram, formale, pluviale; dimittit quoque stolam, nisi sit colori Missae conveniens, assumit paramenta missalia et more solito inchoat Missam.

Dicto secreto: *Arnen,* post: *Pater noster* etc., Episcopus genuflectit, paulum ad cornu Epistolae se retrahit, ne terga SS. Sacramento vertat, ubi ad Sponsos conversus, iunctis manibus, super eos Orationes dicit: *Oremus. Propitiare* etc., et: *Oremus. Deus, qui potestate virtutis tuae* etc.; quibus absolutis, ad Altare se convertit, genuflectit, more solito, Patenam abstergit et dicit: *Libera nos* etc.

Recitata Oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., si consuetudo vigeat, pax Sponsis instrumento datur.

Postquam pretiosum Sanguinem sumpserit, Sponsos communicat.

Dicto: *Benedicamus Domino,* Episcopus iterum ad Sponsos conversus, super eos, iunctis manibus, dicit Orationem: *Deus Abraham* etc., postea, si placet, sedet in Faldistorio, vel stans, brevi, sed gravi sermone, eosdem moneat ut sibi invicem servent fidem, et vir uxorem atque uxor virum diligat et in timore Dei permaneant.

Brevi sermone absoluto, Episcopus a primo Assistente aspersorium accipit, Sponsos aqua benedicta ad modum Crucis aspergit, dein ad Altare conversus, more solito dicit: *Placeat* etc.

Lecto Evangelio, de Altari descendit, paramenta dimittit; reassuniptis mozzetta et Cruce pectorali, pergit ad Faldistorium, ubi genuflexus, legit alternatim cum Assistentibus Psalmos ac preces in gratiarum actione post Missam.

Articulus III.

De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo Ordinario Sacramento Matrimonii assistenti et Missam celebranti.

2776. — Statuta hora, duo Canonici, iani designati, conveniunt in Sacristiani capitularem, ubi indumenta canonicalia assumunt

et ad Caeremoniarii nutum procedunt ad Ecclesiae ianuam. Dignior Episcopo aspersorium cum osculis porrigit (D. 2049 ad 13 et 14; C. I. C. 397, n. 2), et ad aspersionem ambo consistunt; qua peracta, sequuntur Episcopum si ille Cruce uti potest, alias illum praecedunt ad Altare SS. Sacramenti.

Quum ad Altare maius pervenerint, genuflectunt ad latera Faldistorii; brevi oratione facta, surgunt, sistunt ad Episcopi latera, folia, si opus sit, vertunt eique respondent, scilicet alternatim recitant cum eo Psalmos et Versiculos praeparationis ad Missam, dein se gerunt ut sub n. 2663 diximus, sed postquam Episcopus acceperit stolam induunt eum pluviali et primus Assistens imponit ei mitram.

2777. — Reverentia Cruci facta, Assistentes cum Episcopo suppedaneum conscendunt et ad eius latera sedentis in Faldistorio consistunt.

Prolatis ab Episcopo verbis: *Ego coniungo* etc., Assistens primus tradit Episcopo aspersorium quod recipit, Sponsis aspersis, tunc Assistens secundus Episcopo aufert mitram; ambo cum Episcopo ad Altare se convertunt; post Orationem: *Benedic* etc., Assistens primus porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto, mitram ei sedenti in Faldistorio imponit eique porrigit annulum Sponsae. Repetita Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc., secundus Assistens mitram Episcopo aufert, quam primus iterum imponit, absoluta Oratione: *Respice* etc., deinde ambo cum Episcopo de Altari descendunt, Assistens secundus mitram Episcopo aufert, ambo exuunt eum pluviali et stola, nisi sit eiusdem coloris Missae, ac postea induunt eum planeta et se gerunt more solito ut in assistentia Missae privatae (v. n. 1077), sed, recitato ab Episcopo: *Pater noster* etc., genuflexionem peragunt et Assistens primus se retrahit paulum ad cornu Epistolae, secundus vero ad cornu Evangelii. Absoluta Oratione: *Deus, qui potestate* etc., Assistentes se convertunt ad Altare cum Episcopo, genuflexionem peragunt. Postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Domine lesu Christe, qui dixisti* etc., Assistens primus, si consuetudo vigeat, pacis Instrumentum ei deosculandum offert. Dicto: *Benedicamus Domino,* Assistentes ad Sponsos cum Episcopo se vertunt et permutant loca; recitata ab Episcopo Oratione: *Deus Abraham* etc., Assistens primus, si Episcopus sermonem habeat, mitram ei imponit, alias porrigit illi aspersorium ac postea more solito se gerunt.

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in celebratione Matrimonii coram Episcopo Ordinario.

2778. — Statuta hora, Clerici sex, iam designati, accedunt ad Sacristiam maiorem, ubi superpellicea induunt.

Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum dat procedendi ad ianuam Ecclesiae; Clericus primus sumit vasculum aquae benedictae et ad fores Ecclesiae sistit ad dexteram Canonici dignioris. Ad aspersionem aquae benedictae, omnes genuflectunt, ac statim surgunt et ad Altare SS. Sacramenti procedunt ordine descripto sub n. 2534 et Clericus primus pergit ad abacum ac super illum deponit vasculum aquae benedictae.

Quum Episcopus genuflectit in Faldistorio, ante Altare maius, Minister de libro sumit ex abaco Canonem Pontificalem, quem deponit apertum ad Missae praeparationem, super Faldistorium; Minister de candela sumit ex abaco.scotulam et genuflectit ad Episcopi dexteram.

Recitatis ab Episcopo precibus in Missae praeparatione, Minister libri sumit Canonem Pontificalem et apertum ad: *Aufer a nobis* etc., collocat illuni ad pedes Crucis, Minister candelae super abacum scotulam deponit. Clericus primus sumit ex abaco pelviculam pro Cruce pectorali, Episcopi familiares ad abacum accedunt, accipiunt urceum, pelvim et lancem cum manutergio ac postea se ad Episcopum conferunt pro manuum lotione.

Dum Episcopus paramenta sumit, duo Clerici collocant Faldistorium in suppedaneo, interim Ministri libri et candelae sumunt ex abaco Rituale Romanum, vel Pontificale, et scotulam; Ministri mitrae et baculi induunt vimpam, accipiunt mitram et baculum. Episcopo parato, Minister mitrae tradit eam primo Assistenti, alter porrigit Episcopo baculum.

Quum Episcopus sedet in Faldistorio, Minister baculi ab eo baculum recipit; Ministri de libro et candelae ad Episcopum accedunt; interim Caeremoniarius, accepta schedula cum Sponsorum nominibus, invitat Sponsos et Testes ad Altare; Clericus primus sumit ex abaco vasculum aquae benedictae, alter sumit annulum Sponsae in lance, uterque ascendit suppedaneum et in latere Episcopi consistit.

Quum Episcopus se ad Altare convertit, Ministri libri et candelae permutant loca ac sistunt coram Episcopo, Clericus deferens annulum in pelvicula se ad Episcopum appropinquat.

Recitata ab Episcopo Oratione: *Respice* etc., omnes de Altari

descendunt, **Minister libri,** deposito Pontificali, vel Rituali, super abacum, sumit ex eo Missale cum legili et super Altaris mensam in cornu Epistolae collocat, interim **Minister de candela** scotulam apud Missale ponit; **duo Clerici** amovent Faldistorium et congruo in loco collocant.

Omnes se gerunt ut in assistentia Missae privatae ab Episcopo celebrandae (v. n. **1078**), sed **Minister libri** dum Episcopus recitat: *Pater noster* etc., sumit ex abaco librum continentem Benedictiones nuptiales, suppedaneum conscendit cum **Ministro candelae,** qui sumit ex Altaris mensa scotulam; ambo coram Episcopo sistunt. Recitata Oratione: *Deus, qui potestate* etc., **Minister candelae** iterum super mensam scotulam deponit ac postea descendit cum **Ministro libri, qui** super abacum librum collocat.

Lectis ab Episcopo Orationibus « *Postcomrnunio* » dictis, **Minister de libro** sumit ex abaco librum Benedictiones nuptiales continentem, **Minister candelae** sumit ex mensa scotulam et **ambo** se ante Episcopum conferunt; interim **Clericus primus,** sumptis vasculo aquae benedictae et aspersorio, accedit ad dexteram primi Assistentis. Aspersione aquae benedictae ab Episcopo peracta, **Minister** de **candela** deponit scotulam apud Canonem Pontificalem, **Minister libri** super abacum librum deponit; interim si Episcopus sermonem habeat sedens, **duo Clerici** in medio suppedaneo statuunt Faldistorium, quod removent absoluto sermone, et illud in medio Presbyterio collocant.

2779. — Dispositio durante Matrimonii celebratione.

Caput – De Bapt. infantibus a Parocho administrando

SECTIO SECUNDA

DE SACRAMENTIS A SIMPLICI SACERDOTE ADMINISTRANDIS

CAPUT I.

DE SOLEMNI BAPTISMO INFANTIBUS A PAROCHO VEL A SACERDOTE AB EODEM DELEGATO ADMINISTRANDO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2780. — 1. - In Sacristia. — Praeparantur superpelliceum et stola violacei coloris; Rituale Romanum; schedula in qua scripta sint nomina Baptizandi; pelvicula cum sale benedicto, vel benedicendo; mantile.

Paratur quoque superpelliceum pro Clerico Assistente.

11. - In Fontis Sacello. — Super abacum praeparantur: stola albi coloris; vascula s. Chrismatis et Olei Catechumenorum, in lance, cum aliquantulo gossypio; vasculum seu cochleare ex argento ad aquam infundendam; candela; vestis candida imponenda Baptizato; manutergium ad caput eiusdem abstergendum; urceus cum pelvi; manutergium.

Si plures Baptizandi, ne oriatur aequivocatio in interrogationibus, nominibus cuiusque Baptizandi praeponatur numerus iuxta ordinem quo dispositi erunt, scilicet mares a sinistris ingressus Ecclesiae, feminae a dextera, ita ut illi a dextera, istae a sinistra Sacerdotis Baptismum administraturi consistant.

Articulus II.

De Sacerdote solemne Baptismum infantibus administrante.

2781. — Sacerdos, superpelliceo et stola violacei coloris indutus ac secumferens Rituale, procedit ad ianuam Ecclesiae et dicit: *N., quid petis ab Ecclesia Dei?* Si plura Baptizando imponuntur nomina, satis est si omnia pronuntientur prima vice, in Baptismi collatione et in fine quum Baptizatus dimittitur; aliis vicibus, primum tantum nomen pronuntiare sufficit.

Responso: *Fidem,* per Patrinum, vel Matrinam, Sacerdos subjungit: *Fides, quid tibi praestat?* Et responso: *Vitam aeternam,* Sacerdos ait: *Si igitur... sicut teipsum,* ter exsufflat leniter in faciem infantis dicens: *Exi ab eo* etc., postea pollice facit signum Crucis in fronte et in pectore dicens: *Accipe... possis.*

Si plures sint Baptizandi, Sacerdos se confert ante primum Baptizandum et se ut supra gerit, dein ante secundum et ita deinceps.

Deinde dicit Orationem: *Preces nostras* etc., singulari, vel plurali numero; qua absoluta, imponit manum super caput infantis.

Si plures: Manum imponit super caput singulorum infantium.

Et postea manum extensam tenens dicit: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc., singulari, vel plurali numero, dein benedicit sal, si benedicendum, dicens: *Exorcizo te* etc.; quo benedicto, immittit modicum salis in os infantis dicens: *N., accipe sal... Pax tecum.*

Si plures: Immisso sale in os primi Baptizandi et dicto: *Pax tecum,* se confert ante secundum, et idipsum facit et ita deinceps.

Quibus peractis, Sacerdos digitos mantili abstergit et dicit: *Oremus. Deus patrum nostrorum* etc., singulari, vel plurali numero, ac postea Exorcismum; dicens: *Et hoc signum sanctae Cru © cis,* pollice in fronte signat Baptizandum.

Si plures: Signat omnes Baptizandos dicens singulariter singulis: *Et hoc signum sanctae Cru © cis, quod nos fronti eius damus... Dominum nostrum.*

Absoluto Exorcismo, imponit dexteram manum super caput infantis.

Si plures: Sacerdos capiti cuiusque Baptizandi imponit dexteram, quam postea extensam tenens versus ipsum (vel ipsos) recitat singulari, vel plurali numero: *Oremus. Aeternam* etc.

Oratione completa, imponit extremam partem stolae pendentem a suo humero sinistro super infantem et introducit eum in Ecclesiam dicens: *N., ingredere* etc.

Si plures: Oratione: *Aeternam* etc. completa, Sacerdos imponit extremam partem stolae pendentem a suo humero sinistro super primum Baptizandum et introducit eum, quem ceteri sequuntur, in Ecclesiam dicens: *N. et N., ingredimini in templum Dei, ut habeatis partem cum Christo in vitam aeternam.*

Responso a Clerico: *Arnen,* Sacerdos recitat cum Patrino vel Matrina: *Credo in Deum* etc., *Pater noster* etc., et accedit ad Fontis Sacellum; quo cum pervenerit, renibus ad Fontem versis, dicit:

Exorcizo te etc., singulari, vel plurali numero: quo completo, pollice accipit de saliva oris sui et, tangendo aurem dexteram ac sinistram infantis, dicit: *Ephpheta, quod est, adaperire,* dein tangit naresdicens: *In odorem suavitatis* etc., atque pollicem suum manutergio abstergit.

Si plures: Expleto Exorcismo, postquam tetigerit nares primi Baptizandi, se confert ad secundum eique tangit aurem dexteram, etc. ut supra, ac postea idipsum facit tertio et reliquis.

Deinde Sacerdos interrogat Baptizandum nominatim dicens: *N., abrenuntias satanae?* etc., ut in Rituali. Expletis interrogationibus, intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et infantem ungit; proferens formulam: *Ego te linio* © ungit infantem in pectore in modum Crucis, dein inter scapulas pariter in modum Crucis et dicit: *oleo salutis* etc.; absoluta formula, abstergit gossypio inuncta loca.

Si plures: Postquam Sacerdos omnium Baptizandorum aures et nares tetigerit, se confert ante primum eumque nominatim interrogat et se gerit ut diximus supra pro uno baptizando, ac postea idipsum facit secundo, tertio et reliquis.

Sacerdos, stans extra cancellos, deponit stolam violaceam et sumit stolam albi coloris, tunc accedit ad Fontem baptismalem et interrogat, expresso nomine, Baptizandum: *N., credis in Deum* etc., ut in Rituali. Post interrogationem: *Vis baptizari?* vasculo, seu urceolo, accipit aquam baptismalem eamque ter fundit super caput infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit, omnia nomina pronuntians: *N,. ego te baptizo in nomine Pa © tris,* fundit primo, *et Fi © lii,* fundit secundo, *et Spiritus % Sancti,* fundit tertio. Deinde Sacerdos intingit pollicem dexterum in s. Chrismate dicens: *Deus omnipotens* etc., et inungit infantem in summitate capitis in modum Crucis proferens verba: *ipse te liniat © Chrismate salutis* etc., atque abstergit pollicem suum. Dicto: *Pax tibi,* imponit capiti infantis linteolum candidum dicens: *Accipe vestem* etc., postea dat Patrino candelam accensam dicens: *Accipe lampadem* etc. Postremo dicit, omnia nomina pronuntians: *N., vade in pace* etc.

Si plures: Post unctionem ultimi Baptizandi, Sacerdos dimittit stolam violaceam et assumit stolam albi coloris, tunc accedit ad Fontem baptismalem et interrogat, expresso nomine, primum Baptizandum: *N., credis in Deum* etc., et se gerit ut supra diximus pro uno Baptizando.

Tradita candela primo Baptizato, interrogat secundum Baptizandum et se ut supra gerit, deinde, tradita candela secundo Baptizato, interrogat tertium et ita reliquos.

Tradita candela ultimo Baptizato, dicit: *N. et N., ite in paced Dominus sit vobiscum.*

Dimisso Baptizato, Sacerdos se confert ad abacum, stolam deponit, manus lavat et abstergit.

« Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono Baptismum solemnem ministrante, qui tamen sale et aqua utetur a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedictis» (Rit. Rom. Titul. II, cap. II, n. 27).

Articulus III.

De Clerico inserviente Sacerdoti Baptismum solemne infantibus administranti.

2782. — Clericus, superpelliceo indutus, sumit pelviculam cum sale ac mantile et praecedit Sacerdotem ad Ecclesiae ianuam. Clericus praemoneat Patrinos circa ea quae debent facere singulis vicibus et dicere, scilicet, ut:

I. - Ad interrogationem: *N., quid petis ab Ecclesia Dei?* Patrinus respondeat: *Fidem;* ad: *Fides quid tibi praestat?* respondeat: *Vitam aeternam.*

II. - Cum infans in Ecclesiam introductus fuit, recitet cum Sacerdote: *Credo in Deum* etc., *Pater noster* etc.

HI. - Ad interrogationem: *N., abrenuntias satanae?* et ad reliquas respondeat: *Abrenuntio;* dein aperiat vestem infantis in pectore et in humeris.

IV. - Ad interrogationem: *Credis in Deum* etc., et ad reliquas respondeat: *Credo,* et ad: *N., vis baptizari?* respondeat: *Volo,* deinde accedat ad Fontem super quem sustinebit infantem inclinatum et nudato capite.

V. - Infante baptizato, diligenter extergat eius caput.

VI. - Accipiat candelam a Sacerdote dicente: *Accipe lanipadem* etc., eamque teneat usque ad finem formulae traditionis.

2783. — Clericus cum opus sit, respondeat: *Arnen;* si sal benedicendum, sustinet pelviculam ante Sacerdotem et postquam Sacerdos immiserit sal in os infantis porrigit mantile eidem Sacerdoti.

Ad: *Pax tecum,* respondeat: *Et cum spiritu tuo.*

Quum ad Fontis Sacellum pervenerit, Clericus deponit super abacum pelviculam salis et ex eo sumit vasculum Olei Catechumenorum in lance cum gossypio. Si Clericus sit in sacris potest extergere unctiones ac postea defert ad abacum vasculum Olei Catechumenorum et sumit ex eo stolam albi coloris. Clericus accipit a Sacerdote stolam violaceam eique porrigit stolam albi coloris.

2784. — Responso a Patrino: *Volo,* Clericus accipit aquam baptismalem vasculo, quod Sacerdoti porrigit.

«Sed si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismal! in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo » (Rit. Rom. Tit. 11, Cap. 1, n. 7).

Tradito Sacerdoti vasculo aquae baptismalis, Clericus porrigit mantile Patrino a quo recipit, exterso infantis capite, dein sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis cum aliquantulo gossypio in lance, vestem candidam et candelam.

Postquam Sacerdos unctiones fecerit in modum Crucis super verticem capitis Baptizati, Clericus, si in sacro Ordine constitutus, unctionem extergit. Dicto a Sacerdote: *Pax tibi,* Clericus respondet: *Et cum spiritu tuo,* tradit ei vestem candidam, dein accendit candelam eamque Sacerdoti porrigit, amota a capite Baptizati veste candida. Recepta candela, Clericus ministrat aquam Sacerdoti manus lavanti.

CAPUT II.

DE ORDINE SUPPLENDI OMISSA SUPER INFANTEM BAPTIZATUM

2785. — « Cum, urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, parvulus, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur» (Rit. Rom. Tit. 11. cap. V, n. 1).

2786. — Omnia parantur ut in praecedenti Capite (non vero vasculum, seu cochleare, ex argento ad aquam infundendam) et idem servatur ritus excepto quod:

I. - in secunda Oratione, scilicet: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., additur verbum: *dudum,* ante: *ad rudimenta fidei* etc., et post: *proficiat de die in diem,* additur: *ut idoneus sit frui gratia Baptismi fui, quem suscepit, salis percepta medicina* etc.

II. - In tertia Oratione, scilicet: *Deus patrum nostrorum* etc., ante verba: *pabulum salis gustantem,* omittitur: *primum,* et loco verborum: *Perduc eum... regenerationis lavacrum,* dicitur: *Et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine* etc.

III. - In quarta Oratione, scilicet: *Aeternam ac iustissimam* etc., post verba: *scientiam veram,* dicitur: *Ut dignus sit frui gratia Baptismi tui quem suscepit; teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui.*

IV. - In Exorcismo post dominicam Orationem, loco: *ut fiat templum* etc., dicitur: *ut fieret templum* etc.

V. - Post interrogationem: *Credis in Spiritum Sanctum* etc., Sacerdos intingit pollicem in s. Chrismate et se gerit ut in praecedenti Capite etiam in reliquis.

In Editione typica Ritualis Romani approbata 10 Iunii 1925 Ordo supplendi omissa super Infantem baptizatum per extensum relatus est.

CAPUT III.

DE SOLEMNI BAPTISMO ADULTIS A SACERDOTE ADMINISTRANDO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2787. — I. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam praeparantur: pluviale et stola violacei coloris, superpelliceum pro Sacerdote Baptismum administraturo; pro eiusdem Assistentibus: superpellicea.

II. - Ad Altare maius. — Altare pallio coloris Officii instruitur, cui superimponitur alterum violacei coloris; super eius gradus sternitur tapetum.

Sex candelabra Altari superimponuntur et in medio eorum Crux cum Imagine Crucifixi collocatur; inter candelabra statui possunt vel Sanctorum Reliquiae vel vascula cum floribus (v. η. 562, IV).

III. - Super abacum: Rituale Romanum; pelvicula cum sale benedicto, vel benedicendo; schedula in quo scripta sint nomina Baptizandi.

IV. - In Fontis Sacello. — Super abacum praeparantur: pluviale et stola albi coloris; vascula s. Chrismatis et Olei Catechumenorum, in lance, cum aliquantulo gossypio; vasculum seu cochleare ex argento ad aquam infundendam; vestis candida imponenda Baptizato; manutergium ad eiusdem caput abstergendum; urceus cum pelvi; manutergium.

Articulus II.

De Sacerdote administrante adultis solemne Baptismum.

2788. — Sacerdos, statuta hora, ad Sacristiam accedit, manus lavat et abstergit; sibi induit superpelliceum, stolam atque pluviale; tecto capite, medius inter Assistentes, procedit ad Altare maius; quo cum pervenerit, caput detegit, reverentiam peragit, vel si in Altari custodiatur SS. Sacramentum genuflexionem facit, dein in infimo gradu genua flectit et « pias mente ad Deum preces effundit ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare » (Rit. Rom. Tit. II, cap. IV, n. I),ac postea surgit, se signat ac dicit: *Deus, inadiutoriurn* etc., *Gloria Patri* etc.; responso: *saeculorum. Arnen,* incipit Antiphonam: *Effundam* etc., prosequentibus Clericis, recitat alternatini cum Clero Psalmos ut in Rituali et, repetita Antiphona, pariter stans, dicit: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes: *Omnipotens* etc., *Adesto* etc., *Da, quaesumus* etc.

pro uno vel una:	pro pluribus:
in singulari numero.	in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes feminae sint.

Orationibus completis, genuflexionem, vel reverentiam, peragit, caput tegit et procedit ad Ecclesiae portam; quo cum pervenerit, caput detegit et Catechumenum interrogat.

Si plura Baptizando imponuntur nomina, Sacerdos omnia nomina profert prima vice, in Baptismi collatione et in fine quando Baptizatus dimittitur; aliis vicibus primum tantum nomen pronuntiat.

Post interrogationem: *Credis et in Spiritum Sanctum* etc., exsufflat ter in faciem eius et dicit semel: *Exi ab eo* etc., deinde in modum Crucis halat in faciem ipsius ac dicit: *N., accipe... bene % dictionem,* efficiens, versus eumdem, signum Crucis; responso: *Et cum spiritu tuo,* post: *Pax tibi,* facit Crucem cum pollice in fronte et in pectore Catechumeni dicens: *N., accipe signum Crucis* etc.

Si Catechumenus venerit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololatris, Sacerdos dicit:

Horresce idola, respue simulacra.

Si ex Hebraeis:

Horresce Judaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem.

Si ex Mahumetanis:

Horresce Mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

Si ex Haereticis et in eius Baptismo debita forma servata non sit:

Horresce haereticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum N., exprimens proprio nomine sectam de qua venit.

Prolatis verbis: *Cole Deum ... per ignem,* si Catechumeni plures fuerint, Sacerdos singulos interrogat repetendo: *Quo nomine vocaris?* et, ut supra, cetera perficiendo.

Absolutis Exorcismis super omnes, Sacerdos dicit: *Oremus. Te deprecor* etc.

pro uno vel una:	pro pluribus:
in singulari numero.	in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae.

Oratione absoluta, cum pollice signat Electum in fronte, m auribus, in oculis, in naribus, in ore, in pectore, in scapulis, dicens verba notata in Rituali, ac postea in toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis et dicit: *Signo te* etc., deinde dicit: *Oremus. Preces nostras* etc.

pro uno vel una:	pro pluribus:
in singulari numero,	in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae,

et: *Oremus. Deus, qui humani generis* etc.; tunc imponit super caput Electi manum (vel singulorum Electorum) quam extensam tenens dicit: *Oremus. Omnipotens* etc.

»

pro uno vel una:
in singulari numero,

pro pluribus:
in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae,

dein dicit Exorcismum.

Si Catechumenus fuerit Gentilis, seu ex idololatria venerit ad fidem, benedicto sale, Sacerdos addit: *Oremus. Domine sancte* etc.

pro uno vel una:
in singulari numero.

pro pluribus:
in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes sint feminae.

Responso: *Arnen,* Sacerdos immittit modicum salis benedicti in os Catechumeni dicens: *N., accipe* etc., abstergit digitos manutergio et dicit: *Pax tibi,* dein: *Oremus. Deus patrum* etc.

pro uno vel una:
in singulari numero.

pro pluribus:
in numero plurali et in genere masculino, nisi omnes feminae sint.

Oratione completa, si inter electos adsint feminae, ipsae in partem recedunt ac statim Sacerdos dicit Catechumeno: *Ora, Electe* etc., et, dicto a Catechumeno: *Sed libera nos a malo,* dicit: *Leva* etc., ac postea dicit Patrino: *Signa eum,* dein Electo: *Accede,* et post Patrinum signum Crucis in fronte illius pollice dextero facit dicens: *In nomine Patris* etc.

Si Catechumeni plurcs sint, dicit plurali numero: *Orate* etc., ac postea Patrinis: *Signate* etc., deinde ipse eos signat unum post alium.

Sacerdos imponit manum super Catechumenum (vel super singulos Catechumenos, si plures) et manum extensam tenens dicit: *Oremus. Deus Abraham* etc.

pro uno:
in singulari numero.

pro pluribus:
in numero plurali.

Oratione completa, dicit: *Ergo, maledicte* etc.

pro uno:
in singulari numero,

pro pluribus:
in numero plurali,

et cum dicit: *signum sanctae Cru* Φ *cis,* signat singulos.

Exorcismo absoluto, Sacerdos iterum Electo dicit: *Ora* etc., omnia ut supra, sed tenens manum extensam dicit: *Oremus. Deus, immortale* etc., et Exorcismum: *Audi, maledicte* etc.

pro uno:	pro pluribus:
in singulari numero.	in numero plurali.

Absoluto Exorcismo, Electo dicit tertio: *Ora* etc., omnia ut supra, sed tenens manum extensam dicit: *Exorcizo te* etc.

pro uno:	pro pluribus:
in singulari numero,	in numero plurali,

et cum dicit: *signum sanctae Cru æ cis,* signat singulos.

Responso: *Arnen,* si adsint feminae, mares recedunt et Sacerdos ritum super feminas repetit, mutatis mutandis ut in Rituali.

Postmodum masculi iterum accedunt, tunc Sacerdos imponit manum super Electum (vel super singulos, si plures) et dicit: *Oremus. Aeternam ac iustissimam* etc.; qua Oratione absoluta, sinistra manu apprehendit dexteram Electi, vel porrigit Electo extremam partem stolae ex humero sinistro pendentem, introducit eum (vel eos) in Ecclesiam dicens: *N., ingredere* etc., vel: *N. et N., ingredimini* etc.

Dum Electus post adorationem surgit, Sacerdos super caput ipsius (vel singulorum, si plures) manum imponit et cum eo simul recitat: *Credo* etc., *Pater noster* etc., interim accedit ad cancellos Baptisterii ibique, renibus versis ostio cancellorum Fontis Sacelli, super Electi caput (vel singulorum, si plures) imponit manum ac postea, eam extensam tenens, dicit Exorcismum: *Nec te latet* etc.

pro uno vel una:	pro pluribus:
in singulari numero.	in numero plurali.

Quo completo, pollice accipit de saliva oris sui et tangit aures et nares Electi (vel singulorum, si plures) tangendo vero aurem dexteram et sinistram dicit: *Ephpheta* etc., deinde, tangendo nares, dicit: *In odorem* etc., ac postea interrogat Electum (vel singulos, si plures): *Quis vocaris?* Responso tertio: *Abrenuntio,* Sacerdos intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et inungit Electum (vel singulos, si plures) primum in pectore, deinde inter scapulas in modum Crucis dicens (singulariter singulis, si plures): *Ego te linio* etc., mox bombacio tergit pollicem et loca inuncta ac

subiiingit, diccns (singulis, si plures): *Exi, immunde* etc. Quibus prolatis verbis, Sacerdos deponit pluviale et stolam violacei coloris, dein assumit stolam ac pluviale albi coloris; tunc ingreditur Sacellum et interrogat Electum (singulos, si plures): *Quis vocaris?* etc.

Interrogationibus completis, Sacerdos accedit ad Fontem et, accepto vasculo cum aqua baptismali, sub trina, supra caput in modum Crucis, infusione, baptizat Electum; proferens omnia nomina sic dicit: *N., ego te baptizo* etc.

Si plures Electi, singillatim singulos Sacerdos interrogat et baptizat, ut supra.

Baptismo administrato, Sacerdos intingit pollicem dexterum in s. Chrismate dicens: *Deus omnipotens* etc., et perungit verticem Electi (vel singulorum, si plures) in modum Crucis ad verba: *ipse te liniat* etc. Tunc bombacio Sacerdos tergit pollicem et imponit capiti Electi chrismate seu candidum linteolum et dat ei vestem candidam dicens (singulis, si plures): *Accipe vestem* etc.

Postquam Electus vestem candidam induerit, Sacerdos candelam accensam in manu dextera ei dat, dicens (singulis, si plures): *Accipe lampadem* etc.; tandem Sacerdos, proferens omnia nomina Baptizato imposita, dicit: *N., vade in pace* etc., vel si plures: *N. et N., ite in pace* etc., deinde accedit ad abacum, manus lavat et abstergit, ac postea ad Sacristiam procedit, ubi paramenta dimittit.

Articulus III.

De duobus Assistentibus Sacerdoti solemne Baptismum adultis administranti.

2789. — Duo Assistentes, superpelliceo induti, accedunt cum Sacerdote Baptismum administraturo ad Altare maius, sustinentes eius pluvialis fimbrias. Quum ante infimum gradum pervenerint, primus Assistens accipit biretum Sacerdotis et illud Clerico tradit; dum Sacerdos reverentiam, vel genuflexionem peragit, ambo genuflexionem faciunt, ac postea super infimum gradum genua submittunt.

Surgente Sacerdote, et ipsi surgunt, primus Assistens porrigit Rituale Sacerdoti, ambo se signant ad: *Deus, in adiutorium* etc., et Antiphonam: *Effundam* etc., a Sacerdote inceptam cum eo prosequuntur, dein alternatim cum eodem recitant sequentes Psalmos: 8: *Domine, Dominus noster* etc.; 28: *Afferte Domino* etc.; 41: *Quemadmodum desiderat* etc. Repetita Antiphona: *Effundam* etc., Assistens primus recipit a Sacerdote Rituale eique biretum porrigit;

ambo, genuflexione peracta, procedunt cum Sacerdote ad Ecclesiae fores, sustinentes eius pluvialis fimbrias; quo cum pervenerint, **Assistens primus** biretum a Sacerdote accipit eique Rituale porrigit.

Immisso sale in os Catechumeni, Assistens primus porrigit Sacerdoti mantile.

Post Orationem: *Aeternam ac iustissimam* etc., secundus Assistens recedit aliquantulum ut Catechumenus accipere possit extremam partem stolae ex humero sinistro Sacerdotis pendentem. Catechumeno in Ecclesiam ingresso, Assistens accedit ad Sacerdotem ut prius.

Prolatis a Sacerdote verbis: *Exi, immunde spiritus... Paraclito,* **ambo** adiuvant Sacerdotem in deponendis paramentis violaceis et in assumendis paramentis albi coloris.

Dicto a Sacerdote: *Pax tecum,* **primus Assistens** tradit Sacerdoti linteolum et vestem candidam; recepto linteolo, ei tradit candelam accensam. Prolatis ab eodem Sacerdote verbis: *N., vade in pace* etc., **ambo** procedunt cum Sacerdote ad abacum et, dum ille manus lavat, sustinent elatum pluviale, ac postea cum eo in Sacristiam se conferunt.

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Clerico inserviente in administratione Baptismi solemnis adultis a Sacerdote peragenda.

2790. — De Caeremoniario. — Caeremoniarius, si plures sint Catechumeni, mares et feminae, disponit eos ita ut mares ad dexteram Sacerdotis et feminae ad sinistram eiusdem statuantur.

Omnibus rite dispositis, signum dat Sacerdoti Baptismum administraturo eiusque Ministris ad Altare maius procedendi. Caeremoniarius praemoneat, singulis vicibus, et Catechumenum et Patrinum circa ea quae debent facere et dicere.

Curet Caeremoniarius, si inter Electos adsint feminae, ut ipsae post Orationem: *Deus patrum* etc., recedant in partem quoadusque dictus fuerit Exorcismus pro masculis, scilicet: *Ergo, maledicte.... per ignem,* ante Orationem: *Aeternam ac iustissimam* etc.

Responso a Catechumeno: *Volo,* immediate ante administrationem Baptismi, Caeremoniarius accipit aquam baptismalem vasculo quod primo Assistenti porrigit. «Sed si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismati in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti...» (Rit. Rom. Tit. 11, Cap. I, n. 7).

2791. — De Clerico inserviente. — Clericus, superpelliceo indutus, cum ceteris procedit ad Altare maius; quo cum pervenerit, sumit ex abaco Rituale Romanum et illud primo Assistenti porrigit. Rituale ab eodem primo Assistente recipit, absoluta Oratione: *Da, quaesiimus* etc., ac postea sumit ex abaco schedulam in qua scripta sunt nomina Baptizando imponenda, sumit etiam vasculum salis et manutergium, deinde cum ceteris procedit ad Ecclesiae ianuam; quo cum pervenerit, tradit primo Assistenti Rituale et consistit ad dexteram eiusdem Assistentis. Si sal benedicendus, Clericus, absoluta Oratione: *Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri* etc., se confert coram Sacerdote Baptismum administraturo et recedit, immisso sale in os Catechumeni, ac postea primo Assistenti porrigit mantile.

Quum ad Fontis Sacellum pervenerit, Clericus deponit super abacum vasculum salis et ex eo sumit vasculum Olei Catechumenorum, in lance, cum gossypio; unctionibus a Sacerdote peractis et abstersis, defert ad abacum vasculum.

Responso a Catechumeno: *Volo,* immediate ante administrationem Baptismi, Clericus porrigit Patrino mantile a quo recipit, exterso Baptizati capite; deposito super abacum mantili, sumit vasculum s. Chrismatis cum aliquantulo gossypio, in lance, et vestem candidam. Postquam Sacerdos unctiones fecerit super verticem Baptizati et eas absterserit, tradit primo Assistenti linteolum et vestem candidam; reposito in abaco vasculo s. Chrismatis, accendit candelam eamque primo Assistenti porrigit. Quum Sacerdos procedit ad abacum, Clericus ei ministrat aquam pro manuum lotione.

CAPUT IV.

DE ORDINE SUPPLENDI OMISSA SUPER ADULTUM BAPTIZATUM

2792. — Cum, urgente mortis periculo vel alia cogente necessitate, sacris precibus et caeremoniis praetermissis, adultus fuerit baptizatus, ubi convaluerit vel cessaverit periculum et Catechizandus ad Ecclesiam accesserit, omissa omnia suppleantur.

2793. — Omnia parantur ut in praecedenti Capite, sed non paratur cochleare ex argento ad aquam infundendam, et idem servatur Ritus excepto quod:

I. - Ad fores Ecclesiae in quarta Oratione, scilicet: *Omnipotent sempiterne Deus etc.,* additur verbum: *dudum,* ante: *ad rudimenti fidei,* et post: *proficiat de die in diem,* additur: *ut idoneus sit /rui gratia Baptismi tui, quem suscepit, salis percepta medicina.*

II. - In sexta Oratione, scilicet: *Deus patrum nostrorum* etc., ante verba: *pabulum salis gustantem,* omittitur: *primum,* et loco verborum: *Perduc eum... regenerationis lavacrum,* dicitur: *Et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine* etc.

HI. - In ultima Oratione, scilicet: *Aeternam ac iustissimam* etc., quae recitatur antequam Catechizandus Ecclesiam ingrediatur, post verba: *scientiam veram,* dicitur: *ut dignus sit frui gratia Baptismi tui quem suscepit; teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui.*

IV. - In Exorcismo: *Audi, maledicte satana* etc., qui recitatur post Orationem: *Deus, immortale praesidium* etc., loco verborum: *habitaculum perficiat,* dicitur: *habitaculum perfecit.*

V. - In Exorcismo: *Nec te latet* etc., quem Sacerdos recitat cum pervenerit ad Baptisterii cancellos, loco verborum: *ut fiat eius templum,* dicitur: *ut fieret eius templum.*

VI. - Post interrogationem: *Credis in Spiritum Sanctum* etc., Sacerdos intingit pollicem in s. Chrismate et se gerit ut in praecedenti Capite, etiam in reliquis.

In Editione typica Ritualis Romani approbata 10 Iunii 1925 Ordo supplendi omissa super Adultum baptizatum per extensum relatus est.

CAPOT V.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS A SIMPLICI SACERDOTE EX SEDIS APOSTOLICAE DELEGATIONE ADMINISTRANDO

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2794. — 1. - Ad Altare maius. — Altare pallio albi coloris instruitur; super eius gradus tapetum sternitur.

Sex candelabra Altari superimponuntur et in medio eorum Crux cum Imagine Crucifixi; inter candelabra statui possunt Reliquiae vel Sanctorum Imagines vel vascula cum floribus (v. n. 562, IV).

Si Sacerdos sit Praelatus, super infimum Altaris gradum ponitur, in medio, pulvinus albi coloris.

II. - Super abacum. — Ponuntur: Rituale Romanum; urceus cum pelvi et manutergium; medulla panis et mali medici in lance; aliquantulum gossypii soluti, in lance; vasculum s. Chrismatis pariter in lance.

III. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam: pluviale cum stola albi coloris, superpelliceum, rocchettum, si eo uti possit Sacerdos Confirmationem administraturus; superpellicea pro Assistentibus.

Articulus II.

In *Functione.*

2795. — I. - De Sacerdote Confirmationem administraturo. — Sacerdos Confirmationem administraturus, statuta hora, procedit ad Sacristiam, ubi lavat et abstergit manus, sumit rocchettum, si eo uti potest, superpelliceum, stolam ac pluviale; tecto capite, innuente Caeremoniario, procedit ad Altare maius; quo cum pervenerit, caput detegit, biretum primo Assistenti porrigit, et, reverentia, vel genuflexione, si in Altari SS. Sacramentum custodiatur, peracta, breviter orat super infimum Altaris gradum genuflexus, dein surgit et se ad populum vertit.

Sacerdos stans « ...circumstantes admoneat, quod nullus alius, nisi Episcopus, Confirmationis ordinarius Minister est, se vero collaturum esse illam hire per S. Sedem delegato» (Ex App. Ritualis Rom. « *Dc Confirmatione* »).

Lecto ab aliquo Clerico Decreto, si legendum, Sacerdos sermonem habet ut in Rituali Romano notatur; quo absoluto, innetis ante pectus manibus, dicit: *Spiritus Sanctus* etc., postea signans manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., deinde, expansis manibus, versus Confirmandos dicit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.; qua completa, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et, manu dextera imposita super caput Confirmandi, producit signum Crucis in eius fronte dicens: *N., signo te signo Cru* ✠ *cis* etc.; dum dicit: *In nomine*

Pa ✠ *tris, et Fi* ✠ *Hi, et Spiritus* ✠ *Sancti* triplex signum Crucis facit, dein leviter in maxilla sinistra percutit dicens: *Pax tecum.*

Sacerdos Confirmationem administrat singulis Confirmandis genuflexis, qui successive ante Altare se conferunt. Si numerus Confirmandorum magnus sit, Sacerdos Confirmationem administrat successive singulis, suis in locis.

Omnibus S. Confirmatione administrata, Sacerdos procedit ad abacum, ibique manus lavat et abstergit, dein revertitur ante infimum Altaris gradum et, ad Altare ipsum conversus, dicit Versiculos et Orationem: *Deus, qui Apostolis* etc., ut in Rituali; qua completa, subiungit: *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum;* tum, conversus ad Confirmatos, benedicit eos dicens: *Bene* ✠ *dicat vos Dominus* etc.

Sacerdos, expedita Confirmatione, admonet Patrinos et Matrinas ut in Rituali Romano, dein cum ipsis recitare potest: *Credo in Deum* etc., *Pater noster* etc., Ave *Maria* etc. (D. 3582 ad 3); quibus completis, ad Altare se convertit, reverentiam, vel genuflexionem, peragit, caput tegit et ad Sacristiam procedit, ubi paramenta deponit.

II. - De duobus Assistentibus Sacerdoti Confirmationem administranti. — **Duo** Assistentes, superpelliceo induti et detecto capite, procedunt cum Sacerdote Confirmationem administraturo ad Altare maius; quo cum pervenerint, genuflexione peracta, Assistens **primus** biretum a Sacerdote accipit et Clerico tradit, dein ambo genuflectunt super infimum gradum et breviter orant. Surgenu Sacerdote, et ipsi surgunt, cum Sacerdote se ad populum vertunt; **primus** transit ad eius dexteram, dum alter se ad sinistram eiusdem Sacerdotis confert. Sermone absoluto, ambo sustinent pluvialis fimbrias usque ad Ritus finem; dum Sacerdos vero manus lavat, sustinent pluviale elatum.

III. - De Caeremoniario. — Caeremoniarius disponat Confirmandos in duas alas, extra cancellos Presbyterii, mares ad dexteram, feminas ad sinistram. Si exiguus eorum numerus sit, tunc singuli accedere possunt ante Sacerdotem et ibi genuflexi confirmari; alias consistant suis in locis.

Antequam inchoatur Functio, necesse est ut claudantur omnes Ecclesiae fores, quae aperiantur, expedita Confirmatione.

Caeremoniarius moneat Patrinos ut dum Sacerdos confirmat singulos Confirmandos, ipsi manum dexteram ponant super humerum dexterum Confirmandi, moneat quoque Confirmandos ut schedulam apertam in manu teneant.

Hora praestituta et omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum dat Sacerdoti Confirmationem administraturo et Assistentibus procedendi ad Altare maius.

IV. - De Clericis inservientibus. — Sermone absoluto, **Minister** libri sumit ex abaco Rituale Romanum, se confert ad Sacerdotem et sustinet librum coram eo; Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus etc.* absoluta, recedit, Rituale deponit super abacum ac postea se confert ad sinistram Sacerdotis et recipit schedulam a singulis Confirmandis, ac, intelligibili voce, nomen cuiuscumque nuntiat.

Alter Clericus sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis et se ad dexteram Sacerdotis confert.

Clericus tertius singulis Confirmatis frontem gossypio abstergit.

Si Sacerdos Confirmationem singulis, suis in locis, conferat, tunc praecedit **Clericus** qui schedulam recepturus sit, dein Sacerdos, medius inter Assistentes; vasculum s. Chrismatis defertur a **Clerico** stante ad dexteram Sacerdotis, sed aliquantulum retro, vel a primo Assistente; ad sinistram secundi Assistentis incedit **Clericus** qui singulis Confirmatis frontem gossypio abstergit.

Omnibus Confirmatione administrata, omnes ad abacum procedunt; **duo Clerici** ministrant aquam et manutergium Sacerdoti pro manuum lotione et abstersione; deinde **Minister libri** sumit ex abaco Rituale Romanum et ad Sacerdotem, ante infimum Altaris gradum stantem, accedit; prolatis verbis: *Benedicat vos Dominiis etc.,* Minister libri super abacum deponit Rituale Romanum.

CAPUT VI.

DE ORDINE S. COMMUNIONEM ADMINISTRANDI EXTRA MISSAM

2796. — Sacerdos, lotis manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris semper albi vel Officio illius diei congruentis, mutato tamen colore nigro in violaceum die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum (Rit. R. Tit. IV, cap. II, n. 1), praecedente Clerico seu alio Ministro, procedit, tecto capite iunctisque manibus, nisi bursam deferat, ad Altare SS. Sacramenti super quod erunt accensae duae candelae.

2797. — « In diribenda fidelibus sacra Communione, praeter, ante communicantes extensum, lineum albi coloris, iuxta rubricas

Missalis, Ritualis, et Caeremonialis Episcoporum, patina erit adhibenda, argento aut metallo inaurato confecta, nullimode tamen artificiosa arte intus exculpta quae ab ipsis fidelibus subter eorum mentum erit apponenda...» (Ex Instr. S. C. Sacr.diei 26 Martii 1929)

2798. — Cum ante infimum Altaris gradum pervenerit, caput detegit et Ministro biretum tradit; genuflexione in plano peracta, ascendit ad Altare, ibique, manu sinistra bursam tenente, dextera corporale extrahit, deinde ad cornu Evangelii bursam, cum apertura ad Altaris medium versa, collocat et ambabus manibus corporale in medio Altaris explicat. Dum Minister *Confiteor* etc. recitat, Sacerdos Tabernaculum aperit ac genuflectit; tum Pyxidem educit, super corporale eam ponit et discooperit (Rit. Rom. Tit. IV, cap. II, n. 1). Sacerdos, educta Pyxide, ostiolum claudit. Facta deinceps a Ministro Confessione, iterum genuflectit, ac manibus ante pectus iunctis et oculis demissis, per suam dexteram vertit se ad populum aliquantisper ad cornu Evangelii, ne terga obiiciantur SS. Sacramento. Ibi stans, elata voce, semper plurali numero, profert: *Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.* Responso a Ministro *Arnen,* subiungit: *Indulgentiam, absolutionem,* ✠ *et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus,* sinistra infra pectus posita, dextera signum Crucis producit versus Communicandos. Responso iterum a Ministro *Arnen,* per eamdem viam ad Altaris medium conversus cum genuflexione, sinistra Pyxidem ad nodum capit, ac pollice et indice dextero unam apprehendit Particulam, quam tenens aliquantulum super Pyxidem elevatam, rursum se convertit ad populum, in medio Altaris; sic stans ac tenens Pyxidem ante pectus, oculis in SS. Sacramentum defixis, elata voce, dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* deinde statim ter repetit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea;* quae verba, sine ulla prorsus variatione, iugiter proferenda sunt latine (D. 2725 ad 5).

2799. — Quibus tertio repetitis, descendens e gradibus anterioribus (et numquam per laterales), accedit ad Communicandos a parte Epistolae, ac tribus inferioribus dexterae digitis inflexis, unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo Crucis signum super Pyxidem (quin huius limites excedat), ac simul proferens: *Corpus* ✠ *Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Arnen;* ita tamen ut haec formula finiatur cum impositione sacrae Particulae super linguam suscipientis.

Sacerdos caveat ne labia aut aliquam partem vultus sumentium digitis aut ipsa S. Particula tangat; sed leviter linguam extremitate S. Particulae tangat ut illi inhaereat et statim manum reducat.

2800. — Sacerdos porrigit Communicandis Eucharistiam incipiens a Ministro si velit communicare (Rit. Rom. Tit. IV, cap. II, n. 12), postea, accepta patina infra medium et indicem dexterae, accedit ad balaustrium incipiens, tradita primo Communicando patina, ab iis qui sunt ad partem Epistolae. Completo circulo usque ad Evangelii latus, accipit ab ultimo Communicato patinam et ad latus regreditur Epistolae, ac ita porro. In casu quo sacrae Particulae non sufficiant, si adsit necessitas, Sacerdos eas dividere potest (D. 2704 ad 1).

Non potest ipse Sacerdos Communionem distribuens tenere patinam inter digitos manus sinistrae, quae sacram Pyxidem gestat ut eam sic mento Communicantium supponat (S. R. C. 12 Aug. 1854 in Lucionen. ad XXL — Cf. *Eph. Liturg.* anni 1915, pag. 263 et 390 atque anni 1930, pag. 73).

2801. — Omnibus communicatis, ipse Sacerdos, non vero Minister, accipit patinam et ad Altare per anteriores paritergradus revertitur, nihil dicens; deponit Pyxidem et patinam super Corporale; si in patina fragmenta exstant, diligentissime ea in Pyxidem immittit, tum pollicem dexterae et indicem super Pyxidem perfricat, ne quid fragmenti eis forte adhaeserit; genuflexione peracta, Pyxidem claudit, ac digitos, in praeparato vase, abluit atque purificatorio abstergit, interea (Rit. Rom. Tit. IV, cap. II, n. 8) dicens: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur* (Tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi additur: *Alleluia)·,* tum subdit: *Panem de caelo praestitisti eis* (Tempore Paschali et per Octavani Corporis Christi additur: *Alleluia),* L *Domine, exaudi* etc., et: *Dominus vobiscum* ac demum: *Oremus. Deus, qui nobis, sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus; ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

Tempore vero Paschali dicitur Oratio: *Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut, quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum lesum Christum*

Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Completa Oratione, Pyxidem in Tabernaculo reponit, genuflectit *(loc. cit.)* ac Tabernaculum occludit; deinde, elevatis oculis, extendens, elevans, iungens manus caputque Cruci inclinans, dicit: *Binidictio Dei omnipotentis,* ac postea se per dexterum latus ad populum convertit, mox sinistram infra pectus ponit, et dextera benedicit iis, qui communicarunt, dicens: *Patris,* ✠ *et Filii, et Spiritus Sancti;* tum manus iungens, ut antea, absolvit: *Descendat super vos et inaniat semper.*

2802. — Benedictione impertita, Sacerdos corporale plicat, ambabus manibus, dein bursam sinistra tenet, dextera vero in eam corporale immittit, absque capitis inclinatione ad Crucem, descendit in planum ubi, genuflexione peracta, caput bireto operit et ad Sacristiam revertitur.

2803. — In defectu idonei Ministri, Sacerdos ipse antequam Altare conscendat *Confiteor* etc. recitat stans profunde inclinatus ante infimum Altaris gradum omittens verba: *et tibi pater, et te pater.*

2804. — Si Communio distribuenda sit monialibus quae chorum habent retro post Altare, vel in parte laterali Presbyterii, vel ab Altari distantem, Celebrans ita se gerere debet.

Recitato a Ministro *Confiteor Deo* etc., statim Sacerdos cum Pyxide accedit ad chori fenestellam, ibique super corporali, vel Palla posita ac aperta, omnes preces sive antecedentes, sive subséquentes, recitat genuflectens quoties praescribitur a Rubricis et Decretis. Precibus praescriptis recitatis, Sacerdos stans ad fenestellam, more solito, idest dextera manu non Pyxide, non obstante contraria consuetudine quae abolenda est, monialibus benedicit (DD. 2543; 2725 ad 1).

Si fenestella sit extra Presbyterium collocata, et nimis ab Altari distans, dum illuc SS. Eucharistia defertur non desit umbella honoris tegumen (Callev. tom. IV, cap. IV, dec. 9) praecedentibus duobus Clericis, vel saltem uno cum cereis accensis.

Si alii praeter moniales communicandi sunt, omnia dicenda ad Altare’versus populum (D. 3800).

2805. — Si intra sacrae Eucharistiae distributionem Particula aliqua (vel fragmentum) super terram decidat, reverenter eam Sacerdos accipiat, et locus, in quem ceciderit, obsignetur, atque huic linteum quodpiam superimponatur, donec, opportuno tempore,

abradatur: abrasio vero in Sacrarium proiicienda erit. Si ceciderit super mappam aut velum, eiusmodi mappa aut velum signetur, et postmodum diligenter abluatur, et lotio ipsa in Sacrarii piscinam effundatur. Si tandem super vestes communicantium ceciderit, locus signetur ac postea lavetur; at si quam forte feminam tetigerit, vel in eius pectus dilapsa fuerit, ipsa non vero Sacerdos Particulam aut fragmentum apprehendat, et in Pyxidem immittat; vestem porro, aut locum, vel digitos abluat, et lotio, ut supra, in Sacrarium proiiciatur.

Iuxta novas rubricas Ritualis Romani anno 1925 approbati (Tit. IV, cap. II, η. 10), a Diacono, sacram Communionem administrante, servandus est ritus supra descriptus quoad Sacerdotem, adhibita tamen stola transversa, non excepta benedictione danda fidelibus per formulam: *Benedictio Dei* etc. (ex Resp. Pont. Comm. ad Cod. can. authentice interp. 13 iul. 1930, II).

CAPUT VII.

DE RITU S. COMMUNIONIS INFIRMIS ADMINISTRANDAE

2806. — Quum sacra Eucharistia ad aliquem infirmum deferenda est, illius cubiculum prius mundabitur, et efficietur ut bene oleat. In eo mensa parabitur, linteo mundo contecta, in qua SS. Sacramentum decenter deponatur.

Super eam disponantur duo saltem candelabra cum cereis; item bina vascula vitrea, alterum cum aqua benedicta et aspersorio, alterum cum aqua simplici pro digitorum Sacerdotis ablutione, infirmique purificatione. Praesto etiam sit mappula, seu mundum linteum ante pectus communicandi extendendum (Rit. Rom. Tit. IV, cap. IV, n. 10 et 11).

Si infirmus sit Sacerdos vel Diaconus, et commode fieri possit, se induere debet superpelliceo et stola alba.

2807. — In Sacristia super consuetam mensam praeparabitur pluviale et stola albi coloris et superpelliceum; aderunt quoque superpellicea pro Clericis, duo intorticia, lanterna, Rituale Romanum; bursa albi coloris cum corporali et purificatorio, campanula. Super abacum, ad Altare SS. Sacramenti, aderit velum humerale albi coloris et parvum umbraculum.

2808. — Sacerdos indutus supra superpelliceum stola ac pluviali, ad Altare, ceteris praeeuntibus, capite cooperto, procedit, medius inter duos Assistentes, superpelliceo amictos, qui ei pluvialis limbos elevabunt.

2809. — Ubi illuc accesserit, unicum in plano genu flectit, aperto capite, et, aliis genuflexis perstantibus, Altaris gradus conscendit, ac Pyxidem e Tabernaculo, debitis cum genuflexionibus, extrahit, atque ex ea, super corporale posita, nonnullas praeconsecratas Particulas in alteram Pyxidem immittit. Illam rursus in Tabernaculo claudit, hanc vero proprio itidem operculo cum parvo velo coopertam defert ad infirmum, accepto prius super humeros velo oblongo albo, quo ipsam Pyxidem manusque cooperit.

2810. — Praecedit semper Acolythus, vel alius Minister, deferens lanternam, sequuntur duo Clerici, vel qui eorum vice suppleant, quorum, alter defert bursam cum corporali et purificatorio, alter Rituale et iugiter campanulam pulsat, dein deferentes intorticia, postremo Sacerdos, medius inter Assistentes pluvialis fimbrias extollentes sub umbella, alternatim cum ipsis recitans Psalmum 50: *Miserere* etc., et alios Psalmos et Cantica.

Mulieres si velint deferre lumina, sequantur Sacramentum et non licet eis umbellam et intorticia ferre neque campanulam pulsare (D. 4127).

2811. — Ingrediens vero locum ubi iacet infirmus, Sacerdos primum dicit: ℣. *Pax huic domui,* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.* Interim Clericus extendit super mensam corporale, tum Pyxidem Sacerdos super illud deponit, dein genuflectit; dimisso velo humerali, se tantillum retrahens ad dexterum mensae latus, aqua benedicta infirmum aspergit et cubiculum, dicens, etiam tempore Paschali (D. 2089 ad 7), Antiphonam: *Asperges me* etc., et primum versum Psalmi 50: *Miserere* etc., cum *Gloria Patri* etc. Aspersione peracta, Sacerdos se convertit ad SS. Sacramentum, genuflectit et Antiphonam repetit, postea dicit ℣. *Adiutorium* etc., cum Oratione: *Exaudi* etc., ut in Rituali.

2812. — His dictis, Sacerdos genuflectit, accedit ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum et utrum velit aliquid de sua conscientia sibi manifestare. Quod si ille annuat, aliis locum dantibus, audiatur.

2813. — Deinde Sacerdos, ad mensam reversus, genuflectit et ad infirmum convertitur. Postea, dicto *Confiteor* etc., sive ab in-

firmo, sive eius nomine ab alio, Sacerdos dicit in singulari: *Misereatur tui* etc., et *Indiligentiam... tuorum tribuat tibi* etc. Deinde, facta genuflexione, accipit SS. Sacramentum de vasculo atque illud elevans ostendit infirmo, dicens: *Ecce Agnus Dei* etc., et, more solito, ter dicit: *Domine, non sum dignus* etc. (quod dicit etiam infirmus, saltem semel, submissa voce). Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicit: *Accipe, frater (soror), Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Arnen.*

Infirmo communicato, Pyxidem super corporale deponit, flectit genu ac digitos abluit in vase et abstergit purificatorio, nihil dicens; aqua vero ablutionis, suo tempore, mittitur in sacrarium, vel in ignem. Tum, dicto *Dominus vobiscum* et Oratione: *Domine sancte* etc., genuflectit, velum humerale resumit, ac se erigens Pyxidem prehendit, veloque cooperit et vertens se ad infirmum, ipsa signum Crucis super eum efformat, nihil dicens: moxque, ordine quo venit, ad Ecclesiam redit, recitans Psalmum 148: *Laudate Dominum de caelis* etc., et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.

2814. — Si pluribus infirmis in eodem cubiculo, vel loco, Sacramentum administretur, Sacerdos dicat in plurali: *Misereatur vestri* etc., *Indulgentiam... vestrorum tribuat vobis* etc.; pariter in plurali dicat Orationem: *Domine sancte, ... ut accipientibus fratribus (sororibus) nostris* etc.

2815. — Quum ad Ecclesiam pervenerit, SS. Sacramentum in medio Altaris super corporale reponit, et, facta genuflexione, descendit (retento velo) in secundum gradum; ubi, genuflexus, profert ℣. *Panem de caelo* etc. (Tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi additur: *alleluia);* dein stans dicit: ℣. *Dominus vobiscum* et Orationem: *Deus, qui nobis* etc., cum brevi conclusione.

Oratione completa, Sacerdos genuflectit et paulum versus populum annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas, scilicet septem annorum et totidem quadragenarum pro illis qui cum lumine comitati sunt; quinque annorum et totidem quadragenarum pro aliis qui sine lumine comitati sunt.

Postea genuflectit, suppedaneum iterum ascendit ad populum Pyxide benedicendum (v. n. 2842), ac postea illam in Tabernaculum reponit.

2816. — « Quando sacra Communio distribuitur pluribus infirmis, qui in eadem domo, vel in eodem hospitali, sed in distinctis

cubiculis degant, Sacerdos vel Diaconus ministrans, in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum Communionem dicendas iuxta Rituale Romanum, Tit. IV, cap. 4; in aliis autem cubiculis dicat tantummodo preces: *Misereatur tui... Indulgentiam... Ecce Agnus Dei...,* semel: *Domine, non sum dignus... Accipe frater (soror)...* vel: *Corpus Domini nostri Iesu Christi...·,* et in ultimo cubiculo addat versum: *Dominus vobiscum,* cum suo responsorio et cum sequente Oratione plurali numero dicenda: *Domine sancte...,* ibique, si qua Particula consecrata superfuerit, benedictionem eucharisticam impertiatur, ac tandem reliquas preces praescriptas in Ecclesia de more persolvat » (Instruet. S. R. Congregationis « *De Communione plurium infirmorum* » diei 9 Ianuarii 1929).

2817. — In deferendo SS. Sacramento a Missa Conventual! Feriae V in Coena Domini usque ad Missam Sabbati Sancti pro ministrando infirmo Viaticum notanda sunt:

1. Psalmi in accessu et reditu privatim et submissa, quinimo submississima voce, recitandi sunt et in eorum fine dici potest: *Gloria Patri* etc., quia in tali circumstantia actio talis nihil habet rationis cum functionibus Ecclesiae huius diei.
2. Stola et velum humerale albi coloris sunt adhibenda.
3. Populus absque benedictione dimittendus est (D. 2383).
4. Loco campanulae, crotalum adhiberi potest.

2818. — Si, ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia, ea qua decet veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non posset, sumpta fuerit una tantum Particula consecrata, tunc, ea infirmo administrata, Sacerdos, praedictis precibus recitatis, eum manu benedicit, more solito, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis... descendat super te* (vel *super vos,* si plures infirmos communicaverit) etc., et una cum aliis, privato habitu, exstinctis luminibus, umbella demissa, latente Pyxide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertitur (Rit. Rom. l. cit, n. 27).

2819. — Quando, ex iusta et rationabili causa, privatim sacra Communio ad infirmos defertur, Sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa Pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu Clerici, associetur. Cum autem ad infirmi cubiculum pervenerit, Sacerdos superpelliceum quoque induat cum stola, si illud antea non induerit, et omnia peragat ut supra (Rit. Rom. l. cit., n. 29).

Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono sacram Communionem ministrante infirmis, adhibita tamen stola transversa, non excepta aspersione aquae benedictae, et benedictione cum SS. Sacramento danda tum infirmo in eius cubiculo, tum populo in Ecclesia (Rit. R. Tit. IV, cap. IV, n. 28; C. I. C. 845, § 2).

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Articulus I.

De administrations Extremae Unctionis.

2820. — De iis quae praeparanda sunt. — In cubiculo infirmi, quatenus fieri poterit, paratur mensa, mundo linteo tecta, super quam collocatur parva Crux cum Imagine Crucifixi; in medio mensae ponitur lanx et in ea sex globuli bombacii; collocantur etiam: Rituale; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; vas ad manus lavandas, manutergium; pclvicula cum bombaceo et mica panis.

Congruo in loco parantur: superpelliceum et stola violacei coloris; cereus.

2821. — De Ritu administrations. — Sacerdos ipse vas sacri Olei sacculo serico violacei coloris inclusum caute deferat ne effundi possit.

Cum perventus fuerit ad locum, ubi iacet infirmus, Sacerdos intrans in cubiculum dicit: *Pax huic domui,* adstantibus respondentibus: *Et omnibus habitantibus in ea;* deposito Olei vasculo in lance, induit superpelliceum et stolam, dein accipit parvam Crucem eamque infirmo pie deosculandam porrigit; mox, accepto aspersorio, in modum Crucis infirmum et cubiculum, necnon circumstantes, aspergit recitans Antiphonam: *Asperges me* etc.

«Quod si aegrotans velit confiteri audiat illum et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de huius Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quatenus opus sit, eius animam confirmet et in spem erigat vitae aeternae» (Rit. Rom. Tit. V, cap. II, n. 4).

Postea Sacerdos dicit: *Adiutorium nostrum* etc. ut in Rituali.

Absoluta Oratione: *Exaudi nos* etc., infirmus, vel Clericus, vel unus ex adstantibus, nomine infirmi recitat: *Confiteor* etc., latino vel vulgari sermone, dein Sacerdos in singulari numero dicit: Afise-*reatur tui* etc., *Indulgentiam... tuorum tribuat tibi* etc.

Antequam Sacerdos incipiat ungere infirmum, moneat adstantes ut pro illo orent; interim Clericus accendit cereum, dein sumit lancem cum vasculo Olei et globulis bombacii, et ad Sacerdotis dexteram accedit.

2822. — Mox Sacerdos, extensa manu dextera super caput infirmi dicit: *In nomine PaiRtris, et Fi^lii, et Spiritus & Sancti* etc., producens triplex signum Crucis super infirmum. Oratione completa, intingit pollicem dexterae manus in Oleo sancto et ungit infirmum in modum Crucis, primam lineam deducendo a parte superiori organi et alteram a sinistra ad dexteram proferens simul formulam ut in Rituali.

Circa Unctiones animadvertendum est:

Ad oculos; ut commode inungantur oculi debent claudi et Unctio fieri supef ambas palpebras.

Ad aures; Unctio fit in lobulo, vel ima auricula.

Ad nares; unica Unctio fit super extremitatem nasi.

Ad os; una esse debet Unctio, cum qua utraque labia tanguntur; quod si commode fieri nequit, sufficit alterutrum labrum inungere.

Ad manus; Unctio fit in media palma interiori; Presbyteris exterius ungantur.

Ad pedes; ungatur ea pars quae commode magis prostat, sed Unctio ista ex qualibet rationabili causa omitti potest.

Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma. Eodem modo inun-gantur caeci a nativitate, surdi, muti.

In membris geminis Sacerdos incipit a dextero; caveat ne al-terum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit.

Unctiones autem, extra casum gravis necessitatis, ipsa Sacer-dotis manu nulloque adhibito instrumento fiant.

Sacerdos post quamlibet Unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii eumque in lance reponat.

2823. — Omnibus Unctionibus peractis, Sacerdos pollicem medulla panis perfricat, manus lavat linteoque abstergit, dein dicit: *Kyrie, eleison* etc., ut in Rituali.

Orationibus absolutis, si tempus ferat et status infirmi permittat, piis verbis illum consoletur et hortetur ad gratiarum actionem, ad patientiam, ad resignationem cum Christo.

«Denique aquam benedictam, et Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur.

«Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut, si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant ut morientem adiuvet, eiusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit» (Rit. Rom. Tit. V, cap. II, n. 14 et 15).

Articulus II.

De administrations Extremae Unctionis immediate post S. Viaticum.

2824. — Si ob gravitatem status infirmi s. Viaticum et s. Oleum deferantur et alius Presbyter vel Diaconus haberi nequit qui vas Olei Infirmorum deferat, tunc Sacerdos qui SS. Sacramentum defert, vasculum Olei in bursa violacei coloris inclusum ad collum appendit sub superpelliceo ita ut exterius non appareat.

In casu quo SS. Eucharistia etiam in bursa foret deferenda, tunc duplex bursa omnino deferri debet, una alba cum SS. Sacramento, violacea altera cum Oleo Infirmorum.

Sacerdos se gerit more solito ut in administratione SS. Eucharistiae infirmis (v. n. 2808 et seqq.), sed, dimisso velo humerali in cubiculo infirmi, deponit super mensam bursam cum vasculo Olei. Absoluta Oratione: *Domine sancte* etc., deponit stolam albi coloris et assumit stolam violaceam; genuflectit, sumit e mensa Crucem eamque infirmo pie deosculandam porrigit; reposita Cruce super mensam, genuflexionem peragit et ad infirmum conversus dicit: *Adiutorium nostrum* etc. et tres Orationes. Oratio: *Exaudi nos, quaesumus* etc. quamvis dicta fuerit ante SS. Eucharistiae administrationem iterum recitanda est cum reliquis; itemque *Confiteor* etc. (S. C. Indulg. 5 Febr. 1841, n. 286, 6).

Absoluta Oratione: *Domine sancte* etc., Sacerdos dimittit stolam violaceam, reponit in bursa vasculum Olei et ad collum sub superpelliceo appendit ac postea sumit stolam albi coloris nec non velum humerale et se gerit ut sub n. 2813.

Articulus III.

De administratione Extremae Unctionis in casu instantis mortis.

2825. — Si infirmus in extremis laboret et periculum immineat, Sacerdos, omnibus Orationibus omissis,cito ungit eum, ut in Rituali, aptando proprio loco verba formae; deinde, si adhuc supervivat, dicat Orationes praetermissas.

Si vero dum ungitur infirmus decedat, Sacerdos ultra non procedat et praedictas Orationes omittat. Quod si dubitet an vivat adhuc, Unctionem prosequatur sub conditione pronuntiando formam, dicens: *Si vivis, per istam sanctam Unctionem* etc.

In casu autem necessitatis sufficit unica Unctio in uno sensu, seu rectius in fronte, cum hac forma breviori: *Per istam sanctam Unctionem indulgent tibi Dominus quidquid deliquisti. Arnen.*

2826. — Quando pluribus simul infirmis hoc Sacramentum ministratur, Sacerdos singulis aegrotis Crucem pie deosculandam porrigat, omnes preces, quae Unctiones praecedunt, plurali numero semel recitet, Unctiones cum respectivis formis super singulos aegrotos efficiat, omnes vero preces, quae Unctiones subsequuntur, plurali numero semel dicat.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO MATRIMONII CORAM PAROCHO VEL EIUS DELEGATO CELEBRANDO DEQUE MISSA CUM BENEDICTIONE NUPTIARUM

2827. — De iis quae praeparanda sunt. — I. - Super abacum collocantur: vasculum aquae benedictae cum aspersorio; Rituale Romanum; schedula in qua scripta sint nomina et cognomina Sponsi et Sponsae; annulus Sponsae in lance; Instrumentum Pacis; mappa linea; ampullae aquae et vini.

Si Sacerdos ipse qui Matrimonio assistet et ipselMissam celebret, tunc super Altaris mensam collocatur Calix cum suis ornamentis

et super Patenam ponuntur duae Particulae pro Sponsis; Missale cum legili; super abacum: manipulus.

II. - Extra Presbyterium paratur genuflexorium pro Sponsis cum strato et pulvinis tantum ad genua.

III. - In Sacristia: supra praecipuam mensam, si Sacerdos Matrimonio assistens Missam celebret, disponuntur paramenta missalia, excepto manipulo, nam «si immediate sequitur Missam, Sacerdos praeter albam et stolam induere debet etiam planetam» (D. 3158 ad 3). Si vero Missa ab alio celebratur, tunc praeparantur omnia Missae paramenta; Calix cum suis ornamentis; super Patenam collocantur duae Particulae pro Sponsis; Missale; praeterea: superpelliceum et stola albi coloris pro Sacerdote Matrimonio assistente.

Si eo die permittatur legere Missam pro Sponsis, tunc paramentorum color erit albus, alias color Officii.

2828. — De Matrimonii celebratione. — Parochus, vel eius Delegatus, assumit in Sacristia paramenta Missae, excepto manipulo (D. 3158 ad 3), vel si Missam non celebret assumit superpelliceum et stolam albi coloris; tecto capite iunctisque manibus, procedit ad Altare; quo cum pervenerit, detecto capite, reverentiam Cruci, vel genuflexionem, facit, si in Altari SS. Sacramentum asservetur, dein vel suppedaneum conscendit et ad populum se convertit; vel, iuxta laudabilem usum, accedit ad Sponsorum genuflexorium.

Acceptis Rituali et schedula, Parochus Sponsum interrogat dicens: /V., *vis accipere* etc., ut in Rituali. Recepto viri consensu, Sponsam interrogat dicens: *N., vis accipere* etc., pariter ut in Rituali.

Mutuo autem contrahentium consensu recepto, Parochus iubet eos iungere dexteras et dicit: *Ego contango vos in matrimonium. In nomine Patris, et Filii,* ✠ *et Spiritus Sancti,* signum Crucis super eos efficiens, dein aspergit eos aqua benedicta ac postea se ad Altare convertit, benedicit et aspergit annulum; conversus ad Sponsos, annulum benedictum Sponso tradit. Dum Sponsus inducit annulum digito Sponsae, Parochus dicit: *In nomine Patris, et Filii,* ✠ *et Spiritus Sancti. Arnen,* dein se ad Altare convertit et recitat Versiculos et Orationem ut in Rituali.

Oratione: *Respice, quaesumus* etc., absoluta, Parochus, si Missam celebret, pergit ad abacum, manipulum sumit, se ad Altare confert et se gerit more solito, ut in Missa privata, alias ad Sacristiam procedit.

2829. — «Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis Matrimoniis, dictoque

pro singulis a Parocho: *Ego coniungo vos in matrimonium* etc., benedictiones annulorum et reliquae benedictiones plurali numero semel fiunt» (Rit. Rom. Tit. VII, cap. II, n. 5).

2830. — De celebratione Missae cum benedictionibus nuptialibus. — Celebrans se more solito gerit; si eo die Missa pro Sponsis prohibeatur, recitat Orationes pro iisdem Sponsis sub unica conclusione cum Oratione Missae.

Dicto secreto: *Amen,* post *Pater noster,* Celebrans genuflectit, paulum ad cornu Epistolae se retrahit, ne terga SS. Sacramento vertat; ubi ad Sponsos conversus, iunctis manibus, super eos dicit Orationem: *Oremus. Propitiare* etc., et: *Oremus. Deus, qui potestati virtutis* etc.; quibus absolutis, ad Altare se convertit, genuflectit, more solito, Patenam abstergit et dicit: *Libera nos* etc.

Si consuetudo vigeat, pax Sponsis instrumento datur.

Dicto: *Benedicamus Domino,* Celebrans iterum ad Sponsos conversus, super eos, iunctis manibus, dicit Orationem: *Deus Abraham* etc., postea, gravi sermone, eosdem moneat ut sibi invicem servent fidem, vir uxorem atque uxor virum diligat et in timore Dei permaneant.

Brevi sermone absoluto, Celebrans aspersorium a Ministro accipit, Sponsos ad modum Crucis aspergit, dein ad Altare conversus, more solito, dicit: *Placeat* etc. Lecto Evangelio, de Altari descendit et, omissis precibus post Missam (D. 4305), procedit ad Sacristiam.

2831. — Si plures eodem tempore benedicendae sunt nuptiae, Oratio: *Deus, qui potestate* etc. dicitur plurali numero (Rit. Rom. Tit. VII, cap. II, η. 5) ut infra.

Oremus. Deus, qui potestate... super has famulas tuas quae maritali iungendae consortio, tua se expetunt protectione muniri; sint in eis iugum dilectionis, et pacis; fideles et castae nubant in Christo, imitatricesque sanctarum permaneant feminarum: sint amabiles viro suo ut Rachel; sapientes ut Rebecca; longevae et fideles ut Sara; nihil in eis ex actibus suis ille auctor praevaricationis usurpet; nexae fidei mandatisque permaneant; uni thoro iunctae, contactus illicitos fugiant; muniant infirmitatem suam robore disciplinae; sint verecundia graves, pudore venerabiles, doctrinis coelestibus eruditae; sint foecundae in sobole, sint probatae et innocentes: et ad beatorum requiem, atque ad coelestia regna perveniant: et videant omnes... Per eumdem Dominum etc.

APPENDIX.

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM EPISCOPO ORDINARIO GRAVI MORBO LABORANTI

CAPUT I.

DE ADMINISTRATIONE S. VIATICI EPISCOPO ORDINARIO

2832. — Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, Dignitatibus et Canonicis secundum ordinem praecedentiae Episcopo decumbenti ministrare sacramenta ius et officium est (C. I. C. 397, § 3).

2833. — Quum Episcopus graviter aegrotare coepit, Vicarius Generalis praescribat publicas supplicationes in omnibus Dioecesis Ecclesiis et indicet Collectam *pro infirmo,* quae est Oratio ut in Missa votiva pro infirmis, in singulari numero dicenda; quum in extremo vitae est constitutus, alteram Collectam *pro infirmo qui proximus est morti,* quae Oratio invenitur in Missali post Missam votivam pro infirmis, praescribat.

Si possibile, Vicarius Generalis Clericis civitatis episcopalis nunciet horam designatam pro administratione S. Viatici Episcopo, ut in Ecclesiam Cathedralem convenire possint ad SS. Sacramentum comitandum, superpelliceo induti.

Articulus I.

Dc iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit albus).

2834. — *A)* In Ecclesia Cathedrali

I. - In Sacristia capitulari. — Pro prima Dignitate: pluviale, stola, rocchettum et superpelliceum vel amictus.

II. - In Sacristia maiori. — Pro Beneficiariis hastas Baldachini gestaturis: pluvialia et superpellicea.

Praesto quoque erunt: duo candelabra pro Ceroferariis; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; intorticia; candelae pro Canonicis et ceteris de Clero; lanternae.

III. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Super parvum abacum: velum humerale et stola; Pyxis, nisi duae in Tabernaculo adsint.

B) In cubiculo Episcopi

Paratur mensa, linteo mundo contecta, ac super eam extenditur Corporale; duo ponuntur candelabra cum cereis, vasculum cum aqua, manutergium pro ablutione et abstersione digitorum.

Ponitur etiam altera mensa; pariter mundo linteo contecta, super quam collocantur: rocchettum et stola albi coloris; vasculum cum aqua pro Episcopi purificatione; liber continens formulam professionis Fidei; parvum Missale; mappula extendenda ante Episcopi pectus.

Articulus II.

2835. — «...Etsi semper mortis periculum mortalibus immineat, propinquiores tamen morti sumus, dum aegrotamus. Curet igitur Episcopus, ut quanto magis dignitate ceteris praeest, eo maiori studio ultimum huius vitae actum, quo solo coronari electi solent, cum laude perficiat... Nam Episcopum decet, non solum verbo, sed etiam opere, et exemplo usque ad extremum vitae spiritum alios docere, et ad viam salutis dirigere... Episcopus... sua sponte cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua Confessario diligentissime confiteatur, deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum» (Caer. Episc., L. II, Cap. XXXVIII, n. 1, 2 et 3).

2836. — Antequam Canonicus deferens SS. Eucharistiam cubiculum ingrediatur, Episcopus, si commode id facere possit, adiuvante suo Cappellano, assumit rocchettum et stolam albi coloris, alias tantum stolam.

2837. — Dicta a Canonico Oratione: *Exaudi* etc., Episcopus, nisi laboriosum, recitat *Confiteor* etc., et postquam Canonicus tertio dixerit: *Domine, non sum dignus* etc., « profiteatur Catholicam fidem, ex formula ab Apostolica Sede praescripta, quam affirmet se semper inconcusse et firmiter tenuisse et credidisse, seque in ea velle vivere, et mori, cum Deo placuerit » (/. c., n. 3).

Quum autem fidei professio quae concluditur: *Hanc veram catholicam fidem..., quantum in me erit, curaturum,* etiam futurum respiciat, et contra Episcopus catholicam fidem hic profiteri debeat quoad praeteritum, et affirmare, se eamdem semper inconcusse et firmiter tenuisse, seque in ea velle vivere et mori, cumque Caercmoniale hoc loco unam tantum eamdemque professionem praescribat; videtur di-

cendum fidei professionem ab Episcopo aegrotante concludendam esse in hunc modum: *Hanc veram... retinere et confiteri affirmo, me semper inconcusse et firmiter tenuisse et credidisse meque in ea velle vivere et mori cum Deo placuerit. Ego idem,* etc. (De Herdt, *Praxis Pont.,* Tom. III, n. 264).

Si Episcopus legere nequeat integram formulam, Cappellanus eam legat et ipsemet Episcopus, si potest, conclusionem legat: *Hanc veram* etc., vel saltem: *Ego idem N. spondeo* etc., tangens Missale apertum.

Fidei professione emissa, Episcopus « maiori, qua poterit, devotione, et humilitate, sacrum sumat Viaticum » (Caer. Episc., L. II, Cap. XXXVIII, n. 4).

Benedictione accepta, Episcopus moneat Canonicum « ut, cum tempus erit, extremae Unctionis Sacramentum sibi administret, et animae commendationem faciat » (/. c.).

Egresso de cubiculo Canonico, Episcopus dimittit stolam et rocchettum.

Articulus III.

De Canonico S. Viaticum administrante Episcopo Ordinario decumbenti.

2838. — Canonicus qui, vel ex iure, vel ex consuetudine, administrare debet Episcopo decumbenti S. Viaticum, adiuvantibus Assistentibus, induit rocchetto, superpelliceo, vel amictu, stola ac pluviali, deinde medius inter Ministros sacros procedit ad Altare SS. Sacramenti, ante cuius infimum gradum, aperto capite, genuflexionem peragit, deinde genuflectit.

2839. — Aperto tabernaculi ostiolo, Canonicus velum humerale accipit et Altare conscendit. Accepta S. Pyxide, se ad populum vertit.

Intonato a Cantoribus Psalmo 50: *Miserere* etc., Canonicus, innuente Caeremoniario, de Altari descendit, medius inter Assistentes, et sub baldachino procedit recitans alternatim cum iisdem praefatum Psalmum et, si tempus supersit, alios Psalmos et Cantica.

2840. — Ingrediens vero cubiculum ubi iacet Episcopus, Canonicus primum dicit: *Pax huic domui,* tum supra mensam ponit S. Pyxidem, dein genuflexionem peragit et velum humerale dimittit. Accepto aspersorio, Episcopum et cubiculum aspergit dicens, etiam tempore Paschali (D. 2089 ad 7), Antiphonam: *Asperges me* etc., primum Versum Psalmi 50: *Miserere* etc., cum *Gloria Patri* etc. Aspersione

peracta, se convertit ad SS. Sacramentum, genuflexionem facit, Antiphonam repetit, postea dicit: *Adiutorium* etc., cum Oratione: *Exaudi* etc., ut in Rituali Romano.

Dicto: *Confiteor* etc., sive ab Episcopo, sive eius nomine a Cappellano Familiari, Canonicus dicit in singulari: *Misereatur tui* etc., *Indulgentiam* etc. Deinde, facta genuflexione, accipit SS. Sacramentum de Pyxide, atque illud ostendit Episcopo dicens: *Ecce Agnus Dei* etc., et, more solito, dicit: *Domine, non sum dignus* etc. Quibus tertio prolatis verbis, eodem loco consistit donec Episcopus emittat professionem Fidei, dein ad eum accedit et dans Eucharistiam dicit: *Accipe, Pater, viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.*

2841. — Episcopo communicato, Canonicus Pyxidem super Corporale deponit, flectit genu, ac digitos abluit in vasculo et abstergit purificatorio. Tum, dictis: *Dominus vobiscum,* et Oratione: *Domine sancte* etc., genuflectit, velum humerale reassumit, ac se erigens Pyxidem prehendit, veloque cooperit et vertens se ad Episcopum, cum ipsa signum Crucis super eum efformat, nihil dicens; moxque, ordine quo venerat, discedit e cubiculo recitans Psalmum 148: *Laudate Dominum de coelis* etc., aliosque Psalmos et Hymnos.

2842. — Quum ad Ecclesiam reversus fuerit, procedit ad Altare SS. Sacramenti, S. Pyxidem in Tabernaculo ponit, sed ostium non claudit, genuflexionem peragit, de Altari descendit, in infimo gradu genuflectit et velum humerale dimittit.

Decantato a Cantoribus Versiculo: *Panem de coelo* etc., Canonicus surgit et, recto tono cantat, iunctis manibus: *Dominus vobiscum,* Orationem: *Deus, qui nobis* etc. cum brevi conclusione. Responso: *Amen,* se retrahens versus cornu Evangelii, ad populum se vertit, annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas, scilicet septem annorum et totidem quadragenarum pro iis qui cum lumine comitati sunt; quinque annorum et totidem quadragenarum pro aliis qui sine lumine comitati sunt, tandem exhortât Clerum et populum ut Deo preces effundant pro Episcopo gravi morbo laboranti, ac super infimum gradum genuflectit, velum humerale accipit, suppedaneum ascendit, ubi, peracta de more genuflexione, Pyxidem, sinistra velata, ad nodum capit et alia veli extremitate totam cooperit (DD. 2786 ad 1; 3582 ad 1; 3780 ad 1; 3888 ad 3); mox, eam sustinens ante pectus, per dexteram suam vertit se ad populum erga quem, stans, illam elevat usque ad oculos et continuo intra pectus demittit, mox iterum attollit usque ad superiorem pectoris partem et exinde ad sinistrum hume-

nim ducit, quin pedes dimoveat, ac reducit ad dexterum; quo facto, per cornu Evangelii convertit se ad Altare, Pyxidem in Tabernaculo ponit; genuflexione facta, ostium claudit, descendit in planum, genuflectit super infimum gradum ac velum humerale dimittit.

Articulus IV.

De duobus Assistentibus in administratione S. Viatici Episcopo Ordinario decumbenti.

2843. — Assistentes, ad nutum Caeremoniarii secundi, superpelliceuni sumunt, adiuvant Canonicum S. Viaticum administraturum dum stola et pluviali induit, dein, sustinentes fimbrias eiusdem Canonici pluvialis, procedunt ad Altare SS. Sacramenti, ante cuius infimuni gradum, detecto capite, genuflexionem peragunt ac postea in infimo gradu genuflectunt.

Assistens primus, imposita sibi stola, Altaris gradus conscendit ac Pyxidem e Tabernaculo, debitis cum genuflexionibus, extrahit, atque ex ea super Corporale posita, nisi altera in Tabernaculo adsit, nonnullas praeconsecratas Particulas in aliam Pyxidem immittit et illam in Tabernaculo rursus claudit, dein descendit et stolam dimittit. Rursus cum altero Assistente suppedaneum conscendit.

Postquam Canonicus Pyxidem acceperit, Assistens primus tegit extremitatibus veli humeralis eam, mox genuflectens SS. Sacramentum adorat, ac postea se ad populum vertit, cum altero locum permutat ita ut in Processione adsit ad dexteram Canonici, et secundus ad sinistram. Ad nutum Caeremoniarii, cum Canonico ambo de Altari descendunt, sub baldachino procedunt sustinentes fimbrias pluvialis Canonici et cum eo alternatim recitant Psalmum 50: *Miserere* etc., ac reliquos Psalmos Poenitentiales.

2844. — In cubiculo Episcopi ambo sistunt ad latera Canonici eique primus Assistens sine osculis porrigit aspersorium, dein cum altero Assistente genuflectit.

Postquam Canonicus, recitata Oratione: *Domine sancte* etc., S. Pyxidem acceperit, Assistens primus eam contegit extremitatibus veli humeralis, dein genuflectit. Benedictione impertita, ambo surgunt et sustinentes fimbriam pluvialis, ordine quo venerant, discedunt e cubiculo recitantes cum Canonico alternatim Psalmum 148: *Laudate Dominum de coelis* etc., aliosque Psalmos et Hymnos qui interim a Cantoribus canuntur.

2845. — Quum ad Altare SS. Sacramenti pervenerint, ambo genuflectunt in infimo gradu.

Decantato Versiculo: *Panem de coelo* etc., **ambo** sustinent librum apertum ante Canonicum, et Oratione: *Deus, qui nobis* etc., absoluta, **secundus Assistens** alligat ante pectus Canonici velum humerale.

Postquam recitatae fuerint laudes: *Dio sia benedetto* etc., si recitandae, ordine quo venerant ad Sacristiam procedunt.

Articulus V.

De Caeremoniariis in administrations S. Viatici Episcopo Ordinario decumbenti.

2846. — De Caeremoniario primo. — Caeremoniarius, omnibus rite dispositis, procedit ad domum episcopalem, induit se superpelliceo et una cum Cappellano Episcopi induit Episcopum, si possibile, rocchetto et stola, alias stola tantum.

Dicto tertio a Canonico: *Domine, non sum dignus,* sustinet apertum ante Episcopum librum cum formula professionis Fidei et circa finem innuit Cappellano ut ex mensa sumat Missale et apertum ante Episcopum sustineat.

Quum Canonicus et Assistentes egressi de cubiculo fuerint, exuit Episcopum stola et rocchetto.

2847. — De Caeremoniario secundo. — Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum dat e Sacristia exeundi sequenti ordine:

1. Clerici intorticia et lanternas deferentes;
2. Crucifer, medius inter Ceroferarios;
3. Cantores;
4. Clerus;
5. Beneficiarii habitu chorali induti;
6. Beneficiarii pluviali induti;
7. Canonici;
8. Canonicus S. Viaticum ministraturus, medius inter Assistentes.

2848. — Accepta a Canonico Pyxide, Caeremoniarius innuit Cantoribus ut incipiant canere Psalmum 50: *Miserere* etc.

Ordo Processionis:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Beneficiarii;

5. Canonici;

6. Canonicus deferens S. Viaticum medius inter Assistentes, sub baldachino;

7. Apud baldachinum: Clerici intorticia et lanternas deferentes.

Quum Processio pervenerit ad domum episcopalem, si aditus capax, omnes ingredi possunt, alias digniores.

Canonici et duo Clerici intorticia deferentes comitantur SS. Sacramentum; si cubiculum sit capax, Canonici ingrediuntur, alias digniores tantum; ceteri remanent in aula contigua et, submissa voce, orant pro Episcopo infirmo sicut etiam orant qui in aditu sunt.

CAPUT II.

DE PROFESSIONE FIDEI AB EPISCOPO ORDINARIO EMITTENDA CORAM SUO CLERO POSTQUAM IPSE S. VIATICUM ACCEPERIT

2849. — Postquam Episcopus Ordinarius S. Viaticum acceperit, legitur in Caeremoniali Episcoporum: « Convocet deinde Canonicos, Parochos, et Curatos omnes, dum adhuc sensus corporis integri sunt, et coram eis profiteatur iterum catholicam fidem ex praedicta formula, petat veniam de negligentiis, et imperfectionibus suis, et si quemquam uinquam in sua administratione offenderit, roget, ut orent Deum omnipotentem pro anima sua; commendet illis Ecclesiam, pauperes, viduas, orphanos et loca pia; memoret eis, ut donec de Successore provideatur, continuas preces ad Deum fundant, ut eis bonum Pastorem concedere dignetur, qui eos uberius, quam ipse fecit, pascere noverit» (L. II, Cap. XXXVIII, n. 5).

CAPUT III.

DE ADMINISTRATIONE EXTREMAE UNCTIONIS EPISCOPO ORDINARIO

2850. — « Cum vero hora mortis appropinquat, (Episcopus) petat ut sibi administretur Extremae Unctionis Sacramentum, et animae commendatio fiat prout in Rituali Romano » (Caer. Episc., L. II, Cap. XXXVIII, n. 7).

2851. — In cubiculo Episcopi paratur mensa, mundo linteo tecta, super quam collocatur parva Crux cum Imagine Crucifixi; in medio mensae ponitur vasculum Olei Infirmorum in lance argen-

tea, in pelvicula ponuntur sex globuli bombacii; vasculum aquae benedictae, Rituale Romanum, libri continentes Psalmos Poenitentiales, vas ad manus lavandas, cum linteo, pelvicula cum bombaceo et mica panis.

In aula cubiculo contigua paratur mensa, alba tobalea tecta, super quam collocantur: stola violacea, superpelliceum et rocchettum pro Canonico Extremam Unctionem ministraturo, indumenta choralia pro Canonicis qui Sacramenti administration! assistunt; superpellicea pro Caeremoniariis et pro Episcopi Cappellanis.

2852. — Statuta hora, **Canonicus Extremam Unctionem** administraturus cum ceteris Canonicis et Caeremoniariis accedit ad aulam cubiculo Episcopi contiguam. Choralibus indumentis ab omnibus assumptis, **invitante Caeremoniario primo, omnes** se conferunt in cubiculum Episcopi et **Canonicus Sacramentum administraturus** ingrediens dicit: *Pax huic domui,* **ceteris respondentibus:** *Et omnibus habitantibus in ea,* deinde, acceptam parvam Crucem a Caeremoniario **secundo,** Episcopo pie deosculandam porrigit; mox ab **eodem Caeremoniario** accepto aspersorio, in modum Crucis Episcopum et cubiculum, necnon circumstantes aspergit recitans Antiphonam: *Asperges me* etc., ac postea dicit: *Adiutorium nostrum* etc., ut in Rituali.

Absoluta Oratione: *Exaudi nos* etc., Episcopus, vel **unus ex Cappellanis Familiaribus,** eius nomine, recitat: *Confiteor* etc., dein **Canonicus,** extensa manu dextera super Episcopi caput, dicit: *In nomine Pa æ tris* etc. et se gerit ut sub η. 2822.

Dum Canonicus ungit Episcopum, **adstantes** alternatim, submissa voce, recitant Psalmos Poenitentiales; **Caeremoniarius secundus** sustinet pelviculam cum vasculo Olei Infirmorum et **Caeremoniarius primus** tergit loca inuncta.

Omnibus partibus unctis, **Canonicus** accedit ad mensam, pollicem fricat cum panis mica et, **adiuvante Caeremoniario secundo,** manus lavat linteoque abstergit, deinde dicit: *Kyrie, eleison* etc. et Orationem: *Domine sancte* etc.; qua absoluta, **omnes** ordinatim de cubiculo discedunt.

2853. — « Viri pii, et religiosi continue assistant Episcopo animam agenti, cui Crucem inspiciendam, osculandamque crebro offerant; redigantque ei ad memoriam Passionem Domini Nostri lesu Christi. Nec desint Religiosi et Sacerdotes, qui continue, dum adhuc exspirat, Psalmos, Passionem Christi Domini, et alias devotas orationes legant » (/. c.).

PARS SEXTA

DE SACRAMENTALIBUS

SECTIO PRIMA

DE SACRAMENTALIBUS AB EPISCOPO PERAGENDIS

CAPUT I.

DE BENEDICTIONE ELECTI IN ABBATEM, USUM PONTIFICALIUM HABENTEM, SOLEMNITER PERAGENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI

2854. — Quum Abbatialis Benedictio, prouti legitur in Pontificali Romano, nonnullis in partibus existimetur minus congrua Praelatis Saecularibus, ad S. Rituum Congregationem sequens dubium, pro opportuna declaratione, propositum fuit: rNum et quomodo in supradicta Benedictione Praelatis Saecularibus impertienda, iuxta Ritum Pontificalis Romani, aliquae variationes fieri possint?» Et ipsa S. Congregatio, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: «Nihil innovetur in Pontificali, sed eadem Sacrorum Rituum Congregatio in singulis casibus respondeat, formulam accommodando casibus ipsis, demptis quae praefatis Saecularibus minime convenire noscuntur» (D. 3905).

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit color Officii, sed paramenta Electi erunt albi coloris).

2855. — I. - In Sacristia capitulari. — Disponuntur paramenia pro Dignitatibus et Canonicis, scilicet: si praebendae sint

distinctae: pluvialia pro Dignitatibus; planetae pro Canonicis Presbyteris; dalmaticae pro Canonicis Diaconis; tunicellae pro Canonicis Subdiaconis.

Si praebendae distinctae non sunt, tunc: pro Dignitatibus: pluvialia; pro ceteris Canonicis: planetae.

Super aliam mensam disponuntur paramenta pro Ministris sacris, scilicet: dalmatica et stola diaconalis, tunicella, duae albae, totidem cingula et amictus.

II. - In Sacristia maiori. — Super aliquam mensam disponuntur quatuor pluvialia pro Ministris libri, candelae, mitrae et baculi; duae vimpae.

Super aliam mensam: vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula; superpellicea et bireta pro Clero et pro Ministris inferioribus.

III. - Ad Altare maius. — Altare pallio coloris Officii instruitur et super eius gradus sternitur tapetum; sternitur quoque amplum tapetum per totum Presbyterii pavimentum.

Super Altare ponuntur septem candelabra et ante altius collocatur Crux; inter candelabra collocari posssunt vascula cum floribus, vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur paramenta pro Episcopo benedicente, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; chirothecae in lance; formale, pariter in lance; mitra pretiosa in cornu Evangelii; auriphrygiata in cornu Epistolae. Si color paramentorum erit violaceus, tunc collocatur mitra auriphrygiata in cornu Evangelii tantum, exceptis Dominica Tertia Adventus et Quarta Quadragesimae in quibus adhibetur etiam mitra pretiosa; paramenta teguntur velo eiusdem coloris paramentorum.

Si Episcopus uti potest s. Pallio, tunc ponitur in lance s. Pallium cum tribus spinulis, velo coloris paramentorum coopertum.

IV. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Collocatur in basi baculus pastoralis.

V. - Ante Altare. — Faldistorium cum tegumento et pulvinis; retro post Faldistorium collocantur tres pulvini in eadem linea, si Electus et Abbates Assistentes accedunt ad Ecclesiam cum Episcopo Ordinario, alias pulvini collocantur super infimum Altaris gradum.

VI. - In cornu Evangelii. — Thronus (v. n. 398).

VII. - E regione Throni. — Erigitur parvum Altare cum suppedaneo, contecto tapeto; Altare instruitur pallio coloris Officii et super illud collocantur quatuor candelabra, quorum in medio ponitur Crux; inter candelabra collocari possunt vascula cum floribus.

Super Altaris mensam disponuntur paramenta albi coloris pro Electo, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; in latere Epistolae collocatur Missale cum legili.

VIII. - Ante parvum Altare. — Statuuntur tria scabella nuda.

IX. - Super consuetum abacum. — Collocantur: duo candelabra cum cereis; Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis; super Patenam collocatur Particula pro Electo; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; caligae cum sandaliis in lance; lanx pro Cruce pectorali; Missale cum legili; Evangeliarium cum manipulo Episcopi; Epistolarium; Pontificale Romanum; Canon Pontificalis; scotula cum candela; duo manipuli; patera pro praegustatione; formula Indugentiae.

X. - In altero abaco prope Altare Electi. — Collocantur: mitra auriphrygiata; chirothecae albi coloris; caligae cum sandaliis albi coloris; annulus cum unica gemma in lance; urceus cum pelvi et manutergium in lance; Calix cum vino ac purificatorium; Canon Pontificalis; pluvialia cum stolis coloris Officii, amictus et mitrae simplices pro duobus Abbatibus Assistentibus; duo doliola vini plena, alterum aureo pictum, alterum argento cum utroque stemmate Episcopi benedicentis et Monasterii Electi; duo panes, alter deauratus, alter deargentatus, pariter uterque cum stemmate Episcopi benedicentis et Monasterii Electi; si Ordinarius sit Cardinalis, doliolis et panibus apponitur tantum eius stemma; duo intorticia.

XI. - Apud abacum prope Altare Electi. — Collocatur baculus pastoralis.

XII. - In cornu Epistolae. — Duo scabella nuda pro sacris Ministris.

XIII. - In Sacristia Altari maiori contigua, vel si possibile a tergo eiusdem Altaris. — Super^abacum collocantur: pluviale pro Presbytero Assistente; dalmaticae pro Diaconis Assistentibus; tres amictus.

XIV. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Episcopo Ordinario; retro post genufle-

xorium statuitur aliud genuflexorium pariter cum strato et pulvinis pro Electo et Abbatibus Assistentibus.

Super Altare ardebunt sex cerei.

Dispositio pro Functione hac est eadem quae sub n. 2688 invenitur.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario celebrante in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda in Ecclesia Cathedrali.

2856. — Episcopus in accessu ad Ecclesiam et in Functione usque ad Horam Tertiam inclusive se gerit more solito, ut in Missa pontificali ad Thronum (v. n. 853 et seqq.).

Assumptis paramentis pro Missa pontificali, salutans Abbates Assistentes et Electum, procedit ad Altare; cum ante eius infimum gradum pervenerit, Cruci reverentiam peragit, suppedaneum conscendit, sedet in Faldistorio, Ministro baculum tradit ac postea, dimissa mitra pretiosa, auriphrygiatam accipit et gremiale.

Postquam Abbas primus Assistens dixerit: *Adest...dignemini ordinare,* Episcopus dicit: *Habetis Mandatum Apostolicum?* Et responso: *Habemus,* dicit: *Legatur.* Lecto per Notarium Mandato, Episcopus dicit: *Deo gratias.*

Si Electus iuramentum non praestiterit, tunc praestat; lecta Formula, Episcopus sustinet in gremio suo Missale apertum, ambabus manibus; tacto ab Electo textu Evangelii et prolatis verbis: *Sic me Deus* etc., Episcopus dicit: *Deo gratias",* Assistentibus et Electo sedentibus, legit ex Pontificali: *Antiqua sanctorum Patrum* etc.

Episcopus prolatis verbis: *Haec omnia et cetera bona* etc., et ab omnibus responso: *Arnen,* manum dexteram praebet Electo deosculandam, deinde dimittit gremiale, baculum accipit, de Altari descendit, Ministro baculum tradit et mitram dimittit; reverentia Cruci peracta, Confessionem facit habens ad suam sinistram Electum.

Dicto: *Oremus,* Episcopus et Electus sibi invicem reverentiam faciunt, dein Episcopus more solito prosequitur Missam pontificalem usque ad ultimum Versum Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum pariter exclusive, sed, thurificatione Altaris peracta, cum ad Thro-

Â

num procedit non salutat Electum, eo quod is recitat Psalmos in Missae praeparatione.

Collecta pro Electo dicenda est sub unica conclusione cum Oratione Missae.

Lecto Gradual!, vel Tractu, ut supra notavimus, Episcopus dimittit mitram auriphrygiatam et assumit pretiosam; accepto baculo, pergit ad Altare salutans Abbates Assistentes et Electum; cum ante infimum gradum pervenerit, Cruci reverentiam peragit, ascendit suppedaneum, ibiquc in Faldistorio sedet, Ministro baculum tradit, dimittit mitram pretiosam et assumit auriphrygiatam.

2857. — Ad nutum Caeremoniarii, surgit, ad Altare se convertit, ante Faldistorium procumbit et genuflexus manet dum canuntur Psalmi et Litaniae Sanctorum, ut in Pontificali. Decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit; accepto baculo, ad Electum se convertit et canit: *Ut hunc praesentem Electum bene% dicere digneris,* producens super Electum, manu dextera, signum Crucis. Responso a Choro: *Te rogamus, audi nos,* canit: *Ut hunc praesentem Electum benefRdicere et sanctificare digneris,* producens singulis vicibus super Electum, manu dextera, signum Crucis; responso a Choro: *Te rogamus, audi nos,* Episcopus baculum dimittit, iterumque genuflectit

Absolutis Litaniis, Episcopus mitram dimittit, surgit, ad Electum se convertit et cantat: *Pater noster,* et Versiculos ut in Pontificali, nec non Orationes: *Concede, quaesumus* etc., et: *Cunctorum bonorum* etc., atque Praefationem. Ad verba: *Ut qui per nostrae manus etc.,* imponit utramque manum capiti Electi usque ad verba: *separetur indignus;* deinde manibus ante pectus expansis, cantat ultimam Praefationis partem ac recitat eiusdem conclusionem: *Praestante Domino* etc.

Completa Praefatione, recitat, elata voce, tres Orationes: *Deus, cui omnis potestas* etc.; *Omnium, Domine* etc.; *Exaudi, Domine* etc.; qua ultima Oratione absoluta, Episcopus sedet, mitram accipit et Abbati tradit librum Regulae dicens: *Accipe regulam* etc., deinde si baculus pastoralis benedictus non sit, Episcopus mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus. Sustentator imbecillitatis* etc.; qua Oratione completa, baculum aspergit ac postea sedet, et accipit mitram. Episcopus, baculum a Diacono acceptum Abbati tradit, dicens: *Accipe baculum* etc.

Si annulus benedictus non sit, Episcopus mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus. Creator et Conservator* etc.; post Orationem, annu-

lum aspergit, sedet et mitram accipit. Annulum a Diacono acceptum Episcopus digito annulari dcxtcro Abbatis inserit dicens: *Accipe annulum* etc. Tunc, deposita mitra, Episcopus surgit et conversus ad Abbatem dicit: *Oremus. Te, omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram accipit et Abbati osculum pacis dat, ac postea, cum Abbas et Assistentes ab Altari discesserint, baculum accipit, surgit et ad Thronum procedit ubi legit ultimum Versiculum Gradualis, vel Tractus etc., ac prosequitur Missam, more solito, sed, lecto Offertorio, accipit oblationes ab Abbate, deinde dimittit annulum et chirothecas, se more solito gerens.

2858. — Accepta Patena cum hostia, recitat omnes Secretas, elata voce, una cum Abbate, cui primum donat pacem, dein Presbytero Assistenti et reliquis, ut alias. Episcopus, postquam totum pretiosum Sanguinem sumpserit, Calicem palla cooperit, genuflectit, ponit sacram Particulam in Patena, iterum genuflexionem peragit, manu dextera s. Particulam accipit, se ad Abbatem convertit eumque communicat, signum Crucis sacra Particula efficiens et dicens: *Corpus Domini nostri* etc., dein rursus ad Altare se convertit et Missam prosequitur, ut alias, usque ad benedictionem inclusive; qua impertita, sedet in Faldistorio, accipit mitram, si Cruce uti potest. Publicata Indulgentia a Presbytero Assistente, Episcopus, si mitra Abbatis benedicta non sit, mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram aspergit, dein sedet et mitram accipit. Acceptam a Diacono mitram Abbatis, Episcopus capiti eiusdem imponit, dicens: *Imponimus* etc., ac postea si chirothecae benedictae non sint, mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus. Omnipotens Creator* etc.; qua Oratione completa, eas aspergit, dein sedet et mitram accipit. Chirothecani dexteram a Diacono acceptam, Episcopus Abbatis dexterae imponit, dein ab eodem Diacono accipit alteram chirothecam eamque Abbatis sinistrae imponit, dicens: *Circumda, Domine* etc.; quibus prolatis verbis, imponit annulum Abbati, surgit, accipit Abbatem per manum dexteram et inthronizat eum, ponens ipsum ad sedendum in Faldistorio de quo ipse surrexit, ac postea baculum pastoralem ei tradit, dicens: *Sta in iustitia* etc.

Episcopus, dimissa mitra, stans versus Altare intonat Hymnum: *Te Deum* etc., et ad Versiculum: *Te ergo* etc., genuflectit in pulvino. Completo Hymno, ibidem stans, sine mitra, dicit: *Confirma hoc, Deus* etc., ac reliquos Versiculos et Orationem ut in Pontificali Romano; qua Oratione completa, perstat eodem loco et, benedictione ab Abbate impertita, mitram accipit.

Decantatis ab Abbate verbis: *Ad multos annos,* Episcopus recipit eum ad osculum pacis et, postquam Abbas nuper benedictus una cum Abbatibus Assistentibus discesserit, s. Pallium, si eo usus est, dimittit; more solito, incipit Evangelium S. Ioannis, vel aliud, si legendum, se gerens ut in aliis Missis pontificalibus.

Articulus III.

De duobus Abbatibus Assistentibus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2859. — Duo Abbates Assistentes, habitu praelatitio induti, si saeculares, cum rocchctto et mantelletto, alias induti superpelliceo super habitum monasticum ac mantelletto et mozzetta, statuta hora, conveniunt vel in domum episcopalem et cum Ordinario et Electo procedunt ad Ecclesiam Cathedralem sequentes Capitulum eiusdem Ecclesiae, vel in Sacristiam capitularem conveniunt et cum Canonici aliique procedunt ad Episcopum associandum, ipsi cum Electo ad Altare maius se conferunt, ubi, brevi oratione facta super infimum Altaris gradum, pergunt ad scamna ante Altare Electi ibique sedent et caput operiunt. Quum Episcopus Presbyterium ingreditur, surgunt et se inclinant.

Ad cantum Horae Tertiae se Choralibus conformant.

Dum Episcopus assumit paramenta missalia, Assistentes, adiuvantibus Cappellanis, dimittunt Crucem pectoralem, si Regulares, mozzettam et mantellettum, accipiunt amictum, reassumunt Crucem pectoralem, induunt stola ac pluviali; cum Episcopo Ordinario mitra a Diacono imponitur, ipsi a suis Cappellanis, manu, accipiunt mitram, quam sibi ipsi imponunt et ita se gerunt durante Functione ac pariter eam exuent cum opus sit. Quum Episcopus de Throno surgit, et ipsi surgunt, cum mitra eius salutationi respondent, dein ad Altare se convertunt, reverentiam Cruci peragunt, ac postea procedunt ad Altare maius, incedentes ad Electi latera, reverentiam faciunt simul Cruci et Episcopo, tum sedent; ad Caeremoniarii nutum, mitram dimittunt, surgunt et Abbas primus Assistens legit ex Pontificali: *Adest, Reverendissime Pater* etc. Si Episcopus sit Cardinalis, dicit: *Adest, Eminentissime ac Reverendissime Pater* etc. Dicto ab Episcopo: *Habetis* etc., Abbas respondet: *Habemus;* acceptum Mandatum a Cancellario Monasterii Electi porrigit Notario Episcopi; deinde ambo sedent et caput mitra operiunt. Expleto examine,

Abbates Assistentes mitram dimittunt, surgunt, perstant apud scabella; cum Episcopus incipit Confessionem, et ipsi cum suisCappellanis Confessionem faciunt.

Dicto: *Oremus* ab Episcopo, Abbates Assistentes accedunt ad Electum et cum eo ante parvum Altare procedunt, ibique reverentiam Cruci peragunt ac sedent in scabello, versis humeris ad ipsum Altare, atque mitra caput operiunt.

Postquam Electus paramenta missalia assumpserit, Assistentes mitram dimittunt, surgunt, ad Altare se convertunt, Cruci reverentiam peragunt et ad latera Electi Missam legentis consistunt in suppedaneo ipsius Altaris; cum eodem Electo recitant: *Gloria in excelsis* etc., si recitandum. Recitatione Hymni completa, si nondum cantus eiusdem Hymni expletus fuerit, sedent in scabello et se Choralibus conformant. Si vero cantus, vel locum non habeat, vel iam expletus fuerit, tum perstant donec Electus perveniat ad locum quo Missa solemnis processerit. Postquam Electus legerit Graduate, vel Tractum, vel Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum **t** pariter exclusive, Abbates Assistentes descendunt cum eo de Altari, consistunt ante scabellum, versis humeris ad Altare ipsum, et caput mitra operiunt; cum Episcopus de Throno descendit, salutationi eius respondent.

Sedente Episcopo in Faldistorio, Assistentes cum Electo ante Altare maius se conferunt; quo cum venerint, Cruci et Episcopo simul reverentiam faciunt, dein ante scabella procumbunt. Abbates Assistentes non recitant Litaniarum Versiculum: *Ut hunc praesentem Electum* etc., nec benedictionem donant.

Absolutis Litaniis, ambo mitram dimittunt atque surgunt.

Tradito annulo Electo et recitata ab Episcopo Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., Abbates Assistentes mitram sibi imponunt et ascendunt suppedaneum; Assistens primus consistit ad Episcopi dexteram, alter ad sinistram. Postquam Episcopus Abbati amplexum dederit, Abbas Assistens primus pariter amplexum dat, deinceps Abbas Assistens secundus, ac postea ambo cum eodem Abbate de Altari descendunt, Cruci et Episcopo simul reverentiam faciunt ac se conferunt ad parvum Altare ubi, facta Cruci reverentia, consistunt ante scabella, humeris ad Altare ipsum versis; Episcopo ad Thronum pergenti reverentiam peragunt, dein ad Altare se convertunt, mitram dimittunt, suppedaneum conscendunt et Abbati tegenti ultimum Versiculum Gradualis, vel Tractus, etc. assistunt. Lecto Evangelio, de Altari descendunt, sedent et mitram sibi imponunt.

Quum Episcopus mitram dimittit pro Evangelii cantu, Abbates Assistentes et ipsi sibi mitram exuunt, surgunt et conversi ad Diaconum Evangelium canentem consistunt. Intonato a Celebrante: *Credo in unum Deum,* Assistentes cum Abbate ad Altare se convertunt, ascendunt, cum eo recitant Symbolum; quo recitato, ad scabella redeunt, sedent et mitra caput operiunt.

Absoluto Symboli cantu, Assistentes mitram dimittunt, surgunt et ad Altare revertuntur. Lecto ab Abbate Offertorio, de Altari cum eo descendunt, mitram accipiunt et Abbatem ad Thronum deducunt, Cruci Altaris maioris reverentia peracta; quo cum pervenerint, reverentiam Episcopo faciunt et perstant ante infimum gradum donec Abbas descendat, dein ad parvum Altare, debitis cum reverentiis, revertuntur et consistunt ante scabella, humeris ad Altare ipsum conversis, dum Episcopus manus lavat.

Abbates Assistentes, statim ac Episcopus ad Altare pervenerit, procedunt cum Abbate ante Altare maius, sed aliquantulum longe ab infimo gradu, et consistunt, absque mitra, prope eundem Abbatem; ibique thurificationem accipiunt cum mitra. Ad verba: *Qui pridie* etc., genuflectunt et genuflexi manent donec Episcopus surgat a genuflexione post Calicis elevationem. Pacem accipiunt ab Abbate.

Postquam Abbas Communionem acceperit, Abbates Assistentes sedent et mitram sibi imponunt; lecta Antiphona *«Communio»* dicta, mitram dimittunt et surgunt. Benedictionem accipiunt profunde inclinati.

Publicata Indulgentia, Assistentes perstant ante scabella et postquam Episcopus intonaverit Hymnum: *Te Deum* etc., mitram sibi imponunt, Cruci reverentiam una cum Abbate peragunt eumque per Ecclesiam deducunt.

Si Assistentes ad Altare redierint ante Versiculum: *Te ergo, quaesumus* etc., consistunt ante infimum Altaris gradum ad latera Abbatis et mitram dimittunt; ad praedictum Versiculum genuflectunt in pulvino, super gradum collocato, et surgunt, completo Versiculi cantu, tunc primus Assistens accedit ad Episcopi dexteram, alter ad dexteram primi Assistentis.

Impertita benedictione ab Abbate, Assistentes mitram sibi imponunt et amplexum dant Abbati, dein cum eodem de Altari descendunt, Cruci et Episcopo reverentiam faciunt ac postea ad parvum Altare procedunt, Crucem salutant, suppedaneum conscendunt et Abbati legenti Evangelium assistunt; quo absoluto, descendunt, Cruci reverentiam peragunt et ante scabella, humeris ad Altare versis, dimittunt paramenta ac reassumunt mantellettum et mozzettam, si Regulares, necnon Crucem pectoralem

Quum Episcopus de Throno descendit, Assistentes surgunt et se cum Abbate ad medium Presbyterium conferunt, ibique in pulvino genuflectunt ac postea vel Episcopo reverentiam faciunt et ad Sacristiam capitularem pergunt, vel Capitulum Cathédrale sequuntur et ad domum episcopalem procedunt.

Articulus IV.

De Electo in Abbatem, usum pontificalium habentem, in sua benedictione solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2860. — Statuta hora Electus, habitu praelatitio indutus, si saecularis, cum rocchetto et mantelletto, alias indutus superpelliceo supra habitum monasticum, ac mantelletto et mozzetta, accedit vel ad domum Ordinarii, vel ad Sacristiam capitularem. Si Electus sit Abbas vel Praelatus *nullius,* defert etiam pileolum violaceum. Si accedat ad domum episcopalem, procedit ad Ecclesiam medius inter Abbates Assistentes, sequens Capitulum Cathédrale; si vero accedat ad Sacristiam capitularem, quum Canonici ceterique procedunt ad associandum Episcopum, ipse, pariter medius inter Abbates Assistentes, se ad Altare maius confert, brevem orationem facit in pulvino super infimum gradum collocato, dein pergit ad scamnum ante Altare parvum ibique sedet et caput operit. Quum Episcopus Presbyterium ingreditur, surgit eique se inclinat. Ad cantum Horae Tertiae aliis Choralibus se conformat.

Dum Episcopus, Hora Tertia absoluta, assumit paramenta missalia, Electus dimittit mozzettam, si Regularis, et mantellettum, dein, adiuvantibus suis Cappellanis, accipit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale. Quum Episcopus mitram accipit, Electus si pileolum defert, illum dimittit et bireto caput operit.

Surgente Episcopo, Electus et ipse surgit, detecto capite, ac respondet Episcopi salutationi. Dum ille Altare conscendit, ipse cum Abbatibus Assistentibus se ad Altare suum convertit, reverentiam Cruci peragit; tecto capite, medius inter Assistentes procedit ad medium Presbyterium ubi, detecto capite, reverentiam Cruci et Episcopo facit, ac postea sedet in suo scabello et caput tegit.

Ad nutum Caeremoniarii, Electus surgit, detecto capite. Dicto a digniore Assistente: *Habemus,* iterum sedet et caput operit. Si iuramentum praestare debet, tunc, lecto Mandato, tradit Cappellano suo biretum, procedit ante Altare, genuflectit in pulvino ante sca-

bellum et formulam iuramenti legit; qua lecta, surgit, ascendit suppedaneum ibique genuflectit, manus super Missale imponit et dicit: *Sic me Deus adiuvet* etc. Responso ab Episcopo: *Deo gratias,* Electus surgit, descendit de Altari; reverentia Cruci et Episcopo facta, revertitur ad scabellum, ubi sedet et caput tegit.

Electus in fine cuiuscumque interrogationis caput detegit, surgit et respondet ut in Pontificali. Expleto examine, caput detegit, surgit et, medius inter Assistentes, procedit ante infimum Altaris gradum; reverentia Cruci et Episcopo simul peracta, ascendit ac genuflexus super pulvinum deosculatur Episcopi manum, dein descendit, sistit ante infimum gradum, aliquantulum versus Evangelii latus, et cum Episcopus descendit, Electus se confert ad eius sinistram; Cruci reverentia facta, una cum Episcopo, ei ad Missam respondet; post: *Indulgentiam* etc., Electus aliquantulum recedit ut Subdiaconus Episcopo manipulum imponat; quo facto, iterum ad Episcopi sinistram se confert. Episcopus et Electus post: *Oremus,* sibi invicem reverentiam peragunt, ac postea Electus, medius inter Assistentes, procedit ad suum Altare ubi, reverentia Cruci facta, sedet in scabello, humeris ad ipsum Altare conversis; ex Canone legit, tecto capite, Psalmos ac preces in Missae praeparatione, interim per suum Cappellanum, vel Cubicularium, dimittit calceos usuales et accipit caligas cum sandaliis albi coloris. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., biretum non dimittit nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus sit, recitat: *Kyrie, eleison* etc., cum precibus et Orationibus; quibus absolutis, pluviale ac stolam dimittit, sumit Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, planetam ac manipulum, dein ad Altare se convertit, reverentiam peragit, ascendit, dicit Orationem: *Aufer a nobis* etc., Altare deosculatur et in medio suppedaneo legit ex Missali, in media mensa collocato, Missam usque ad locum quo Celebrans pervenerit. *Kyrie* etc., recitat alternatim cum Assistentibus; quo recitato, de Altari descendit, reverentiam peragit Episcopo, sedet in scabello, tegit caput quod detegit et inclinat dum cantantur verba: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram;* et iterum ad: *Iesu Christe.* Decantato a Choro Hymno, Electus caput detegit, surgit, reverentiam Episcopo facit, se ad Altare suum convertit, suppedaneum conscendit, Altare in medio deosculatur et dicit ad Missale conversus: *Dominus vobiscum,* ac legit Orationem Missae sub unica conclusione cum Oratione: *Concede, quaesumus, Domine* etc., ut in Pontificali Romano, vel in Appendice Missalis.

Completis Orationibus, descendit ad scabellum more solito et sedet. Decantata Epistola, Electus surgit, cum consuetis reverentiis ad Altare revertitur, ubi Epistolam, Graduale vel Tractum vel Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, legit, deinde Altari descendit et ante suum Altare consistit, detecto capite.

Quum Episcopus de Throno descendit, salutationi eius respondet, dein caput tegit et una cum Assistentibus accedit ante Altare, caput nudat, reverentiam Cruci facit, dein procumbit in pulvinis super gradus Altaris collocatis, ad sinistram Episcopi.

Prolatis ab Episcopo verbis: *Quod ipse praestare digneris, qui vivis et regnas Deus* etc., in fine Orationis: *Cunctorum bonorum* etc., Electus de prostratione surgit et se confert ante Episcopum, ibique genuflectit.

Completa Oratione: *Exaudi, Domine, preces nostras* etc., ambas manus imponit libro Regulae dum Episcopus dicit: *Accipe Regulam* etc.

Baculum benedictum Abbas utraque manu accipit dum Episcopus recitat formulam: *Accipe baculum* etc.; pariter annulum benedictum accipit in digito annulari dextero, dum Episcopus dicit: *Accipi annulum* etc.

Recitata ab Episcopo Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., Abbas accipit amplexum ab Episcopo, dein a primo Assistente ac postea ab altero, tandem, medius inter Abbates Assistentes, de Altari descendit, reverentiam Cruci et Episcopo simul peragit, procedit ad suum Altare, Cruci reverentiam facit et consistit, humeris ad Altare ipsum conversis; cum Episcopus pergit ad Thronum, salutationi respondet et ad suum Altare se convertit, Cruci reverentiam peragit, suppedaneum conscendit, legit ultimum Versum Gradualis, vel Tractus vel Sequentiae, si vero inter Pascha et Pentecosten ultimum y., dicit: *Munda cor meum* etc., legit Evangelium quod tamen non deosculatur nec profert verba: *Per evangelical.,* dein de Altari descendit, reverentiam Episcopo peragit, in scabello sedet et caput tegit. Ad Evangelii cantum sistit, capite detecto, iunctisque manibus, ad Diaconum conversus.

Quando Episcopus intonat: *Credo in unum Deum,* Abbas se ad Altare convertit, Cruci reverentiam peragit et Symbolum recitat cum Abbatibus Assistentibus, postea cum consuetis reverentiis sedet in suo scabello, caput tegit, quod detegit et inclinat ad: *Iesum Christum; Et incarnatus est* etc.; *Simul adoratur.*

Decantato a Choro Symbolo, Abbas surgit, detecto capite, et ut alias ascendit Altare suum quod deosculatur ac dicit: *Dominus*

vobiscum, ad Missale conversus, legit Offertorium, dein de Altari descendit et, medius inter Abbates Assistentes, procedit ad Thronum, facta reverentia Cruci Altaris sui et Altaris maioris.

Quum ad Thronum pervenerit, reverentiam Episcopo facit, ascendit, in pulvino ante ipsum Episcopum genuflectit, cui praesentat intorticia, et, dum illa Episcopus accipit, eius manum deosculatur, dein offert panes et doliola, eodem modo; ac postea de Throno descendit, debitis cum reverentiis, ad Altare suum revertitur et consistit ante scabellum, humeris ad Altare ipsum conversis, dum Episcopus manus lavat.

Abbas statim ac Episcopus ante Altare pervenerit, procedit ante Altare, sed aliquantulum longe ab infimo gradu, ibique genuflectit in pulvino et ex Missali, posito in scabello ante se, legit Missam elata voce, simul cum Episcopo, sed nullum Crucis signum, nec aliud signum facit, sed semper genuflexus permanet, iunctis manibus.

Dum Diaconus thurificat secundum Diaconum Assistentem, Abbas surgit et in eodem loco thurificationem accipit, statimque genua submittit. Abbas legit Secretam propriam ut in Pontificali Romano, vel ut in Appendice Missalis, sub unica conclusione cum Secreta Missae. Abbas in Canone non dicit: *Et me indigno servo tuo,* sed nominat Episcopum Ordinarium; non profert verba consecrationis.

Recitata Oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., surgit, accedit ad Altare, genuflexionem peragit, suppedaneum conscendit, deosculatur Altare iunctim cum Episcopo et ab ipso pacem accipit; tunc, genuflexione SS. Sacramento facta, descendit de Altari et pacem donat primo Abbati Assistenti, dein alteri ac postea genuflectit ante suum scabellum et genuflexus permanet usque ad sumptionem Calicis inclusive.

Sumpto pretioso Sanguine ab Episcopo, Abbas surgit, ante infimum Altaris gradum genuflexionem peragit, suppedaneum conscendit, genua flectit in eius extremitate et sacram Communionem accipit, dein surgit, de Altari descendit, purificationem accipit, se confert ante suum scabellum, ibique genuflectit et prosequitur legere Missam; recitat Orationem «*Postcommunion* dictam, sub unica conclusione cum Oratione: *Haec nos communio* etc., ut in Pontificali Romano, vel in Appendice Missalis.

Recitata Oratione: *Placeat* etc., non profert verba: *Sit nomen Domini* etc., et benedictionem accipit genuflexus.

Publicata Indulgentia, Abbas accipit pileolum, suppedaneum ascendit et genuflectit ante Episcopum, accipit mitram, chirothecas et annulum. Quum Episcopus eum per manum dexte-

ram accipit, surgit et in Faldistorio sedet, dein ab eodem Episcopo baculum pastoralem in sinistram accipit.

Intonato Hymno: *Te Deum* etc. ab Episcopo, Abbas surgit de Faldistorio, descendit in planum, reverentiam Cruci et Episcopo facit, dein, medius inter Assistentes, procedit per Ecclesiam benedicens populo. Si ad Altare redierit ante Versiculum: *Te ergo* etc., consistit ante infimum Altaris gradum, et, completo Versiculo: *Iudex crederis* etc., per suum Cappellanum mitram dimittit ac in pulvino super gradum collocato genuflectit. Versiculo a Choro decantato, surgit, mitram accipit, ascendit suppedaneum et in Faldistorio iterum sedet. Completa Oratione: *Exaudi, Domine* etc., Abbas baculum dimittit, surgit, per suam dexteram se convertit ad Altare quod in medio deosculatur; ponit super illud sinistram et cantat: *Sit nomen Domini benedictum,* interim formans dextero pollice sibi in pectore Crucis signum, eoque formato, etiam dexteram manum super Altare ponit. Responso a Choro: *Ex hoc nunc et usque in saeculum,* cantat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Dum haec profert verba, dextera manu signat se signo Crucis a fronte ad pectus et a sinistro humero ad dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet dum dicit: *Adiutorium,* in fronte; *nostrum,* infra pectus; *in nomine,* in sinistro humero; *Domini,* in dextero, deinde ante pectus iungit manus, donec a Choro respondeatur: *Qui fecit coelum et terram.* Cum dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus,* elevat oculos, manus expandit, sublevat ac ante faciem iungit, et accipiens sinistra manu baculum pastoralem ad Episcopum convertitur, se ei inclinat ac postea se vertit ad Epistolae latus, dum dicit: *Pater,* et ibi signat populum; dicens: *Et Filius,* vertit se directe ad populum in medio Ecclesiae existentem, signat iterum; dicens verba: *Et Spiritus Sanctus,* se vertit ad latus Evangelii et ibi tertio signat perficiendo circulum, dein, Cruci reverentia facta, accedit ad cornu Epistolae Altaris; ibidem cum mitra et baculo genuflexus in ora suppedanei, versus Episcopum cantat: *Ad multos annor,* surgit, accedit ad Episcopum, baculum Cappellano suo tradit et excipitur ad amplexum ab Episcopo, dein a digniore Abbate Assistente, ac postea ab altero Abbate, de Altari descendit, Cruci ac Episcopo reverentiam facit et ad suum Altare procedit, ubi, Cappellano suo baculo tradito, mitram dimittit, reverentiam Cruci peragit, suppedaneum conscendit et legit ultimum Evangelium; qua lectione completa, mitram et baculum accipit, de Altari descendit, Cruci reverentiam peragit, sedet in suo scabello, baculum ac mitram dimittit, sacra paramenta deponit ac postea rcassu-

mit mantellettum, si Regularis etiam mozzettam, Crucem pectoralem et annulum. Dum legit preces in gratiarum actione post Missam, per Cubicularium, vel per Cappellanum, sandalia et caligas dimittit atque réassurait calceos usuales. Quum Episcopus de Throno descendit, Abbas, detecto capite, surgit, ante Altare maius se confert ubi in pulvino genuflectit, ac postea vel sequitur Capitulum Cathédrale et ad domum episcopalem pergit, vel, facta Episcopo reverentia, medius inter Abbates Assistentes, procedit ad Sacristiam capitularem.

Articulus V.

De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2861. — Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes se more solito gerunt ut in Missa pontificali, sed, absoluta Hora Tertia, Presbyter Assistens ad Altare accedit, incedens ad Episcopi sinistram, Diaconi Assistentes Episcopum sequuntur; cum ante Altare Episcopus pervenerit, Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes recedunt in Choro ad sua loca. Absoluto examine, Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes discedunt de suis locis, et se conferunt ante Altare. Presbyter Assistens consistit ad dexteram Episcopi, sed aliquantulum retro, Diaconi Assistentes a tergo ipsius Episcopi. Dicto: *Indulgentiam* etc., omnes se gerunt more solito ut in aliis Missis pontificalibus.

Quum Episcopus, lecto Graduali, vel Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, accedit ad Altare, Presbyter Assistens praecedit eum, Diaconi Assistentes incedunt ad eius latera; cum pervenerint ante infimum gradum, se conferunt ad sua loca in Choro et ad Altare redeunt, recitata ab Episcopo Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc.

Quum Episcopus de Altari descendit, Presbyter Assistens praecedit eum ad Thronum, Diaconi Assistentes incedunt ad eius latera, dein se gerunt more solito, sed, lecto ab Episcopo Offertorio, Diaconus Assistens primus imponit ei mitram, extendit gremiale super eius genua, dein ab eodem Episcopo accipit oblationes, quas Clerico tradit. Quum Abbas de Throno descendit, Diaconus secundus Assistens tollit Episcopo gremiale et Presbyter Assistens aufert ei annulum ac postea omnes se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus.

Advertat Presbyter Assistens quod Secreta propria in benedictione Abbatis, quae invenitur vel in Pontificali Romano, vel in Appendice Missalis, legitur sub unica conclusione cum Secreta Missae.

Presbyter Assistens pacem accipit more solito et eam distribuit Choro, non vero Abbati nuper benedicto, nec Abbatibus Assistentibus. Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, Presbyter Assistens se retrahit aliquantulum versus Evangelii cornu.

Publicata Indulgentia, Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes se conferunt ad loca sua in Choro et ad Altare revertuntur postquam Abbas decantaverit: *Ad multos annos,* et se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus.

Articulus VI.

De Ministris sacris in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2862. — Ministri sacri se gerunt more solito, sed, assumptis ab Episcopo paramentis missalibus, non assumunt manipulum et ad Altare cum eodem Episcopo accedunt, Diaconus ad eius sinistram, Subdiaconus ad Diaconi sinistram.

Quum ambo ad Altare pervenerint, Diaconus transit ad Episcopi dexteram, Subdiaconus ad sinistram, reverentiam Cruci peragunt et suppedaneum conscendunt; Diaconus sistit ad dexteram Episcopi sedentis in Faldistorio, eique mitram pretiosam aufert et auriphrygiatam imponit ac extendit super eius genua gremiale; Subdiaconus consistit ad Episcopi sinistram.

Postquam Electus, expleto examine, manum Episcopi deosculatus fuerit, Diaconus tollit gremiale ac postea una cum Subdiacono de Altari descendit et, facta Cruci et Episcopo reverentia, ad abacum pergit; ibique manipulum ambo sumunt et ad Episcopum, cum consuetis reverentiis, revertuntur ac cum eo descendunt in planum; Diaconus mitram Episcopo aufert, dein ad sinistram Electi, sed aliquantulum retro, se confert; Subdiaconussistit ad sinistram Diaconi.

Quum Episcopus profert: *Indulgentiam* etc., Subdiaconus accipit manipulum ex libro Evangeliorum, accedit ad Episcopum ante Diaconum, sed post Electum, et se more solito gerit.

Quum Episcopus, lecta illa parte Gradualis vel Tractus, vel Sequentiae a rubrica praescripta, accedit ad Altare, Ministri sacri surgunt, accedunt ante infimum Altaris gradum, ad latera Episcopi ascendunt suppedaneum et Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad

sinistram illius sedentis in Faldistorio consistunt. **Diaconus** aufert mitram pretiosam eique auriphrygiatam imponit. Quum Episcopus genuflectit in Faldistorio, **Diaconus** transit ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram ipsius Episcopi.

Decantato a Choro Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., **Ministri** cum Episcopo surgunt, **Diaconus** sistit ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram eiusdem Episcopi. Dimisso ab Episcopo baculo, **ambo** iterum genuflectunt ut prius et completis Litaniis surgunt, **Diaconus** transit ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram Episcopi; **Diaconus** aufert ei mitram, quam reponit, recitata Oratione: *Exaudi, Domine, preces nostras* etc., et extendit gremiale super eius genua ac postea porrigit ei Librum Regulae a quo recipit et illum Clerico tradit, prolatis verbis formulae traditionis. Si baculus pastoralis benedicendus, Diaconus aufert Episcopo mitram, quam reponit postquam baculum asperserit. Item si annulus benedicendus, mitram aufert quam reponit postquam annulus aspersus fuerit.

Tradito Abbati annulo, **Diaconus** Episcopo mitram aufert et, recitata Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., imponit Episcopo sedenti mitram pretiosam; ambo cum Episcopo de Altari descendunt; facta Cruci et Episcopo reverentia, ad scamnum revertuntur ac more solito se gerunt.

Diaconus thurificat Abbatem post secundum Diaconum Assistentem, dein incensat Abbates Assistentes et ceteros de more.

Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, **Diaconus** palla Calicem tegit, genuflexionem peragit et dum Episcopus, accepta sacra Particula, se ad Abbatem convertit, **Diaconus** transit ad eius dexteram et Subdiaconus se confert ad Episcopi sinistram. Sumpta ab Abbate S. Communione, ambo cum Episcopo ad Altare se convertunt: Diaconus ad Episcopi dexteram transit, **Subdiaconus** ad sinistram eiusdem Episcopi se confert, **uterque** more solito se gerit.

Benedictione ab Episcopo impertita, **Diaconus,** si Episcopus uti Cruce possit, mitram ei sedenti in Faldistorio imponit et ad eius dexteram sistit, dum Subdiaconus ad eius sinistram se confert.

Publicata Indulgentia, si mitra Abbatis benedicta non sit, **Diaconus** aufert Episcopo mitram, et, completa Oratione: *Domine Deus* etc., aspersorium porrigit; quo recepto, mitram eidem imponit ac postea mitram Abbatis tradit; qua Abbati imposita, si chirothecae benedictae non sint, mitram Episcopo aufert; absoluta Oratione: *Omnipotens Creator* etc., aspersorium porrigit; quo recepto, mitram eidem Episcopo imponit, ac postea porrigit chirothecam dexteram; qua Abbati imposita, chirothecam sinistram, dein annulum tradit.

Surgente Episcopo de Faldistorio, **Subdiaconus** transit in latus Evangelii ad sinistram **Diaconi** qui interim Episcopo baculum pastoralem Abbatis porrigit.

Quum Episcopus in latus Evangelii se confert, Diaconus ei mitram aufert, ac postea **Diaconus** et **Subdiaconus** consistunt a tergo eiusdem Episcopi. Benedictione ab Abbate impertita, Diaconus mitram Episcopo imponit. Post amplexum, si eo die Episcopus uti potest s. Pallio, **Diaconus** aufert ei mitram, dein Pallium, quod super Altare deponit. Si Evangelium S. ioannis dicendum sit, **Diaconus** postquam Episcopus Altare signaverit, imponit ei mitram, alias post Evangelii lectionem et ambo more solito se gerunt.

Articulus VII.

De Canonicis deque ceteris Choralibus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2863. — Canonici, habitu chorali induti, more solito associant Episcopum Ordinarium (v. n. 519) et ita se gerunt ad Horam Tertiam et ad Missam pontificalem. Dum Episcopus sedet in Faldistorio, in suppedaneo collocato, et ipsi sedere possunt.

Cantores canunt Graduate, vel Tractum vel Sequentiam usque ad ultimum Versum exclusive, si inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive.

Quum Episcopus, tecto Graduali vel Tractu se prosternit in Faldistorio super suppedaneum collocato, incipiunt, **Choro** respondente, Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc., dein alternatim a Choro canuntur Psalmi ut in Pontificali; quibus absolutis, repetitur a **Cantoribus** Antiphona: *Ne reminiscaris* etc.; qua repetita, statimab iisdem Cantoribus canuntur Litaniae Sanctorum, pariter ut in Pontificali Romano, quibus Chorales respondent; decantato Versiculo: *Ul omnibus fidelibus* etc., **Cantores** desinunt cantum, quem réassumant postquam Episcopus genuflexerit, decantato Versiculo: *Ut hunc praesentem* etc.

Quum Episcopus ad Thronum redit et incipit ex Missali legere ultimum Versum Gradualis, vel Tractus etc., et **Cantores** ipsi incipiunt canere eumdem Versum.

Sanctus etc., *Agnus Dei* etc., Cantores canunt postquam illa ab Episcopo et ab Abbate recitata fuerint et etiam Antiphonam « *Communio* » dictam postquam illam Episcopus et Abbas legerint.

Postquam Episcopus intonavcrit Hymnum: *Te Deum* etc., **Cantores** illum prosequuntur.

Articulus VIII.

De Caeremoniariis in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2864. — I. - De Caeremoniario primo. — Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum associandi Episcopum dat.

Episcopus Ordinarius incedit solus et illum sequuntur Capitulum Cathédrale, dein Electus medius inter Abbates Assistentes.

Ad Confessionem, mutatis mutandis eadem dispositio servetur ut sub n. 2727; pariter ad examen, ad Litaniarum cantum et ad cantum Hymni: *Te Deum* etc., servetur dispositio respective ut sub n. 2728, 2729 et 2731.

II. - De Caeremoniario secundo. — Caeremoniarius secundus in hac Functione sollicitus sit praecipue circa Personam Electi in Abbatem et duos Abbates Assistentes, propterea attente perlegat quae notavimus in Articulis III et IV huius Capitis.

Si Electus et Abbates Assistentes ante Functionem conveniunt in Sacristiam capitularem, tunc Caeremoniarius secundus, cum Canonici procedunt ad associandum Episcopum, ducit Electum et Assistentes ad Altare maius; facta brevi Oratione ante infimum gradum, innuit eis ut accedant ad scabellum ante parvum Altare.

Publicata a Presbytero Assistente Indulgentia, Caeremoniarius imponit Abbati pileolum; intonato ab Episcopo Hymno: *Te Deum* etc., invitat Abbatem et Assistentes ad procedendum per Ecclesiam eosque praecedit.

Si ad Altare redierint ante Versiculum: *Te ergo, quaesumus* etc., omnes consistunt ante infimum gradum et ante eumdem Versiculum Caeremoniarius aufert Abbati mitram quam reponit, decantato Versiculo, dein eum deducit iterum ad Faldistorium in medio suppedaneo collocatum.

Quum Abbas ad suum Altare revertitur, Caeremoniarius aufert ei mitram.

III. - De Caeremoniario tertio. — Caeremoniarius tertius se gerit ut secundus Caeremoniarius in Missa solemni pontificali ad Thronum, sed Cantoribus signum dat canendi ultimum Versum Gradualis, vel Tractus, etc., cum Episcopus incipit eumdem Versum

legere; pariter signum dat canendi: *Sanctus* etc., *Agnus Dei* etc., Antiphonam: « *Communio* » dictam, postquam recitata fuerint ab Episcopo et ab Abbate.

Ut rite et expedite Ritus Benedictionis Electi in Abbatem usum pontificalium habentem persolvatur, Caeremoniarii prae oculis habeant Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2869.

Articulus IX.

De Ministris libri et candelae in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia-Cathedrali.

2865. — Ministri libri et candelae se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus ad Thronum, sed cum Episcopus ad Altare procedit, Hora Tertia absoluta, Minister libri sumit ex abaco Pontificale Romanum et cum Ministro candelae accedit ad eumdem Episcopum. Postquam Episcopus dixerit: *Haec omnia et cetera bona* etc., ambo de Altari descendunt et super abacum reponunt Pontificale et candelam.

Decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus etc.,* Ministri accedunt ad Episcopum et postquam ipse secundo dixerit: *Ut hunc praesentem Electum* etc., de Altari descendunt. Litaniis absolutis, iterum ad Episcopum accedunt et de Altari descendunt postquam Episcopus, tradito Abbati annulo, recitaverit Orationem: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc.

Impertita ab Episcopo benedictione, Minister libri sumit Pontificale Romanum et una cum Ministro candelae accedit ad Episcopum. Impositis Abbati chirothecis, ambo surgunt et recedunt in latus Evangelii. Cum Episcopus consistit in eodem Evangelii latere, ante eum se conferunt pro intonatione Hymni: *Te Deum* etc., dein descendunt in planum cornu Evangelii, ibique consistunt, facie cornu Epistolae versa.

Postquam absolutus fuerit cantus Hymni: *Te Deum* etc., iterum Ministri se conferunt ante Episcopum, stantem in suppedaneo ut prius, et, absoluta Oratione: *Concede* etc., descendunt; Minister libri deponit Pontificale Romanum super abacum ac postea, more solito ambo se gerunt.

Articulus X.

De *Ministris mitrae et baculi in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.*

2866. — 1. - De Ministro mitrae. — Minister ad Horam Tertiam se gerit more solito, deinde ut in aliis Missis pontificalibus, sed:

mitram tradit:		mitram recipit:	
I Diae. Ass.:	' Diacono Missae:	a II Diae. Ass.:	a Diae. Missae:
			pretiosam cum Episcopus sedet in Faldistorio;
	auriphrygiatam, accepta pretiosa;		
			postquam Episcopus descenderit, expleto examine;
thurificato Altari;			
		cum Episcopus ad Thronum pervenerit;	
recitato: *Kyrieetc.;*			
		postquam decantatum fuerit ultimum *Kyrie;*	
recitato: *Gloria in excelsis* etc.;			
		decantato Angelico Hymno;	
completis Orationibus;			
pretiosam, postquam Episcopus legerit Graduate velTractumetc.;			
		auriphrygiatam, tradita pretiosa Diacono primo;	
	accepta pretiosa, auriphrygiatam;		
			cum Episcopus sedet in Faldistorio, completis Litaniis;
recitata Oratione: *Exaudi, Domine* etc.;			

postquam Episcopus librum Regulae Abbati tradiderit, si baculus benedicendus;

[mitram tradit:]		[mitram recipit:]	
I Diae. Ass.:	I Diae. Missae:	a II Diae. Ass.:	a Diae. Missae:
	baculo asperso;		post baculi traditionem, si annulus benedicendus;
	annulo asperso;		post annuli traditionem;
	recitata Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., pretiosam;		
auriphrygiatam cum ad Thronum pervenerit.			
		pretiosam, tradita Diae, primo auriphrygiata.	
	impertita benedictione, si Episcopus uti Cruce possit;		
			ante benedictionem mitrae, si benedicenda;
	mitra aspersa;		si chirothecae benedicendae;
	aspersis chirothecis;		
			ante intonationem Hymni: *Te Deum* etc.
	impertita ab Abb. benedictione.		

II. - De Ministro baculi. — Hic Minister se more solito gerit ut in Missa pontificali ad Thronum, sed baculum ab Episcopo recipit cum ille, absoluta Hora Tertia, sedet in Faldistorio in medio suppedaneo Altaris collocato; eique porrigit postquam Electus, absoluto examine, manum eiusdem Episcopi deosculatus fuerit et statim recipit cum Episcopus in planum descendit.

Baculum porrigit etiam Episcopo cum ille, lecto Graduali, vel Tractu etc., de Throno descendit et ab eo recipit cum in Faldistorio,

ut supra, sedet. Porrigit quoque baculum, decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., et ab eo recipit postquam secundo dixerit: *Ut hunc praesentem Electum* etc. Quum Episcopus, absoluta Oratione: *Te, omnipotens et piissime* etc., accipit mitram, ei tradit baculum.

Publicata Indulgentia, recipit ab Episcopo baculum eique iterum porrigit postquam receperit Abbatem ad osculum pacis, in fine Missae, et ab eo recipit cum ad Thronum pervenerit.

Articulus XI.

De Cappellanis inservientibus Abbatibus Assistentibus et Electo in Abbatem, usum pontificalium habentem, in benedictione solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2867. — I. - De Cappellanis inservientibus Abbatibus Assistentibus. — Singulis Abbatibus Assistentibus unus tantum Cappellanus, superpelliceo indutus, inserviat. Hi Cappellani cum ceteris procedunt ad associandum Episcopum et cum ad Altare pervenerint se conferunt apud Altare Electi.

Absoluta Hora Tertia, Cappellani adiuvant Abbates Assistentes in deponendis Cruce, mozzetta, si eam deferant, ac mantelletto et in assumendis amictu, Cruce pectorali, stola et pluviali, dein porrigunt eis mitram. Suo tempore, accedunt cum Abbatibus Assistentibus ante Altare et alter sistit ad dexteram primi Abbatis Assistentis, alter a sinistris secundi; cum opus sit, Cappellani ab Abbatibus mitram accipiunt eamque tradunt. Ad Confessionem respondent genuflexi.

Quum Abbas cum Assistentibus, intonato Hymno: *Te Deum* etc., procedit per Ecclesiam, Cappellani sequuntur Abbates.

II. - De Cappellanis Electi. — Duo Cappellani superpelliceo induti, Electo in Abbatem inserviant, qui, statuta hora, cum ceteris procedunt ad associandum Episcopum; cum ad Altare maius pervenerint, se conferunt apud Altare Electi.

Absoluta Hora Tertia, Cappellani adiuvant Electum in deponendis mozzetta, si eam deferat, et mantelletto, dein ambo induunt eum amictu, alba, cingulo, stola ac pluviali. Quum Episcopus mitram accipit, Cappellanus primus aufert pileolum Electo, si eo utatur, eidem biretum porrigit, a quo recipit si praestare debeat juramentum, post lectionem Mandati Apostolici, eique reddit cum, prae-

stito iuramento, de Altari descendit, alias biretum recipit, expleto examine; iterum ei porrigit cum ad parvum Altare pervenerit et sedet ad legendas preces in Missae praeparatione.

Cappellanus secundus, si Electus praestare iuramentum non debet, sumit ex abaco Pontificale Romanum, sequitur Electum, genuflectit ad eius dexteram sustinens librum apertum ante illum; alias sumit Formulam iuramenti et cum Electus genuflectit in pulvino, ante scamnum, ponit Formulam super scamnum ipsum; iuramento praestito, recipit Formulam, quam super abacum reponit, sumit Pontificale Romanum et se ut supra gerit.

Quum Electus, post Confessionem, procedit ad suum Altare, Cappellanus secundus sumit ex abaco Canonem Pontificalem et sustinet apertum ante Electum sedentem in scamno. Absolutis ab eodem Electo precibus in Missae praeparatione, Cappellanl adiuvant eum in deponendis pluviali et stola, dein in assumendis Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, planeta ac manipulo, deinde Cappellanus secundus sumit ex abaco legile cum Missali et illud ponit ante Crucem super mensam Altaris Electi.

Lecto Offertorio, Cappellanus secundus tollit ex Altari Electi legile cum Missali et collocat super abacum; cum vero Episcopus, acceptis oblationibus, accedit ad Altare, sumit ex abaco Missale et illud ponit super scabellum Electi.

Cappellanus primus, sumpta ab Abbate S. Communione, porrigit ei Calicem pro purificatione.

Publicata Indulgentia, Cappellanus primus sumit ex abaco mitram Abbatis et se confert ante Episcopum, si benedicenda sit, alias eam Diacono porrigit; alter dum Episcopus mitram Abbati imponit, sumit ex abaco chirothecas et, imposita mitra Abbati, se confert coram Episcopo, si chirothecae benedicendae, alias eas Diacono tradit. Dum Episcopus imponit manibus Abbatis chirothecas, Cappellanus primus sumit baculum pastoralem Abbatis iliumque Diacono tradit.

Quum Abbas procedit per Ecclesiam, duo Cappellanl eum praecedunt; si ad Altare redierint ante cantum Versiculi: *Te ergo* etc., Cappellani consistunt retro post Abbatem et primus, decantato Versiculo: *Index crederis* etc., accipit a Caeremoniario mitram, quam eidem porrigit post Versiculum: *Te ergo* etc.

Decantata Oratione: *Concede* etc., Cappellanus secundus accipit ab Abbate baculum pastoralem, quem reddit antequam ille dicat: *Pater.*

Postquam Abbas decantaverit: *Ad multos annos,* Cappellanus

secundus recipit baculum, quem iterum porrigit post amplexum et ab eo rursus recipit cum Abbas pervenerit ad parvum Altare et Cappellanus primus accipit a Caeremoniario mitram. Ambo Abbatem adjuvant in deponendis paramentis atque in reassumendis mozzetta, si Regularis, et mantelletto, Cruce pectorali ac postea **Cappellanus** secundus accipit Canonem Pontificalem et apertum sustinet ante Abbatem.

Articulus XII.

De ceteris Ministris inferioribus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2868. — I. - De Acolytho. — Acolythus se gerit ut in aliis Missis pontificalibus. Quando Episcopus uti potest mitra pretiosa,

sumit eam ex abaco et tradit:

absoluta Hora Tertia;

cum Episcopus incipit Confessionem;

dum Episcopus legit Graduate, vel Tractum, etc.;

dum Episcopus tegit Orationem: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc.;

accipit eam a Ministro et deponit super abacum:

cum Episcopus sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato;

cum Episcopus ad Thronum pervenerit;

postquam Episcopus sederit in Faldistorio;

dein ut in aliis Missis pontificalibus se gerit.

Si Electus praestare debet iuramentum, Acolythus, circa finem lectionis Formulae, sumit ex abaco Missale et illud tradit Diacono, a quo recipit postquam Electus dixerit: *Sic me Deus adiuvet etc.*

Dum Episcopus recitat Orationem: *Exaudi, Domine* etc., sumit ex abaco Librum Regulae illumque tradit Diacono, Oratione absoluta, et ab eo recipit postquam Episcopus recitaverit formulam traditionis ac reponit illum super abacum ex quo sumit vasculum aquae

benedictae, si baculus benedicendus, et se apud Diaconum confert; asperso annulo, Acolythus ad abacum defert vasculum aquae benedictae.

Publicata Indulgentia, si mitra benedicenda, sumit ex abaco vasculum aquae benedictae et ad Diaconi dexteram se confert; aspersis chirotliecis, deponit vasculum super abacum.

II. - De Ministro de gremiali. — Minister de gremiali se ut in aliis Missis pontificalibus gerit, praeterea Diacono gremiale porrigit cum Episcopus, absoluta Hora Tertia, sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, et ab eo recipit, expleto examine.

Absoluta Oratione: *Exaudi, Domine, preces nostras* etc., gremiale porrigit Diacono a quo recipit post traditionem Abbati Libri Regulae.

III. - De Ceroferariis. — Ceroferarii se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus, sed, depositis candelabris super abacum, post Horam Tertiani, collocant Faldistorium in medio suppedaneo. Expleto examine, manipulum Ministris sacris imponunt, deinde Faldistorium de medio suppedaneo tollunt et congruo in loco collocant. Decantata Epistola, iterum Faldistorium in medio suppedaneo statuunt.

Dum Episcopus Abbati Regulae librum tradit, Ceroferarius primus sumit ex abaco baculum pastoralem Abbatis et, si benedictus non est, sustinet illum ante Episcopum, alias porrigit baculum Diacono, a quo recipit post traditionem Abbati; interim Ceroferarius secundus sumit annulum in lance et, si benedictus non sit, sustinet in lance coram Episcopo, alias Diacono porrigit.

Quum Episcopus de Altari descendit, ambo Faldistorium amovent, quod rursum in medio suppedaneo statuunt, benedictione impertita ab Episcopo in fine Missae; publicata Indulgentia, Ceroferarius primus sumit ex abaco mitram Abbatis et, si benedicta non sit, sustinet eam ante Episcopum, alias porrigit eam Diacono; interim alter sumit ex abaco lancem cum chirothecis et, si benedictae non sint, se confert ante Episcopum, alias tradit eas Diacono.

Ambo, cum Abbas, decantata ab Episcopo Oratione: *Concede* etc., surgit de Faldistorio, statim illud amovent.

IV. - De Thuriferario. — Thuriferarius se gerit ut in aliis Missis pontificalibus (v. n. 966, IV).

V. - De Clericis inservientibus. — Hi Clerici pro paramentis se ut in aliis Missis pontificalibus gerunt; tres ex illis, cum

opus sit, transferunt scamna Abbatum Assistentium et Electi, scilicet: Clericus primus scamnum primi Assistentis; secundus, scamnum secundi Assistentis; tertius, scamnum Electi.

Quum Assistentes et Electus surgunt de oratione, ante Altare maius, tres Clerici tollunt pulvinos et in congruo loco reponunt. Quum Episcopus de Throno surgit et procedit ad Altare, tres Clerici transferunt scamna et ea statuunt ut apparet ex dispositione sub n. 2727; absoluto examine, collocant scamna in pristino loco.

Si Electus praestare debet iuramentum, lecto Mandato Apostolico, Clericus tertius collocat scamnum Electi apud infimum Altaris gradum et ante scamnum ponit pulvinum, alium pulvinum collocat in suppedaneo ante Episcopum, circa finem lectionis Formulae. Si vero Electus praestare non debet iuramentum, collocat pulvinum in ora suppedanei, prolatis ab Episcopo verbis: *Haec omnia et cetera bona* etc.

Quum Assistentes et Electus, lecto Graduali, vel Tractu etc., de Altari parvo descendunt, iterum statuunt scamna ante Altare, ut prius, sed in linea recta, dein Clericus tertius, postquam Episcopus pervenerit ad Faldistorium, collocat duos pulvinos super gradus Altaris, versus latus Evangelii, interim Clericus primus et secundus sumunt pulvinos quos ante Assistentium scamna collocant.

Absolutis Litaniis, tertius Clericus collocat ante Episcopum pulvinum, dein amovet pulvinos super gradus positos et transfert scamnum Electi ante parvum Altare; interim Clericus primus et secundus tollunt pulvinos collocatos ante scamna Assistentium.

Quum Abbas post Orationem: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., de Altare descendit, Clericus tertius tollit pulvinum de suppedaneo, Clericus primus et secundus transferunt ad parvum Altare scamna Assistentium.

Dum Abbas legit Offertorium, Clericus primus sumit ex abaco intorticia, secundus panes, tertius barilia ac postea accedunt, debitis cum genuflexionibus, ad Thronum et consistunt ante infimum gradum ad dexteram Cathedrae. Quum Abbas Thronum ascendit, Clericus primus et ipse ascendit, Abbati intorticia tradit, ac postea ascendit Clericus secundus qui porrigit panes, denique tertius qui barilia tradit.

Postquam Episcopus accesserit ad Altare, acceptis oblationibus, tres Clerici collocant scamna in linea recta ante Altare maius, sed aliquantulum longe ab infimo gradu.

Publicata Indulgentia, Clericus tertius collocat pulvinum in suppedaneo ante Abbatem, quem tollit cum Abbas ipse surgit.

Summarium Ritus Benedictionis Electi in Abbatem, usum pontificalium HABENTEM, SOLEMNITER PERAGENDAE AB EPISCOPO Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2869. — Ordinarius accedit ad Ecclesiam, more solito. — Abbates Assistentes et Electus incedunt post Capitulum Cathédrale, vel ante Episcopi adventum se ad Altare maius conferunt. — Adorato SS. Sacramento, omnes procedunt ad Altare maius. — Episcopus ad Horam Tertiam se gerit more solito. — Abbates Assistentes et Electus se conformant aliis Choralibus. — Dum Episcopus paramenta missalia assumit, Abbates Assistentes assumunt amictum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale. — Quum Episcopus accipit mitram, Assistentes a suis Cappellanis, manu, accipiunt mitram, quam sibi ipsi imponunt et ita, durante Functione, se gerunt, ac pariter eam exuentes, cum opus sit. — Electus assumit amictum, albam, cingulum, stolam ac pluviale; dimittit pileolum, si illum defert, et caput bireto operit. — Episcopus accedit ad Altare, sedet in Faldistorio, mitram pretiosam dimittit et accipit auriphrygiatam. — Interim Electus, medius inter Abbates Assistentes, se confert ante Altare et in scamnis omnes sedent. — Innuente Caeremoniario, surgunt. — Primus Assistens dicit: *Adest* etc. — Episcopus: *Habetis* etc. — Primus Assistens: *Habemus.* — Episcopus: *Legatur.* — Notarius legit Mandatum. — Si Electus iusiurandum non praestiterit, tunc praestat. — Examen. — Electus in fine cuiuscumque interrogationis caput detegit, surgit et respondet. — Expleto examine, Electus deosculatur dexteram Episcopi. — Episcopus Confessionem facit ad dexteram Electi. — Dicto: *Oremus,* Episcopus et Electus sibi invicem reverentiam faciunt. — Episcopus prosequitur Missam, more solito, usque ad ultimum Versum Gradualis, vel Tractus etc. — Electus, medius inter Assistentes, procedit ad suum Altare. — Dum legit Psalmos in Missae praeparatione, Electus accipit caligas et sandalia. — Completa Missae praeparatione, Electus dimittit pluviale et stolam, assumit Crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, planetam et manipulum; Altare conscendit, recitat Orationem: *Aujer* etc., deosculatur Altare et Missam legit usque ad locum quo Episcopus pervenerit. — Lecto Graduali vel Tractu etc. usque ad ultimum Versum exclusive, Episcopus procedit ad Altare, Electus, medius inter Assistentes, se confert ante Altare. — Episcopus mutat mitram, dein, innuente Caeremoniario, surgit cum mitra et genuflectit

in Faldistorio. — Electus procumbit ad sinistram Episcopi. — Psalmi Poenitentiales et Litaniae Sanctorum. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, ad Electum se convertit. — Postquam secundo dixerit: *Ut hunc praesentem* etc., baculum dimittit, iterumque genuflectit. — Completis Litaniis, Episcopus surgit et, conversus ad Electum prostratum, dicit, absque mitra: *Pater noster* etc. — Completa Oratione: *Cunctorum bonorum* etc., Electus surgit, se confert ante Episcopum, ibique genuflectit. — Praefatio. — Post verba: *propitius infunde,* impositio manuum super caput Electi usque ad verba: *separetur indignus.* — Tres Orationes. — Episcopus sedet in Faldistorio. — Traditio Regulae. — Benedictio baculi (si non benedictus), eiusque traditio. — Benedictio annuli (si non benedictus). — Episcopus immittit annulum in digitum Abbatis. — Episcopus surgit et dicit: *Oremus. Te omnipotens* etc. — Episcopus sedet cum mitra et ipse et singuli Abbates Assistentes accipiunt Abbatem nuper benedictum ad osculum pacis. — Episcopus revertitur ad Thronum, Abbas, medius inter Assistentes, ad suum Altare. — Missam uterque prosequitur, more solito, sed Abbas non deosculatur textum Evangelii, nec dicit: *Per evangelica* etc. — Lecto Offertorio, oblationes. — Quum Episcopus ante Altare pervenerit, Abbas procedit ante infimum Altaris gradum, genuflectit in pulvino et ex Missali, posito in scabello, legit Missam. — Episcopus recitat, elata voce, omnes secretas simul cum Abbate. — Abbas non recitat preces in benedictione incensi, nec pro thurificatione. — Diaconus thurificat Abbatem post secundum Diaconum Assistentem, dein incensat Abbates Assistentes ceterosque de more. — Abbas non profert verba consecrationis. — Episcopus donat pacem primum Abbati, dein Presbytero Assistenti. — Abbas dat pacem Abbatibus Assistentibus. — Sumpto pretioso Sanguine, Episcopus communicat Abbatem, dicens: *Corpus Domini* etc. — Abbas postquam de Altari descenderit, accipit purificationem, dein prosequitur Missam. — Recitata Oratione: *Placeat* etc., Abbas non dicit: *Sit nomen* etc.; benedictionem accipit genuflexus. — Abbates Assistentes ad benedictionem consistunt profunde inclinati. — Publicata Indulgentia, Abbas se confert ante infimum Altaris gradum; Abbates perstant apud scabella. — Benedictio mitrae (si non benedicta). — Impositio mitrae. — Benedictio chirothecanim (si non benedictae). — Episcopus imponit Abbati chirothecas, dein annulum. — Inthronizatio. — *Te Deum.* — Abbas, medius inter Abbates Assistentes, procedit per Ecclesiam benedicens. — Absoluto Hymno, Episcopus canit Versiculos

et Orationem. — Abbas impertit benedictionem. — *Ad multos annos.* — Episcopus prius, dein Abbates Assistentes accipiunt Abbatem ad osculum pacis. — Episcopus si s. Pallio usus est, illud dimittit et se gerit more solito, ut in aliis Missis pontificalibus. — Abbas procedit ad suum Altare, ibique legit ultimum Evangelium; quo recitato, accedit ad scamnum, paramenta dimittit et legit preces in gratiarum actione post Missam.

CAPUT II.

DE BENEDICTIONE ELECTI IN ABBATEM, USUM PONTIFICALIUM HABENTEM, PRIVATIM PERAGENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI

Circa benedictionem Abbatis Saecularis, vide quod diximus sub n. 2854.

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

(Color paramentorum erit color Officii, sed paramenta Electi erunt albi coloris).

2870. - In Sacristia maiori. — Super aliquam mensam disponuntur superpellicea et bireta pro Clero et Ministris inferioribus.

Super aliam mensam: vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

II. - Ad Altare maius. — Altare pallio coloris Officii instruitur et super eius gradus sternitur tapetum; sternitur quoque amplum tapetum per totum Presbyterii pavimentum.

Super Altare ponuntur septem candelabra et ante altius collocatur Crux; inter candelabra collocari possunt vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur paramenta Episcopi celebrantis, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; chirothecae in lance; formale pariter in lance; mitra pretiosa in cornu Evangelii; auriphrygiata in cornu Epistolae.

Si color paramentorum erit violaceus, tunc mitra auriphrygiata tantum collocatur in cornu Evangelii, exceptis Dominica Tertia Adventus et Quarta Quadragesimae in quibus adhibetur etiam mitra pretiosa; paramenta teguntur velo eiusdem coloris paramentorum.

Si Episcopus uti potest s. Pallio, tunc ponitur in lance s. Pallium cum tribus spinulis, velo coloris paramentorum coopertum.

III. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Collocatur in basi baculus pastoralis.

IV. - Super infimum Altaris gradum. — Collocatur pulvinus; in plano collocantur tres pulvini.

V. - In latere Epistolae ante infimum Altaris gradum. — Faldistoriuni.

VI. - E regione Throni. — Erigitur parvum Altare cum suppedaneo contecto tapeto; Altare instruitur pallio coloris Officii et super illud collocantur quatuor candelabra, quorum in medio ponitur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus. Super Altaris mensam disponuntur paramenta albi coloris pro Electo, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, Crux pectoralis, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; in latere Epistolae collocatur Missale cum legili.

VII. - Ante parvum Altare. — Statuuntur tria scabella nuda.

VIII. - Super consuetum abacum. — Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis; super Patenam collocatur Particula pro Electo; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; caligae cum sandaliis in lance; lanx pro Cruce pectorali; Missale cum legili; Evangeliarium cum manipulo Episcopi; Pontificale Romanum, Canon Pontificalis, scotula cum candela; duae vimpae pro Ministris mitrae et baculi; formula indulgentiae.

IX. - In altero abaco prope Altare Electi. — Collocantur: mitra auriphrygiata; chirothecae, caligae cum sandaliis, albi coloris; annulus cum unica gemma in lance; Calix cum vino ac purificatorio; Canon Pontificalis; pluvialia cum stolis coloris Officii, amictus et mitrae simplices pro duobus Abbatibus Assistentibus; duo doliola vini plena, alterum auro pictum, alterum argento cum stemmatibus Episcopi benedicentis et Monasterii Electi, vel ipsius Electi; duo panes, alter deauratus, alter deargentatus, pariter uterque cum stemmate Episcopi benedicentis et Monasterii Electi, vel ipsius Electi; si Ordinarius sit Cardinalis, doliolis et panibus apponitur tantum eius stemma; duo intorticia.

X. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis pro Episcopo Ordinario; retro post genuflexorium, statuitur aliud genuflexorium pariter cum strato et pulvinis pro Electo et Abbatibus Assistentibus.

Super Altare ardebiint sex cerei.

Dispositio pro functione hac est eadem quae sub n. 2688 invenitur.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario, de duobus Abbatibus Assistentibus deque Electo in Abbatem, usum pontificalium habentem, in benedictione privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali.

2871. — I.-De Episcopo celebrante.—Statuta hora, Episcopus mozzetta super rocchettum indutus, accedit ad Ecclesiam Cathedralem et se gerit ut in Articulo II praecedentis Capitis, sed cum ad Altare maius pervenerit, genuflectit in pulvino super infimum gradum collocato, dein accedit ad Faldistorium et recitat Psalmos et preces in Missae praeparatione, dum accipit caligas et sandalia. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., biretum sibi ipse exuit, surgit et convertit se ad Altare; stans recitat preces et Orationes, quibus absolutis, sedet ac recitat preces ad paramenta; dimissis Cruce pectorali et mozzetta, caput bireto tegit, manus lavat et paramenta pontificalia sumit. Accepto baculo, procedit ad Altare, ante cuius infimum gradum Cruci reverentiam peragit, et se gerit ut sub n. 2856, sed, dicta Oratione: *Oramus te, Domine* etc., sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, accipit mitram et gremiale.

Quum Electus, sumptis missalibus paramentis, surgit et ad Altare suum se convertit, surgit et ipse, ad Missale se confert ac simul cum Electo legit Introitum et reliqua usque ad ultimum Versiculum exclusive Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum v. pariter exclusive, ac postea ad Faldistorium accedit, mitram accipit, dein genuflectit ante Faldistorium et se gerit ut sub n. 2857, sed si benedictio peragitur privatissime, Episcopus incipit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc., quam adstantes prosequuntur; Psalmi ab Episcopo et ab eius Assistentibus leguntur, adstantibus respondentibus. Repetita Antiphona, Episcopus ipse recitat Litanias, pariter adstantibus respondentibus, et recitat Praefationem quae in Pontificali Romano notatur in musicis notis. Recitata Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., Episcopus accedit ad Missale et prosequitur Missam, se gerens ut in privata, una cum Abbate.

Lecto Offertorio, Episcopus sedet in Faldistorio et mitram accipit. Post oblationes deponit annulum ac chirothecas atque lavat manus;

quibus abstersis, annulum reassumit, mitram dimittit, surgit; accepta Patena cum hostia recitat, elata voce, totam Missam cum Abbate et se gerit ut sub n. 2858, sed Altare non incensatur. Ad manuum lotionem utitur mitra; post Orationem: *Domine lesu Christe, qui dixisti* etc., donat pacem Abbati.

II. - De duobus Abbatibus Assistentibus. — Abbates Assistentes se gerunt ut in Articulo III praecedentis Capitis, sed, brevi oratione facta ante Altare maius, paramenta assumunt postquam Electus legerit Psalmos et preces in Missae praeparatione, ante examen.

Assumptis ab Electo paramentis Missae, surgunt, cum eo suppedaneum ascendunt et ei assistunt dum Missam prosequitur usque ad ultimum Versiculum exclusive Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum >\ pariter exclusive.

III. -De Electo in Abbatem. — Electus se gerit ut in Articulo IV Capitis praecedentis, sed brevem orationemfacit super infimum Altaris gradum et cum pervenerit ad scabellum suum, ante parvum Altare, sedet, legit Psalmos ac preces in Missae praeparatione dum per suum Cappellanum, vel per Cubicularium, dimissis calceis usualibus, accipit caligas et sandalia albi coloris. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., caput detegit, surgit et stans in eodem loco recitat: *Kyrie, eleison* etc., cum precibus ac Orationibus; quibus absolutis, dimittit mozzettam, si Regularis, et mantellettum, deinde accipit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale. Quum Episcopus accipit mitram, ipse bireto caput tegit.

Responso: *Amen,* post: *Indulgentiam* etc., Electus redit ad suum Altare, sedet in scamno; dimisso pluviali, sumit tunicellam, dalmaticam, planctam et manipulum ac postea surgit, convertit se ad suum Altare et dicens Orationem: *Aufer a nobis* etc., suppedaneum conscendit, Altare deosculatur in medio et una cum Episcopo, intelligibili voce, legit Introitum ac reliqua usque ad ultimum Versum exclusive Gradualis, vel Tractus, vel Sequentiae, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter inclusive, dein de Altari descendit, reverentiam Cruci peragit, caput tegit, cum Assistentibus accedit ante Altare, caput nudat, reverentiam Cruci facit ac postea procumbit in pulvinis super Altaris gradus collocatis et se gerit ut in allato Articulo IV praecedentis Capitis.

Accepto osculo pacis, post Orationem: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., Abbas revertitur ad suum Altare, Missam prose-

quitur ab ultimo Versu Gradualis, vel Tractus etc., ut supra notavimus, usque ad totum Versiculum Offertorii; quo lecto, accedit ante infimum Altaris gradum, reverentiam Cruci et Episcopo simul facit, ascendit pro oblationibus ac postea descendit, Cruci et Episcopo reverentiam iterat, deinde accedit ad suum scamnum ante Altare maius collocatum.

Articulus III.

De duobus Canonicis Assistentibus Episcopo Ordinario in benedictioni Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, privatim peragenda in Ecclesia Cathedrali.

2872. — Statuta hora, duo Canonici, superpelliceo supra rocchettum induti, cum ceteris assistentibus, procedunt ad Ecclesiae ianuam et dignior porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto, ambo sequuntur Episcopum ad Altare SS. Sacramenti, ac postea procedunt ad Altare maius et genuflectunt in plano a tergo eiusdem Episcopi.

Surgente Episcopo et ipsi surgunt, cum Episcopo ad Faldistorium pergunt eique respondent, scilicet alternatim recitant cum eo Psalmos atque Versiculos in Missae praeparatione. Quum Episcopus, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., surgit, Assistens primus accipit biretum et ambo se gerunt ut notavimus sub n. 2663-2666.

Accepto ab Episcopo baculo pastorali, Assistentes procedunt cum eo ante infimum Altaris gradum, reverentiam faciunt Cruci, suppedaneum conscendunt, Assistens secundus se confert ad sinistram Episcopi sedentis in Faldistorio eique mitram aufert, si pretiosa utatur. Assistens primus se recipit ad Consecrantis dexteram eique mitram auriphrygiatam imponit, si mitram pretiosam dimiserit, et extendit super eius genua gremiale.

Postquam Electus, expleto examine, manum Episcopi deosculatus fuerit, Assistens secundus tollit gremiale ac postea uterque cum Episcopo descendit in planum, ubi, Cruci reverentia facta, Assistens secundus aufert Episcopo mitram, deinde ambo se conferunt a tergo Episcopi ibique genua submittunt.

Dicto ab Episcopo: *Indulgentiam* etc., secundus Assistens surgit, accipit a Caeremoniario manipulum illumque inducit in brachio sinistro Episcopi, ac postea iterum suo in loco genuflectit.

Dicto ab Episcopo: *Oremus,* Assistentes surgunt et ad latera eiusdem accedunt ac cum eo suppedaneum conscendunt; postquam Episcopus Altare deosculatus fuerit, secundus Assistens praesentat eidem

Missale deosculandum, dein ambo cum eodem Episcopo se ad populum convertunt et sistunt ad eius latera sedentis in Faldistorio; Assistens primus imponit ei mitram auriphrygiatam ac super eius genua extendit gremiale.

Assumptis ab Electo paramentis missalibus, Assistens secundus aufert Episcopo gremiale et mitram; ambo accedunt cum eo ad Missale, in latere Epistolae, eique indicant quod legendum. Collecta pro Electo dicenda est sub unica conclusione cum Oratione Missae.

Postquam Episcopus legerit Graduale, vel Tractum, vel Sequendam usque ad ultimum Versum exclusive, si vero inter Pascha et Pentecosten usque ad ultimum ÿ. pariter exclusive, ambo accedunt cum eodem Episcopo ad Faldistorium in medio suppedaneo collocatum; Assistens primus ei mitram imponit, dein, dum Episcopus genuflectit in Faldistorio se confert ad eius dexteram et alter ad sinistram ibique ambo genuflectunt.

Decantato a Choro, vel recitato ab Episcopo Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Assistentes surgunt et primus sistit ad dexteram, alter ad sinistram eiusdem Episcopi. Baculo ab Episcopo dimisso, Assistentes iterum genuflectunt, ut prius.

Completis Litaniis, Assistens secundus aufert Episcopo mitram, dein transit ad eius sinistram, dum primus ad dexteram se confert eiusdem Episcopi.

Absoluta Oratione: *Exaudi, Domine, preces nostras* etc., Assistens primus Episcopo sedenti mitram imponit atque extendit super eius genua gremiale ac postea porrigit ei Librum Regulae, a quo recipit iliumque Clerico tradit, prolatis verbis formulae traditionis. Si baculus pastoralis benedicendus, Assistens secundus Episcopo mitram aufert, quam primus reponit postquam ille baculum asperserit. Item si annulus benedicendus, secundus mitram aufert, quam primus reponit postquam annulus aspersus fuerit.

Tradito Abbati annulo, Assistens primus mitram aufert; recitata Oratione: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc., ambo accedunt cum Episcopo ad Missale ac se gerunt ut in assistentia Missae privatae.

Lecto ab Episcopo Offertorio, Assistens primus Episcopo sedenti in Faldistorio mitram imponit; ambo sistunt ad eius latera dum Abbas oblationes praesentat, quas Assistens primus ab eodem Episcopo accipit et Clerico tradit; dein tollit Episcopo annulum ac dexteram chirothecam, dum alter sinistram aufert, dein ministrat mantile, et annulum in digitum reponit; secundus mitram Episcopo tollit, dein ambo se gerunt ut in assistentia Missae privatae, sed

ante manuum lotionem Assistens primus mitram Episcopo imponit, quam alter aufert antequam Episcopus dicat Versum: *Gloni Patri* etc. Assistens primus post Orationem: *Domine Iesu Christi* | etc. locum Abbati dat ut ille pacem ab Episcopo accipiat.

Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, Assistens primus palla Calicem tegit, ambo genuflexionem peragunt et dum Episcopus, | accepta sacra Particula, ad Abbatem se convertit, Assistens primus transit ad eius dexteram, dum alter se ad sinistram confert. Sumpta ab Abbate S. Communione, ambo cum Episcopo ad Altare se convertunt, Assistens primus ad Episcopi dexteram transit, alter ad eiusdem Episcopi sinistram se confert et uterque se more solito gerit. Ad benedictionem, si Episcopus Cruce non utatur, Assistens primus imponit ei mitram; alias mitram ei imponit benedictione donata, ac postea Indulgentiam publicat, dein si mitra Abbatis benedicta nonsit, Assistens secundus aufert Episcopo mitram; completa Oratione: *Domine Deus* etc., Assistens primus aspersorium porrigit; quo recepto, mitram eidem imponit, ac postea mitram Abbatis tradit; qua imposita Abbati, si chirothecae benedictae non sint, Assistens secundus mitram Episcopo aufert; absoluta Oratione: *Omnipotens creator* etc., primus Assistens porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto mitram Episcopo imponit, dein porrigit chirothecam dexteram; qua Abbati imposita, tradit sinistram, ac postea annulum Abbatis.

Surgente Episcopo de Faldistorio, Assistens secundus transit in latus Evangelii ad sinistram primi Assistentis qui interim Episcopo baculum pastoralem Abbatis porrigit.

Quum Episcopus in latus Evangelii se confert, Assistens secundus mitram ei aufert, ac postea ambo consistunt a tergo eiusdem Episcopi. Benedictione ab Abbate impertita, Assistens primus mitram Episcopo imponit. Post amplexum, si eo die Episcopus uti potest s. Pallio, Assistens secundus aufert ei mitram, dein primus tollit s. Pallium, quod super Altare deponit. Si Evangelium S. Ioannis dicendum sit, Assistens primus postquam Episcopus Altare signaverit imponit ei mitram, alias post Evangelii lectionem; ambo cum eodem Episcopo ad Faldistorium accedunt.

Quum Episcopus baculum Ministro tradit, Assistens secundus mitram ei aufert, primus tollit manipulum et deosculandum porrigit, ac postea, secundo Assistente adiuvante, Episcopum exuit sacris | paramentis.

Accepta ab Episcopo Cruce pectorali, Assistens primus porrigit i ei biretum, dein ambo eidem Episcopo respondent, scilicet alternatim cum eo Canticum, Psalmum et Versiculos in gratiarum ac-

tione post Missam recitant. Precibus absolutis, cum Episcopo accedunt ante Altare et a tergo eiusdem Episcopi in plano genuflectunt. Brevi oratione facta, se gerunt ut in recessu Episcopi ab Ecclesia (v. n. 533).

Articulus IV.

De Caeremoniariis deque Ministris inferioribus in benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, privatim peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2873. — De Caeremoniario primo. — Caeremoniarius primus se gerit ut in Missa privata celebranda ab Episcopo Ordinario et ut in benedictione Electi in Abbatem usum pontificalium habentem, advertat tamen ut Episcopus:

I. - Legat Psalmos et preces in Missae praeparatione ad Faldistorium, in cornu Epistolae, ibique paramenta sumat.

II. - Dicta Oratione: *Oramus te, Domine* etc., sedeat in Faldistorio donec Electus, sumptis missalibus paramentis, ascendat parvum Altare.

III. - Lecto Offertorio, oblationes accipiat in Faldistorio, collocato in medio suppedaneo.

Ut rite et expedite Ritus persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2883.

2874. — De Caeremoniario Electi. — Caeremoniarius Electi se gerit ut in Articulo VIII Capitis praecedentis, sed advertat ut Electus:

I. - Legat Psalmos et preces in Missae praeparatione quum, facta brevi oratione ad Altare maius, ad suum scabellum pervenerit.

II. - Legat Introitum et reliquas partes Missae una cum Episcopo celebrante.

III. - Pro oblationibus accedat ad Episcopum sedentem in Faldistorio collocato in medio suppedaneo.

Ut rite et expedite Ritus persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 2883.

2875. — De Ministro mitrae. — Minister mitrae porrigit semper mitram primo Assistenti et a secundo recipit; se gerit ut sub n. 2866, quoad benedictionem Electi in Abbatem pertinet; quoad vero Missam, tradit mitram:

I. - Antequam Episcopus lavet manus, post Orationem: *Veni, sanctificator* etc.

II. - Sumpta digitorum ablutione.

HI. - Ad benedictionem in fine Missae, nisi Episcopus uti Cruce possit.

2876. — De Ministro baculi. — Minister Episcopo baculum porrigit:

I. - Postquam annulum acceperit, et ab eo recipit postquam sederit in Faldistorio, ante examen.

II. - Expleto examine, et recipit postquam Episcopus de Altari descenderit, ante Missae initium.

III. - Recitato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., et ab eo recipit postquam Episcopus secundo dixerit: *Ut hunc praesentem* etc.

IV. - Ad benedictionem in fine Missae, et ab eo recipit, publicata Indulgentia.

V. - Postquam Episcopus Altare signaverit, si Evangelium S. Ioannis legendum, alias post Evangelii lectionem et ab eo recipit cum ad Faldistorium pervenerit.

2877. — De Ministris libri et candelae. — Hi Ministri accedunt ad Episcopum pro Missae praeparatione; cum Episcopus ad Altare se vertit, ipsi post Faldistorium se conferunt cum tergo verso ad Altare. In reliquis se gerunt ut in assistentia Missae privatae (v. Cap. XVI Art. IV Partis III) et in benedictione Electi in Abbatem usum pontificalium habentem (v. Art. IX praec. Cap.), sed Minister candelae eam sumit ex Altari et super Altare deponit.

2878. — De Cappellanis inservientibus Abbatibus Assistentibus. — Hi Cappellani se gerunt ut sub n. 2867, I, sed adiuvant Abbates in deponendis Cruce, mozzetta et mantelletto ac in assumendis amictu, Cruce, stola et pluviali postquam Electus legerit Psalmos et preces in Missae praeparatione, ante initium Functionis.

2879. — De Cappellanis inservientibus Electo. — Hi Cappellani se gerunt ut sub n. 2867, II, sed cum Electus, facta brevi oratione ante Altare maius, pervenerit ad scamnum ante suum Altare, Cappellanus secundus sumit ex abaco Canonem Pontificalem et sustinet ante illum in scamno sedentem.

2880. — De Acolytho. — Acolythus se gerit ut sub n. 2868, I, sed quando Episcopus uti potest mitra pretiosa, tradit Ministro

mitram auriphrygiatam cum Episcopus sedet in Faldistorio, in medio suppedaneo collocato, in Functionis initio et ab eodem Ministro recipit mitram pretiosam, quam iterum tradit, lecto a Celebrante Offertorio, ac recipit auriphrygiatam.

2881. — De Ministro de gremiali. — Minister de gremiali porrigit gremiale primo Assistenti cum Episcopus sedet in Faldistorio in medio suppedaneo collocato in Functionis initio et ab eo recipit expleto examine.

2882. — De Clericis inservientibus. — Lectis ab Episcopo precibus in Missae praeparatione, dum Caeremoniarius suppedaneum ascendit, Clerici octo se ante infimum Altaris gradum conferunt et se gerunt ut sub n. **635** notavimus, sed **Clericus primus** defert amictum, **secundus** albam, **tertius** cingulum, **quartus** stolam, quintus tunicellam, **sextus** dalmaticam, **septimus** chirothecas, **octavus** planetam.

Tres Clerici ex eis transferunt etiam scamna pro Abbatibus Assistentibus et Electo ut sub n. 2868, IV diximus.

Duo ex eis transferunt Faldistorium cum opus sit, scilicet: cum Episcopus, accepto baculo, surgit, collocant Faldistorium in medio suppedaneo; cum Episcopus ipse de Altari descendit, absoluto examine, amovent Faldistorium; iterum illud in medio suppedaneo statuunt, dum Episcopus Epistolam legit et illud amovent quando Episcopus ad Missale se confert, absoluta Oratione: *Te, omnipotens d piissime Domine* etc. Lecto ab Episcopo Offertorio, rursus in medio suppedaneo Faldistorium collocant et illud amovent quando Abbas nuper benedictus surgit. Impertita ab Episcopo benedictione in fine Missae, iterum in medio suppedaneo Faldistorium statuunt et illud amovent postquam Episcopus decantaverit Orationem: *Exaudi* etc.

Summarium Ritus Benedictionis Electi in Abbatem, usum PONTIFICALIUM HABENTEM, PRIVATIM PERAGENDAE AB EPISCOPO Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2883. — Episcopus accedit ad Ecclesiam, more solito. — Electus et Abbates Assistentes accedunt ad Ecclesiam cum Episcopo, vel ante eius adventum se conferunt ad Altare maius. — Adorato SS. Sacramento, omnes procedunt ad Altare maius. — Episcopus legit Psalmos in Missae praeparatione ad Faldistorium; Abbas ad scabellum; ambo accipiunt caligas et sandalia. — Precibus absolutis, Episcopus manus lavat et paramenta missalia sumit. — Ele-

ctus sumit amictum, albam, cingulum, stolam ac pluviale. — Abbates Assistentes assumunt amictum, Crucem pectoralem, stolam ac pluviale. — Quum Episcopus accipit mitram, Assistentes a suis Capellanis, manu, accipiunt mitram, quam sibi ipsi imponunt, et ita, durante Functione, se gerunt, ac pariter exuentes, cum opus sit. — Electus dimittit pileolum, si illum defert, et caput bireto operit. — Episcopus accedit ad Altare, sedet in Faldistorio, mitram pretiosam dimittit et accipit auriphrygiatam. — Interim Electus, medius inter Abbates Assistentes, se ante Altare confert et omnes in scamnis sedent. — Innuente Caeremoniario, surgunt. — Primus Assistens dicit: *Adest* etc. — Episcopus: *Habetis* etc. — Primus Assistens: *Habemus.* — Episcopus: *Legatur.* — Notarius legit Mandatum. — Si Electus iusiurandum non praestiterit, tunc praestat — Examen. — Electus in fine cuiuscumque interrogationis caput detegit, surgit et respondet. — Expleto examine, Electus deosculatur dexteram Episcopi. — Episcopus Confessionem facit ad dexteram Electi. — Dicto: *Oremus,* Episcopus et Electus sibi invicem reverentiam faciunt. — Episcopus, recitata Oratione: *Oramus te,Domine* etc., sedet in Faldistorio. — Electus redit ad suum Altare,dimittit pluviale ac stolam, sumit Crucem pectoralem, stolam, tuiticellam, dalmaticam, planetam atque manipulum, suppedaneum conscendit dicens: *Aufer* etc., deosculatur Altare. — Episcopus surgit, accedit ad Missale, dum pariter Electus ad Missale se confert. – Uterque legit Introitum et reliqua usque ad ultimum Versum Oradualis, vel Tractus etc. — Episcopus accedit ad Faldistorium, sedet, mitram accipit. — Electus, medius inter Assistentes, ante Altare se recipit. — Innuente Caeremoniario, Episcopus surgit cum mitra et genuflectit in Faldistorio. — Electus procumbit ad Episcopi sinistram. — Psalmi Poenitentiales et Litaniae Sanctorum (Si Functio peragitur privatissime, Episcopus incipit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc., quam Adstantes prosequuntur; Episcopus ipse Litanias recitat, Adstantibus respondentibus). — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, ad Electum se convertit. — Postquam secundo dixerit: *Ut hunc praesentem* etc., baculum dimittit, iterum genuflectit. — Completis Litaniis, Episcopus surgit et, conversus ad Electum prostratum, dicit, absque mitra: *Pater noster* etc. — Completa Oratione: *Cunctorum* etc., Electus surgit, se confert ante Episcopum, ibique genuflectit. — Praefatio (si Functio peragitur privatissime, recitatur). — Post verba: *propitius infunde,* impositio manuum super caput Electi usque ad verba: *separetur indignus.* — Tres Orationes. — Episcopus sedet in

Faldistorio. — Traditio Regulae. — Benedictio baculi (si non benedictus), eiusque traditio. — Benedictio annuli (si non benedictus). — Episcopus immittit annulum in digitum Abbatis. — Episcopus surgit et dicit: *Oremus. Te, omnipotens* etc. — Episcopus sedet cum mitra et ipse et singuli Abbates Assistentes accipiunt Abbatem, nuper benedictum, ad osculum pacis. — Episcopus accedit ad Missale, Abbas, medius inter Assistentes, ad suum Altare. — Missam uterque prosequitur more solito. — Abbas deosculatur textum Evangelii, dicens: *Per evangelica* etc. — Lecto Offertorio, oblationes. — Quum Episcopus surgit de Faldistorio, Abbas genuflectit in pulvino et ex Missali, posito in scabello, legit Missam. — Episcopus legit simul cum Abbate, elata voce, omnes secretas. — Ad manuum lotionem Episcopus mitram accipit. — Abbas non profert verba consecrationis. — Episcopus dat pacem Abbati, qui eam Abbatibus Assistentibus donat. — Sumpto pretioso Sanguine, Episcopus communicat Abbatem dicens: *Corpus Domini* etc. — Abbas, postquam de Altari descenderit, sumit purificationem, dein prosequitur Missam. — Recitata Oratione: *Placeat* etc., Abbas non dicit: Sit *nomen* etc.; benedictionem accipit genuflexus. — Abbates Assistentes ad benedictionem consistunt profunde inclinati. — Publicata Indulgentia, Abbas se confert ante infimum Altaris gradum; Abbates perstant apud scabella. — Benedictio mitrae (si non benedicta). — Impositio mitrae. — Benedictio chirothecarum (si non benedictae). — Episcopus imponit Abbati chirothecas, dein annulum. — Inthronizatio. — *Te Deum.* — Si Functio peragitur privatissime, Hymnus, Versiculi et Oratio recitantur.— Abbas, inter Abbates Assistentes, procedit per Ecclesiam benedicens. — Absoluto Hymno, Episcopus canit, vel recitat Versiculos et Orationem. — Abbas impertit benedictionem. — *Ad multos annos.* — Episcopus prius, dein Abbates Assistentes accipiunt Abbatem ad osculum pacis. — Episcopus, si s. Pallio usus est. illud dimittit et se gerit more solito, ut in aliis Missis pontificalibus. — Abbas procedit ad suum Altare, ibique legit ultimum Evangelium; quo recitato, accedit ad scamnum, paramenta dimittit et legit preces in gratiarum actione post Missam.

CAPUT III.

DE BENEDICTIONE ELECTI IN ABBATEM, USUM PONTIFICALIUM HABENTEM, SOLEMNITER PERAGENDA IN IPSA ECCLESIA EIUSDEM ELECTI

2884. — Circa benedictionem Abbatis Saecularis vide quod diximus sub n. 2854.

Omnia praeparantur et sacra Functio peragitur ut in Capite I, sed animadverte sequentes variationes:

I. - Non collocatur septimum candelabrum, nisi Episcopus celebrans sit Ordinarius loci.

II. - E regione Throni Episcopi celebrantis erigitur Thronus exornatus albi coloris cum duobus tantum gradibus tapeto contectis.

III. - Altare Electi collocatur in latere Epistolae inter Thronum minorem et cancellos Presbyterii.

IV. - Abacus pro Electo instruitur inter Altare Electi et cancellos Presbyterii.

V. - Electus, si e Clero saeculari, habitu praelatitio indutus cum cappa, quam reverentiae causa explicare nequit, si vero Regularis indutus superpelliceo supra habitum monasticum ac mantelletto et mozzetta, statuta hora accedit cum Clero Ecclesiae Abbatialis, vel Praelatitiae, aut cum Monachis ad limen Ecclesiae Episcopum excepturus eique aspersorium porrigit.

VI. - Episcopus impositis chirothecis et annulo Abbati, surgit, accipit Abbatem per manum dexteram et ducit eum ad Thronum in quo inthronizat, deinde tradit ei baculum pastoralem, dicens: *Accipi plenam et liberam potestatem* etc.

VII. - Postquam Abbas benedictionem donaverit per Ecclesiam ac sederit in sua Sede, Monachi unus post alium accedunt ad Thronum, ibique reverentiam ei et Episcopo peragunt, Thronum conscendunt, deosculantur eius manum et vultum, dein descendunt; iterata Abbati et Episcopo reverentia, se ad sua loca conferunt.

VIII. - Completa Oratione: *Exaudi, Domine, preces nostras* etc., Episcopus et Abbates Assistentes mitram accipiunt, Abbas surgit et, medius inter Abbates Assistentes, accedit ad Altare maius dum Episcopus, medius inter Diaconum et Subdiaconum, se confert ad suam Sedem in cornu Evangelii collocatam, ubi dimittit baculum et mitram.

IX. - Abbas benedictionem impertit, ac postea se recipit ad

cornu Epistolae Altaris, interim Episcopus, acceptis mitra et baculo, ad Altare se confert, ubi baculum dimittit et in cornu Evangelii consistit.

2885. Dispositio pro Benedictione Electi in Abbatem, usum pontificalium habentem, solemniter peragenda in ipsa Ecclesia eiusdem Electi.

a

F. ~ Faldistorium pro Episcopo; pulvini pro: Abbate digniore, I; altero Abbate, II; Electo, III; A. — abacus consuetus; a abacus pro Electo; scabella pro: Abbate digniore, 1; altero Abbate, 2; Electo, 3; Presbytero Assistente, 4; priino Diacono Assistente. 5; secundo Diacono Assistente, 6; Subdiacono, 7; Diacono, 8; Ministro mitrae, 9; Ministro baculi, 10; Ministro libri, 11; Ministro candelae, 12; Cacremoniario Episcopi, 13; Caeremoniario tertio, 14; + – Crux archiepiscopalis.

CAPUT IV.

DE BENEDICTIONE PLURIUM ELECTORUM IN ABBATEM, USUM PONTIFICALIUM HABENTEM, PERAGENDA AB EPISCOPO ORDINARIO IN ECCLESIA CATHEDRALI

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2886. — Omnia parantur ut in Articulo I Capitis I, sed:

I. - Curandum est ut suppedaneum Altaris maioris in longitudine augeatur ut Abbates commode inthronizari possint.

II. - Super infimum Altaris gradum, vel ad latera Faldistorii in medio Presbyterii collocati, ponuntur pulvini in numero sufficienti pro Electis et Assistentibus.

III. - Altare pro Electis sit longum prout opus fuerit, eique superimponuntur Crux et quatuor candelabra tantum, quorum in medio collocari possunt vascula cum floribus. Super eius mensam praeparantur paramenta pro singulis Electis; ante idem Altare collocantur tot scabella quot Electi et duo pro Abbatibus Assistentibus.

IV. - Super consuetum abacum ponitur parva Pyxis, continens particulas in numero sufficienti pro Abbatibus benedicendis; super Patenam collocatur tantum hostia.

V. - In altero abaco, prope Altare Electorum, pro singulis Electis praeparantur omnia quae diximus pro uno; curandum est ut omnia sint signata, vel ita disposita ut quisquis possit uti illis quae sunt ei propria.

VI. - Adsint pulvini sufficientes pro Electorum prostratione.

VII. - Praeparantur pro inthronizatione tot Faldistoria quot Electi.

VIII. - Ante Altare SS. Sacramenti disponuntur genuflexoria pro omnibus sufficientia.

Ut Functio expedite peragatur oportet ut baculi, annuli, mitrae et chirothecae iam benedicta sint.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario celebrante in benedictione plurium Electorum in Abbatem, usum pontificalium habentem, peragenda in Ecclesia Cathedrali.

2887. — Episcopus Ordinarius se gerit ut in Articulo II Capitis I, vel ut in Articulo II Capitis II, sed:

I. - Legit examen: *Antiqua sanctorum Patrum* etc., singulari numero, et in plurali numero dicit tantum: *Haec omnia et cetera bona tribuat vobis Dominus et custodiat vos atque corroboret in omni bonitate.*

II. - Collecta pro Electis dicitur ab Episcopo plurali numero sicut etiam Secreta et Oratio « *Postcommunio* » dicta.

III. - Pariter legit plurali numero Litaniarum Versum: *Ut hos praesentes Electos* etc., Orationes et Praefationem usque ad verba: *propitius infunde;* deinde imponit ambas manus extensas, digitis non disiunctis, super caput cuiusque Electi et eas sic tenet dicens ut in Pontificali: *Ut qui per manus nostras... separetur indignus.* Alteram partem Praefationis prosequitur plurali numero sicut etiam tres sequentes Orationes.

IV. - Tradit Librum Regulae, baculum et annulum singulariter unicuique, dein plurali numero recitat Orationem: *Te, omnipotens et piissime Domine* etc.; qua absoluta, accipit ad osculum pacis primum Abbatem nuper benedictum ac postea secundum, etc.

V. - Episcopus pacem dat unicuique Abbati nuper benedicto.

VI. - Episcopus imponit mitram, chirothecas et annulum primo Abbati benedicto, dein secundo ac postea reliquis.

VII. - Inthronizatis Abbatibus, Episcopus dicit formulam: *State in iustitia et sanctitate et tenete locum a Deo vobis delegatum: potens enim Deus, ut augeat vobis gratiam suam.*

VIII. - Episcopus, absoluto Hymno: *Te Deum* etc., cantat plurali numero Versiculos et sequentem Orationem.

Articulus III.

De duobus Abbatibus Assistentibus in benedictione plurium Electorum in Abbatem, usum pontificalium habentem, peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2888. — Abbates Assistentes se gerunt ut in Articulo III Capitis I, vel ut sub n. 2871, II, sed:

I. - In examine sedent more solito, facie ad invicem aliquantulum conversa. **Primus Assistens** in postulatione dicit: *Adsunt, Reverendissime Pater, Electus Monasterii N., Ordinis sancti N., dioecesis N.; Electus,* etc., *quos ad vestram reverendissimam Paternitatem ex parte conventus eorumdem Monasteriorum, duximus praesentandos, humiliter postulantes a Vobis ut ipsos in Abbates dictorum Monasteriorum, Auctoritate apostolica Vobis commissa, dignemini ordinare.*

II. - Assumptis ab Electis paramentis pro Missae celebratione, **Abbates Assistentes** accedunt ad Altare et ab eo recedunt modo descripto sub sequenti numero respective ad III et IV.

III. - Quum Abbates nuper benedicti accedunt ad Altare vel ad Thronum pro oblationibus, Assistentes incedunt ad latera primi Abbatis benedicti.

IV. - Pacem accipiunt ab unoquoque Abbate nuper benedicto.

V. - Intonato Hymno: *Te Deum* etc., si Abbates nuper benedicti duo sint tantum, Assistens primus incedit ad dexteram primi Abbatis, alter ad sinistram secundi; si plures, et numerus sit dispar, tunc Assistentes incedunt ad latera primi Abbatis.

Articulus IV.

De Electis in Abbatem, usum pontificalium habentem, in sua benedictione peragenda ab Episcopo Ordinario in Ecclesia Cathedrali.

2889. — Electi se gerunt ut in Articulo IV Capitis I, vel ut sub **n. 2871, III,** sed:

I. - **Electi** si **duo,** accedentes ad Ecclesiam procedunt post Abbates Assistentes, **primus Electus** ad dexteram **alterius,** si tres: **primus** incedit medius inter ceteros; **secundus** ad dexteram primi; tertius ad sinistram primi.

Si plures, incedunt bini bini, et, si numerus sit dispar, primo loco terni ac servabunt ordinem praecedentiae etiam in sacra Functione.

II. - In examine sedent ad unam eamdemque lineam e regione Episcopi celebrantis (v. n. 2771).

Si praestare debent iuramentum, tunc, lecto Mandato Apostolico, caput detegunt, surgunt, ante Altare genuflectunt in pulvino et **dignior Electorum,** elata voce, legit Formulam; qua completa, accedit ad Episcopum, manus extensas imponit super Missale et dicit: Sic *me Deus adiuvet* etc., surgit, se Episcopo inclinat, de Altari per Evangelii latus descendit ac se ad suum scabellum confert. **Secundus Electus** dum primus dicit: Sic *me Deus* etc., surgit, se

ante infimum gradum Altaris confert et, primo Electo descendente, Altare ascendit, coram Episcopo genuflectit ac dicit: *Et Ego N., Electus Monasterii N., Ordinis sancti N., dioecesis N., iuro in omnibus et per omnia ut supra, in formula iuramenti iani lecta, facere et observare pro Monasterio mihi commisso.* Tum imponit manus superMissale et dicit: *Sic me Deus adiuvetctc.,* deinde surgit; reverentia Episcopo peracta, descendit per Evangelii latus. Et ita se gerunt singuli Electi.

Expleto examine, Electi unus post alium deosculantur Celebrantis manum, dein recedunt versus Evangelii latus et consistunt ante infimum Altaris gradum ita ut dignior pro Confessione consistat ad Episcopi sinistram, secundus ad sinistram primi Electi, tertius ad sinistram secundi, etc.

III. -Postquam Electi assumpserint paramentamissalia,surgunt, ad Altare se convertunt, deinde Assistens primus, transiens retro post Electos et Assistentem secundum, se confert ad cornu Epistolae Altaris, Electus secundus qui sistit ad dexteram primi Assistentis eum sequitur et in suppedaneo consistit ad eius sinistram ante Missale. Electus primus ascendit suppedaneum et consistit ante Missale ad sinistram Electi secundi. Electus tertius ascendit ad sinistram Electi primi, tandem Assistens secundus ascendit ad sinistram Electi tertii (v. n. 2772).

IV. - Quando vero Electi et Assistentes descendere debent in planum ante Altare, tunc Assistens primus, transiens retro post Electum secundum, se confert ante suum scamnum, dein Electus secundus sequitur Assistentem primum, inde Electus primus descendit ac postea Electus tertius, transiens retro post secundum Assistentem, se recipit ad suum scamnum, tandem Assistens secundus sequitur Electum tertium (v. n. 2773).

V. - Electi ad Psalmos et Litanias procumbunt sequenti ordine: Electus primus a sinistris Episcopi celebrantis, secundus Electus ad sinistram primi et Electus tertius ad sinistram secundi Electi.

VI. - Decantatis verbis Praefationis: *propitius infunde,* Electus primus surgit, suppedaneum conscendit, ibique genuflectit ante Episcopum. Prolatis a Celebrante verbis: *separetur indignus,* surgit, Episcopo se inclinat, de Altari per Evangelii latus descendit et se ad pristinum locum confert.

Secundus Electus dum primus surgit post verba: *separetur indignus,* et ipse surgit, ascendit Altare, genuflectit coram Episcopo ac se gerit ut primus. Et ita se gerunt singuli Electi.

VII. - Ad oblationes praesentandas incedit primus Abbas, medius inter Abbates Assistentes, sequitur secundus, etc.

VIII. - Quisquis Abbas pacem dat singulis Abbatibus Assistentibus.

IX. - Sumpto ab Episcopo pretioso Sanguine, Abbates surgunt, ante infimum Altaris gradum genuflexionem peragunt, suppedaneum conscendunt omnesque genuflectunt in eius extremitate, primus versus latus Epistolae, secundus ad sinistram primi, tertius ad sinistram secundi, etc.

X. - Primus Abbas, accepto annulo, descendit per latus Evangelii, transit in latus Epistolae et consistit ante infimum Altaris gradum. Dum primus descendit, ascendit secundus et ita se gerunt reliqui deinceps.

XI. - Collocatis in suppedaneo Faldistoriis, primus Abbas ascendit Altare pro inthronizatione, deinde secundus et deinceps reliqui (v. n. 2766-2768).

XII. - Intonato Hymno: *Te Deum* etc.. Abbates una simul surgunt, de Altari descendunt ordine quo sederant, ad Altare se convertunt; reverentia Cruci facta et Episcopo, ad populum se vertunt, et si duo tantum sint, ad lineam procedunt, medius inter Abbates Assistentes; si vero numero pari, incedunt bini bini, iuxta ordinem praecedentiae; si numerus sit dispar, tunc, Abbas primus incedit inter Abbates Assistentes, ceteri eum sequuntur bini et bini.

XIII. - Decantata ab Episcopo Oratione: *Exaudi, Domine, preces nostras* etc., Abbates surgunt, reverentiam Episcopo faciunt et descendunt in planum, per Epistolae latus, ibique se disponunt ita ut Abbas primus sit propius Altare, secundus ad sinistram primi, tertius ad sinistram secundi, etc.

XIV. - Amotis a suppedaneo Faldistoriis, primus Abbas Altare ascendit, benedictionem impertit, dein acclamationes Episcopo facit et, postquam amplexum acceperit ab eodem Episcopo nec non ab Abbatibus Assistentibus, descendit in planum cornu Evangelii ac consistit, facie cornu Epistolae versa, et mitram dimittit.

XV. - Quum primus Abbas benedictionem impertit, ceteri Abbates per suos Cappellanos mitram dimittunt.

XVI. - Dum Abbas primus accipit amplexum a secundo Abbate Assistente, secundus Abbas mitram accipit, Altare ascendit ac se ut primus gerit et ita se gerunt ceteri.

XVII. - Quum ultimus Abbas amplexum accipit a secundo Abbate Assistente, ceteri Abbates mitram accipiunt et cum Abbas ultimus in planum descendit, omnes ordine consueto ad sua scamna accedunt.

CAPUT V.

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA SOLEMNITER AB EPISCOPO ORDINARIO PERAGENDA

2890. — *Pridie* quam primario lapidi benedicatur, Ordinarius loci ipse in quo Ecclesia aedificanda est, vel eius Delegatus (C. I. C. 1163; 1156), privatim figat ligneam Crucem, maioris formae, in loco ubi esse debet Altare maius.

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

2891. — *A)* Non longe a loco in quo aedificanda est Ecclesia.

hi aliquo Oratorio, vel si Oratorium desit in aliquo decenti loco:

I. - Super Altaris mensam, vel super aliquam mensam, mundo linteo contectam, disponuntur paramenta Episcopi, scilicet: amictus, alba, cingulum et pluviale albi coloris, formale in lance; mitra auriphrygiata.

II. - Ante Altare vel mensam collocatur sedes cameralis super tapetum.

III. - Super aliam mensam, pariter mundo linteo contectam, collocantur insignia choralia pro duobus Canonicis Assistentibus, vel superpellicea tantum, si Assistentes Canonici non sint; superpellicea in numero sufficienti pro Ministris inferioribus; vimpae pro Ministris mitrae et baculi; Pontificale Romanum (Pars III); scotula cum candela.

IV. - Congruo in loco: Crux processionalis et duo intorticia.

B) In loco in quo aedificanda est Ecclesia.

I. - E regione Crucis. - Collocatur suppedaneum, tapeto coopertum in longitudine et latitudine sufficiens ut Episcopus eiusque Assistentes commode consistere et gennflectere possint.

II. - In medio suppedaneo statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

III. - Ad dexteram Faldistorii collocatur mensa, albo mundo linteo tecta, super quam ponuntur: vas amplum cum mundissima aqua; aliquantulum salis in lance; vasculum ad hauriendam aquam benedictam; aspersorium ex hyssopo; culter vel aliud ferrum acuminatum cum manubrio ex convenienti materia; trulla; pergamena; tubus plumbeus; atramentum cum calamo; Canon Pontificalis; tabella cum formula Indulgentiae.

IV. - Ad sinistram suppedanei statuitur legile pro Cantoribus.

V. - Lapis collocatur apud locum fundationis in quo ponendus est, scilicet in loco respondente angulo dextero absidis, videlicet lateri Evangelii Altaris maioris.

2892.— Lapis «debet esse quadratus et angularis» (Pont. Rom.), nempe habens sex latera aequalia et unumquodque latus quatuor angulos rectos; in medio cuiusque faciei Crux incidi potest; in facie vero superiori, sub Crucem, lapis effodi potest ut tubus plumbeus cum pergamena scripta, memoriae causa, includi possit.

2893. — Primarii Lapidis exemplar.

Caput V. – Be betted. et impos, lapidis pro Ecclesia 263

2894. — Dispositio ad locum in quo aedificanda est Ecclesia.

F. ’ Faldistorium. — *a*. = Abacus.—L. – Legilc.- + Lapis ct locus In quo collocandus.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario celebrante solemniter in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda.

2895. — Episcopus, statuta hora, accedit ad locum in quo paramenia sumere debet, ibique, dimissis Cruce pectorali et mozzetta, assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale ac mitram auriphrygiatam. Ad nutum Caeremoniarii, Episcopus accipit baculum pastoralem et, medius inter Assistentes, procedit ad locum in quo aedificanda est Ecclesia; quo cum pervenerit, Cruci se inclinat et in Faldistorio sedet.

Ad nutum Caeremoniarii, Episcopus surgit et salem exorcizat, dicens: *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo te, creatura salis* etc. Exorcismo absoluto, sedet in Faldistorio, baculum et mitram dimittit, iterum surgit ac, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc., *Dominus vobiscum. Oremus. Immensam clementiam tuam* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit, surgit ac postea super aquam absolute dicit: *Exorcizo te, creatura aquae* etc.; completo Exorcismo, sedet, baculum ac mitram dimittit, rursus surgit; iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc., *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui ad salutem* etc., qua Oratione absoluta, accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio* etc., dimittit illum in aquam in modum Crucis, dum profert verba: *In nomine Patris etc.,* ac postea manutergio abstergit manum et immediate dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, invictae virtutis* etc. Oratione completa, sedet, accipit mitram ac baculum, surgit et procedit versus locum ubi pridie collocata fuit lignea Crux; quo cum pervenerit, incepta a Cantoribus Antifona: *Signum salutis pone* etc., baculum Ministro tradit, aspersorium accipit et aspergit locum in quo Altare primarium erigetur, scilicet locum ubi Crux posita est.

Absoluto cantu Psalmi 83: *Quam dilecta* etc., Episcopus mitram dimittit et tono feriali cantat: *Oremus. Domine Deus,* etc. Ad litteram *N* profert nomen Sancti in cuius honorem nova Ecclesia conditur. Si vero Ecclesia non dedicatur in honorem alicuius Sancti, omittitur: *et beati N.* (D. 3241 ad 3).

Oratione absoluta, Episcopus accipit mitram ac baculum et se confert ante lapidem benedicendum. Tradito Ministro baculo, Episcopus mitram dimittit et dicit: *Adiutorium nostrum* etc., reliquos Versiculos ac duas Orationes. In Oratione: *Domine sancte, Pater* etc.,

si Ecclesia dedicanda non est in honorem alicuius Sancti, sed in honorem alicuius Mysterii, post verbum: *honorem,* exprimatur Mysterium (*l. c.).*

Completa Oratione, Episcopus accipit aspersorium et lapidem aspergit, dein reddit primo Assistenti aspersorium atque ab eo accipit cultrum et in singulis lapidis faciebus, idest sex vicibus, triplicem Crucem, unam post aliam imprimens in loco eodem, signat, dicens: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti.* Tradito primo Assistenti cultro, dicit: *Oremus. Benedic, Domine etc.:* qua Oratione absoluta, mitram ac baculum accipit et se confert ad Faldistorium; quo cum pervenerit, baculum dimittit et in pulvino, ante Faldistorium, genuflectit, facie versa ad Crucem ligneam. Absolutis Litaniis, Episcopus surgit, baculum accipit et se confert ad locum ubi ponendus est primarius lapis. Mitra et baculo dimissis, stans versus eunidem lapidem dicit: *Oremus. Actiones nostras* etc. Post Orationem, Episcopus mitram accipit et inchoat. Cantoribus prosequentibus, Antiphonam: *Mane surgens Iacob* etc.; qua intonata, mitram accipit.

Absoluto Psalmo 126: *Nisi Dominus aedificaverit domum* etc., iuxta communem praxim, legitur pergamena a Notario ecclesiastico, dein Episcopus ac postea Magistratus et ceteri, iam designati, eam subsignant. Quibus peractis, Notarius includit pergamenam in tubo plumbeo cum numismatibus, ac postea collocat tubum in fossura lapidis.

Tunc Episcopus collocat operculum, dein accipit trullam cum coemento et illud ponit circa operculum, ac postea dexteram imponit super lapidem, dicens: *In fide Iesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento,* et illum benedicit, dicens: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti, ut vigeat* etc.

Collocato lapide in fundamento, Episcopus accipit aspersorium quo eumdem lapidem aspergit, dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo d mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor,* dein recitat alternatim cum Assistentibus Psalmum 50: *Miserere mei, Deus* etc., cum *Gloria Patri* etc., in fine. Tunc Episcopus accipit baculum pastoralem et procedit ante Crucem ligneam; quo cum pervenerit, baculum Ministro tradit et inchoat Antiphonam: *O quam metuendus est* etc.

Incepto Psalmo 86: *Fundamenta eius in montibus sanctis* etc., Episcopus accipit a primo Assistente aspersorium et procedens a dextris Crucis aspergit fundamenta usque ad illorum tertiam partem; ibique consistit, tradit aspersorium primo Assistenti et, completo Psalmo, mitram dimittit et cantat: *Oremus:* tum, pronuntiato a primo

Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo Assistente: *Levate,* cantat, tono feriali: *Omnipotens et misericors Deus* etc. Qua Oratione absoluta, intonat Antiphonam: *Pax aeterna* etc., mitram accipit et, accepto a primo Assistente aspersorio, procedit aspergens usque ad aliam tertiam partem fundamentorum; ibique subsistit ac retinens mitram, absoluta a Cantoribus Antiphona, dicit: *Omnipotentem Deum* etc., ac postea intonat Antiphonam: *Bene fundata est* etc. Incepto a Cantoribus Psalmo 121: *Laetatus sum* etc., Episcopus accipit aspersorium a primo Assistente ac procedit aspergens tertiam partem fundamentorum, deinde, tradito primo Assistenti aspersorio, accipit baculum pastoralem et se confert ante Crucem ligneam.

Repetita Antiphona: *Bene fundata* etc., Episcopus, renibus Cruci versis, mitram dimittit et cantat: *Oremus,* tum, pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et responso a secundo Assistente: *Levate,* tono feriali cantat Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc.; qua absoluta, mitram et baculum accipit ac procedit ad Faldistorium; facie ad Crucem ligneam versa, tradit Ministro baculum, genuflectit in pulvino ante Faldistorium, mitram atque pileolum dimittit ac intonat Hymnum: *Veni, Creator* etc.; absoluta prima stropha, pileolum accipit et surgit. Hymno absoluto, Episcopus immediate dicit: *Descendat, quaesumus* etc., et, responso a Cantoribus: *Arnen,* subiungit: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc.; qua Oratione completa, accipit mitram et baculum pastoralem; si placet habet sermonem ad populum, deinde benedictionem pontificalem impertit. Si Cruce uti potest, ante benedictionem mitram dimittit.

Publicata Indulgentia, Episcopus, medius inter Assistentes, revertitur ad locum in quo paramenta sumpserat, ibique ea dimittit.

Articulus III.

De duobus Assistentibus in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.

2896. — Statuta hora, duo Assistentes conveniunt in locum ubi insignia choralia, vel superpellicea assumere debent. Ad Episcopum accedentem ad sedem cameralem, Assistentes se conferunt et primus aufert ei Crucem pectoralem, alter mozzettam tollit, dein

primus Assistens accipit a Caeremoniario paramenta, iisque, adjuvante secundo Assistente, Episcopum induit.

Accepto ab Episcopo baculo, ambo, sustinentes pluvialis fimbrias, procedunt ad locum in quo aedificanda est Ecclesia. Post salis exorcismum, secundus Assistens aufert mitram, quam primus reponit, absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc. Completo aquae exorcismo, secundus Assistens Episcopo aufert mitram. Post Orationem: *Deus, qui ad salutem* etc., Assistens primus tradit Episcopo lancem cum sale et, ab eo recepta, porrigit eidem mantile ad abstergendam manum; postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc., imponit ei mitram ac porrigit aspersorium. Loco in quo Crux posita est asperso, Assistens primus recipit aspersorium.

Psalmo 83: *Quam dilecta* etc. completo, Assistentes accedunt cum Episcopo ad locum in quo lapis collocandus est, ibique secundus Assistens aufert ei mitram. Primus Assistens, recitata Oratione: *Domine sancte, Pater* etc., porrigit aspersorium Episcopo; eo recepto, eidem tradit cultrum, quem recipit, signatis ab Episcopo Crucibus; post Orationem: *Benedic, Domine* etc., Assistens primus imponit Episcopo mitram; ambo, sustinentes fimbrias pluvialis Episcopi, cum eo procedunt ad Faldistorium et ad eius latera genuflectunt.

Completis Litaniis, Assistentes surgunt et cum Episcopo revertuntur ad locum in quo lapis collocandus est, ibique secundus Assistens aufert Episcopo mitram, quam primus reponit post Orationem: *Actiones nostras* etc.

Iuxta communem praxim, absoluto Psalmo 126: Msz *Dominusetc.,* et, lecta a Notario ecclesiastico pergamena, Assistens primus porrigit Episcopo calamum atramento intinctum a quo recipit post subscriptionem; incluso tubo plumbeo cum pergamena, porrigit Episcopo operculum, dein trullam cum coemento. Collocato lapide in fundamento, Assistens primus porrigit Episcopo aspersorium quod recipit, lapide asperso. Ambo recitant alternatim cum eodem Episcopo Psalmum 50: *Miserere mei, Deus* etc., ac postea, sublevantes pluvialis fimbrias, procedunt ante ligneam Crucem.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *O quam metuendus* etc., primus Assistens porrigit Episcopo aspersorium, ambo procedunt cum eo aspergente fundamenta usque ad eorum tertiam partem; quo cum pervenerint, consistunt et, repetita Antiphona a Cantoribus, Assistens secundus aufert Episcopo mitram. Decantato ab Episcopo: *Oremus,* Assistens primus cantat genuflectens: *Flectamus genua,* et secundus surgens cantat: *Levate.* Intonata ab Episcopo Antiphona:

Pax aeterna, Assistens primus mitram Episcopo imponit dein eidem aspersorium porrigit; ambo procedunt cum Episcopo aspergente fundamenta usque ad aliam tertiam partem; quo cum pervenerim, consistunt.

Intonata Antiphona: *Bene fundata est etc.,* Assistens primus porrigit Episcopo aspersorium; ambo procedunt cum eodem Episcopo aspergente ultimam fundamentorum partem; quo cum pervenerint, Assistens primus recipit aspersorium ab Episcopo, dein ambo cum eo se conferunt ante ligneam Crucem. Repetita a Cantoribus Antiphona: *Bene fundata* etc., post Psalmum 121 : *Laetatus sum* etc., Assistentes renes ad ligneam Crucem vertunt et loca permutant, dein Assistens secundus mitram Episcopo aufert. Decantato ab Episcopo: *Oremus,* Assistens primus genuflectens cantat: *Flectamus genua,* et alter surgens cantat: *Levate.* Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., absoluta, primus Assistens mitram Episcopo imponit, dein ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Faldistorium et Assistens secundus Episcopo, in pulvino genuflexo, mitram et pileolum aufert. Absoluta stropha prima Hymni: Veni, *Creator* etc., ambo surgunt cum Episcopo; completa Oratione: *Deus, qui in omni toco* etc., Assistens primus Episcopo sedenti pileolum et mitram imponit. Post sermonem, si habendus, Assistens secundus, si Episcopus uti Cruce potest, aufert mitram.

Benedictione impertita, Assistens primus publicat Indulgentiam; qua publicata, ambo, sustinentes pluvialis Episcopo fimbrias, revertuntur ad locum in quo Episcopus paramenta sumpserat et eum adiuvant in paramentis deponendis.

Articulos IV.

De Caeremoniario in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.

2897. — Ordo Processionis ad locum in quo collocandus est primarius lapis:

1. Crucifer, medius inter Clericos intorticia deferentes;
2. Cantores;
3. Clerici;
4. Episcopus, medius inter Assistentes;
5. Ministri libri et candelae;
6. Ministri mitrae et baculi;
7. Familiares Episcopi.

2898. — Dispositio ad aquae Benedictionem.

Cer. I Cer II

o cf.

M.C M.1

AII E AI

M.L. _E Mm.

2899. — Dispositio ad aspersionem loci in quo Crux lignea posita est.

All E AI Cf. cum vase

M.b. Mc. Mf. M.m

2900.— Iuxta communem praxim, absoluto Psalmo 126: *Nisi Dominus* etc., a Notario ecclesiastico legitur pergamena includenda in tubo plumbeo una cum numismatibus; interim Caeremoniarius innuit ut duo Clerici deferant ante Episcopum parvam mensam super quam collocantur: atramentum cum calamo, plumbeus tubus et numismata.

Lecta pergamena, Episcopus primum, dein Magistratus, ac postea ceteri, iam designati, actum subsignant. Notarius ponit pergamenam in tubo plumbeo una cum numismatibus, dein operculo claudit et includit eum in fossura primarii lapidis; quo incluso, Episcopus operculo fossuram claudit, ac postea circa idem operculum ponit coementum; quo facto, tangit primarium lapidem, dicens: *In fide* etc., quibus prolatis verbis, lapis vel a Clerico, vel a Lapidario, artificiose collocatur in fundamento ac postea Lapidarius locat ipsum lapidem coemento et Episcopus lapidem aspergit, dicens: *Asperges me* etc.

2901. — Modus sequendus in fundamentorum aspersione.

’.*7. Fundamenta

1,11, **ili** indicat locum a quo incipienda est aspersio primae, secundae et tertiae partis fundamentorum.

Articulus V.

De Ministris libri et candelae in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.

2902. — Ministri libri et candelae, assumptis ab Episcopo paramentis, sumunt ex abaco Pontificale Romanum et scotulam atque Episcopum sequuntur.

Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, sistunt ante eum usque ad Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc., inclusive, dein sequuntur Episcopum. Absoluto Psalmo 83: *Quam dilecta* etc., iterum ad Episcopum accedunt et sistunt coram eo usque ad Orationem: *Benedic, Domine* etc., inclusive, dein deponunt super abacum Pontificale et scotulam. Absolutis Litaniis, sumunt ex abaco Pontificale et scotulam ac se conferunt ante Episcopum; absoluto Psalmo 50: *Miserere mei, Deus* etc., recedunt. Quum Episcopus pervenerit ad Crucem ligneam, iterum ad eum accedunt pro intonatione Antiphonae: *O quam metuendus est* etc., dein recedunt et sequuntur Episcopum aspergentem fundamenta. Repetita Antiphona: *O quam metuendus* etc., post aspersionem primae partis fundamentorum, Ministri ad Episcopum se conferunt; ad: *Flectamus genua* non genuflectunt. Post intonationem Antiphonae: *Pax. ac terna* etc., recedunt et Episcopum aspergentem secundam partem fundamentorum sequuntur. Repetita Antiphona: *Pax aeterna* etc., Ministri rursus ad Episcopum accedunt pro intonatione Antiphonae: *Bene /undata est* etc., et se ut supra gerunt; Antiphona repetita post Psalmum 121: *Laetatus sum* etc., ad Episcopum accedunt; ad: *Flectamus genua,* non genuflectunt. Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., absoluta, recedunt. Ad intonationem Hymni: *Veni, Creator* etc., Ministri genuflectunt coram Episcopo, et, absoluta prima stropha Hymni, surgunt.

Ad benedictionem se gerunt more solito.

Articulus VI.

De Ministris mitrae et baculi in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.

2903. — I. - De Ministro mitrae. — Minister mitram

primo Assistenti porrigit:

assumpto ab Episcopo pluviale cum formali;

post Orationem: *Immensam clementiam tuam* etc.;

absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc.;

postquam Episcopus genuflexerit in Faldistorio pro Litaniarum cantu;

post Orationem: *Actiones nostras* etc.;

intonata Antiphona: *Pax aeterna* etc.;

post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc.;

absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc.

a secundo Assistente recipit:

absoluto salis Exorcismo;

post Exorcismum aquae;

Psalmo 83: *Quam dilecta* etc., absoluto;

absolutis Litaniis;

repetita Antiphona: *O quam metuendus* etc., post Psalmum 86: *Fundamenta* etc.;

repetita Antiphona: *Bene fundata est* etc.;

postquam Episcopus genuflexerit in Faldistorio.

II. – De Ministro baculi. — Minister baculum

Episcopo porrigit:	ab Episcopo recipit:
ad nutum Caeremoniarii, postquam Episcopus paramenta sumpserit;	absoluto salis Exorcismo;
post Orationem: *Immensam clementiam* etc.;	post aquae Exorcismum;
absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc.;	incepta a Cantoribus Antiphona: *Signum salutis* etc.;
post Orationem: *Domine Deus* etc.;	quum Episcopus pervenerit ad locum in quo lapis collocandus est;
post Orationem: *Benedic, Domine* etc.;	quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit;
absolutis Litaniis;	quum Episcopus pervenerit ad locum in quo lapis collocandus est;
post intonationem Psalmi 50: *Miserere* etc.;	quum Episcopus pervenerit ante Crucem ligneam;
absoluta Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc.;	quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit;
post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc.;	post sermonem, si habendus;
prolatis ab Episcopo verbis: *Benedicat vos omnipotens Deus.*	cum Episcopus pervenerit ad locum in quo depositurus est paramenta.

Articulus VII.

De ceteris Ministris inferioribus deque Cantoribus in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, solemniter peragenda ab Episcopo Ordinario.

2904. — I. - De Crucifero deque Ceroferariis. **- Crucifer, Epi-**scopo parato, sumit Crucem et **Ceroferarii** intorticia accipiunt; ad Caeremoniarii nutum, procedunt ad locum in quo primarius lapis collocandus est ac consistunt ante Faldistorium, renibus ad Crucem ligneam conversis. Aqua benedicta, procedunt ad Crucem ligneam et sistunt ad eius sinistram. Oratione: *Domine Deus* etc., absoluta, procedunt ad locum in quo lapis est collocandus et consistunt e regione Episcopi.

Absoluta Oratione: *Benedic, Domine* etc., **Crucifer** et **Ceroferarii** procedunt ad abacum, ibique consistunt, renibus ad eumdem abacum versis. Litaniis absolutis, revertuntur ad locum in quo collocandus sit lapis et consistunt ut prius; post Psalmum 50: *Miserere* etc., procedunt ad ligneam Crucem atque ad eius sinistram consistunt. Intonata Antiphona: *O quam metuendus* etc., procedunt a dextris Crucis ligneae usque ad tertiam partem fundamentorum, ibique consistunt et se convertunt ad Episcopum; ad: *Flectamus genua,* non genuflectunt. Intonata Antiphona: *Pax aeterna* etc., procedunt usque ad aliam tertiam partem fundamentorum, ibique consistunt ac se ad Episcopum convertunt; intonata Antiphona: *Bene fundata est* etc., procedunt usque ad ultimam fundamentorum partem, dein se conferunt ad abacum, ibique consistunt, renibus ad eumdem abacum versis. Ad primam stropham Hymni: *Veni, Creator* etc., non genuflectunt. Benedictione ab Episcopo impertita, procedunt ad locum in quo Episcopus depositurus est paramenta.

II. - De tribus Clericis. —Tres Clerici cum ceteris Ministris inferioribus, statuta hora, conveniunt in locum in quo Episcopus sumere debet paramenta et se induunt superpelliceo. Quum Episcopus advenerit, Clericus primus sumit ex mensa lancem ac se confert ad Episcopum, dum Clericus secundus et tertius a Caeremoniario paramenta episcopalia accipiunt; quibus acceptis, pariter Clerici ad Episcopum accedunt. Episcopo parato, tres Clerici procedunt post Cantores ad locum in quo primarius lapis collocandus est.

Clericus secundus et tertius transferunt parvam mensam ante Episcopum, dein sumunt concham cum aqua eamque collocant super eamdeni mensam; Clericus primus, aqua benedicta, sumit ex abaco mantile in lance, dein Clericus secundus et tertius reportant concham super abacum atque mensam amovent. Clericus primus extrahit ex concha vasculum unum aquae benedictae, sumit asperSorium ex hyssopo et se confert ad dexteram primi Assistentis. Post aspersionem lapidis Clericus reportat super abacum vasculum cum aspersorio.

Dum canitur Psalmus 126: *Nisi Dominus aedificaverit* etc., Clericus secundus et tertius collocant parvam mensam ante Episcopum et super eam ponunt atramentum cum calamo, dein Clericus secundus sumit ex abaco tubum plumbeum ac pergamenam, alter lancem cum numismatibus, et trullam.

Absoluto Psalmo, Clericus secundus porrigit Notario pergamenam; qua lecta, pariter Notario tradit tubum plumbeum; Clericus tertius porrigit numismata in lance. Interim Clericus primus sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad dexteram primi Assistentis; asperso lapide, Clericus, si opus est, extrahit ex concha aliud vasculum aquae plenum et ad dexteram eiusdem primi Assistentis revertitur, pariter ad eius dexteram incedit in aspersione fundamentorum.

111. - De Cantoribus. — Quum Episcopus, aqua benedicta, pervenerit ante Crucem ligneam, Cantores canunt Antiphonam: *Signum salutis* etc., dein Psalmum 83: *Quam dilecta* etc.

Quum Episcopus genuflexerit, absoluta Oratione: *Benedic, Domine,* etc., duo Cantores incipiunt Litanias. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Mane surgens* etc. Cantores prosequuntur, dein canunt Psalmum 126: *Nisi Dominus* etc. Item, intonatam Antiphonam: *O quam metuendus* etc. prosequuntur, dein canunt Psalmum 86: *Fundamenta eius* etc.; quo absoluto, Antiphonam repetunt.

Intonatam Antiphonam: *Pax aeterna* etc. prosequuntur; pariter, intonatam Antiphonam: *Bene fundata* etc. prosequuntur et canunt Psalmum 121: *Laetatus sum* etc.; quo completo, Antiphonam repetunt.

Postquam Episcopus intonaverit Hymnum: *Veni, Creator* etc., Cantores illum prosequuntur.

CAPUT VI.

DE MISSAE CELEBRATIONE POST BENEDICTIONEM ET IMPOSITIONEM PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA

2905. — Missae celebratio, post impositionem primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda, non praescribitur a Pontificali Romano; si Episcopus, vel Presbyter (D. 3605, I, 3), Missam celebret, tunc, iuxta Rubricam Missalis (Addit, et Variat. Tit. II, n. 9), Missa dicitur de Mysterio, vel de Sancto in cuius honorem Ecclesia fundatur, dummodo non occurrat dies Missas votivas pro re gravi excludens; quo in casu in Missa diei additur Commemoratio Titularis sub unica conclusione cum Oratione diei (v. n. 1515).

2906. — De iis quae praeparanda sunt. — In medio solo benedicendo praeparatur Altare tobaleis, Cruce, candelabris, pallio instructum; super eius suppedaneum et gradus sternitur tapetum. Circa Altare erigitur tentorium quod possit Altare ipsum tegere ac defendere a vento et a solis radiis.

Apud Altare adsit parvus abacus, alba tobalea tectus.

I. - Si Episcopus Missam celebret, tunc super Altaris mensam, in medio, collocatur planeta, in cornu Evangelii manipulus; si color Missae non sit albus, ponitur etiam stola; in cornu Epistolae: Missale apertum initio Missae.

Super abacum collocatur: Calix velo et bursa coopertus; ampullae aquae et vini in pelvicula; urceus cum pelvi et manutergium in lance; campanula.

II. - Si Missa a Presbytero celebratur, super Altaris mensam collocantur tres tabellae; in cornu Epistolae: legile.

Super abacum: ampullae aquae et vini in pelvicula; mantitergium; campanula. Nisi adsit decens locus, tunc super abacum collocantur etiam paramenta missalia; Calix velo et bursa coopertus; Missale.

III. - Si Episcopus Missae assistat, tunc ante Altare paratur Faldistorium cum pulvinis Missae coloris, vel genuflexorium cum strato et pulvinis viridis vel violacei coloris pro diversitate temporum; si Episcopus sit Cardinalis, loco viridis coloris, utendum est colore rubro (Cacr. Episc. L. I, cap. XII, n. 8).

Super abacum collocatur pacis Instrumentum.

2907. — De Missae celebratione. — I. - Si Episcopus Missam celebret, publicata Indulgentia, pergit ad Faldistorium, collocatum ante infimum gradum Altaris in cornu Epistolae, baculum Ministro tradit, sedet et legit Psalmos in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus, recitat: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit et si color Missae albus non sit, dimittit etiam stolam, assumit paramenta missalia et procedit ad Altare, absque mitra iunctisque inanibus, et Missam incipit ut sub n. 1076 notavimus.

II. - Si Presbyter Missam celebret, tunc dum canitur Hymnus: *Veni, Creator* etc., vel, si sermo habendus est, circa finem sermonis, assumit paramenta missalia ac tempestive ad Altare procedit.

III. - Si Episcopus Missae assistat, tunc, publicata Indulgentia, pariter ad Faldistorium pergit, ibique paramenta dimittit et, reassumptis mozzetta et Cruce pectorali, procedit ad genuflexorium.

Sacerdos se gerit ut sub n. 1484 et seqq., Minister ut sub n. 1489 notavimus.

CAPUT VII.

DE ECCLESIAE DEDICATIONE SEU CONSECRATIONE SOLEMNITER PERAGENDA

Articulus I.

De expositione sacrarum Reliquiarum pridie vespere, deque Vigiliis.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

2908. — I. - Si Oratorium non longe ab Ecclesia consecranda adsit, decenter illud ornatur.

Super Altare collocatur Urna, pannis sericeis rubri coloris ornata.

Super abacum collocantur: in lance Reliquiae saltem duorum Sanctorum Martyrum clausae singulae in singulis chartis distinctis, nomine Sancti descripto super ipsam chartam (v. n. 371,111); pergamena scripta ut in Pontificali; tria grana incensi; scotula cum candela, vitta serica rubri coloris; forfices; cera signatoria; annulus signatorius Episcopi ad quem consecratio pertinet; capsula formae quadrae ex lamina plumbea, vel argentea, intus et extra perpolita; Breviaria.

Super aliam mensam collocatur Thalamus, seu Feretrum, ad reponendas sacras Reliquias.

Ante Altare. — Faldistorium cum tegumento et pulvinis rubri coloris.

11. - Si Oratorium absit, ornatur aliquis decens locus et in eius capite collocatur mensa tegumento rubri coloris cooperta et alba tobalea; super mensam collocantur duo candelabra, et in media mensa statuitur Urna.

Cetera disponuntur ut supra notavimus.

2. — In Functione.

2909. — Statuta hora, sub solis occasu, Episcopus, habitu praelatitio indutus, accedit ad Sacellum in quo exponendae sunt sacrae Reliquiae et more solito excipitur a Clero.

Facta brevi oratione in Faldistorio, surgit, accedit ad abacum, ponit reverenter intra Capsulam Reliquias Sanctorum, dein tria incensi grana et pergamenam, ac postea operculo claudit Capsulam, quae ab ipso, vel ab altero Ecclesiastico ex eius mandato, firmatur tenia rubri coloris, ad instar fasciae, decussata super Capsulam ipsam, cuius in media parte, ubi conveniunt utrumque caput fasciae imprimatur sigillum super cera signatoria ita ut sigillum sit evidenter impressum.

Quibus peractis, Episcopus utraque manu accipit Capsulam et eam reponit in Urna super Altare collocata; de Altari descendit, aliquantulum orat ante sacras Reliquias, ac postea de Sacello discedit.

Postquam Episcopus de Sacello discesserit, incipiunt celebrari Vigiliae. Iuxta Pontificale Romanum ante Sanctorum Martyrum Reliquias Vigiliae persolvuntur cum Matutino trium Nocturnorum et Laudibus de Communi plurimorum Martyrum, sub ritu duplici, cum Oratione de tertio loco,scilicet: *Deus, qui nos* etc., omisso verbo: *annua* et reticitis nominibus (DD. 2868; 2886; 4306). Officium hoc non dispensat a recitatione Officii diei currentis et consuetudo contraria non est sequenda (D. 3532 ad 2 et 3).

2910. — Si repositio sacrarum Reliquiarum in Capsula, earumque expositio peragatur ab aliquo ecclesiastico viro ab Episcopo delegato, hic, superpelliceo indutus, se gerit ut supra diximus de Episcopo.

Articulus 11.

De iis quae praeparanda sunt pro Ecclesiae dedicatione seu consecratione.

2911. - I. — In Sacello in quo expositae sunt sacrae Reliquiae.

I. - In cornu Epistolae. — Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris; ad latera Faldistorii: duo scabella.

II. - Super abacum. — Paramenta albi coloris pro Episcopo, scilicet: pluviale, stola, alba, cingulum, amictus; formale in lance; mitra auriphrygiata; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; Pontificale Romanum; scotula cum candela.

III. - Apud abacum. — Baculus pastoralis.

IV. - Super infimum Altaris gradum, in medio. — Pulvinus albi coloris.

V. - In Sacristia. — Super mensam: stola diaconalis albi coloris; duae albae, totidem cingula et amictus (D. 3729 ad 3); quatuor planetae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus; vimpae pro Ministris mitrae et baculi.

VI. - Congruo in loco. — Sex intorticia; thuribulum cum navicula.

2. — In Ecclesia dedicanda.

1. - Altaria omnia nuda esse debent et vascula aquae benedictae vacua esse debent.

« Depingantur in parietibus Ecclesiae intrinsecus per circuitum duodecim Cruces, circa decem palmos super terram, videlicet tres per quolibet ex quatuor parietibus. Et ad caput cuiuslibet Crucis figatur unus clavus, cui affigatur una candela unius unciae» (Ex Pont. Rom. — *De Ecclesiae dedicatione seu consecratione).*

Iuxta Responsum S. R. Congregationis (die 31 Aug. 1867 - D. 3157 ad IV) depingi Cruces possunt sex in pariete dextera, sex aliae in sinistra « ita tamen ut duae sint prope Altare maius et duae prope Ecclesiae ianuam ».

Iuxta communem praxim non ad caput cuiuslibet Crucis figitur clavus ad sustinendam candelam, ut allata Rubrica praescribit, sed ante singulas Cruces collocatur cornucopia muro infixa, ad sustinendam candelam.

Cruces istae possunt esse etiam ex marmore, vel ex metallo, et nequeunt evelli expleta consecratione, sed perpetuis futuris temporibus remanere debent in testimonium Consecrationis eiusdem Ecclesiae (D. 1939).

II. - Nisi adhibeantur lignea fragmenta cum funiculis, ut infra, super Ecclesiae pavimentum describuntur, gypso vel carbone, duae lineae in modum Crucis, viginti et quinque centimetrorum latitudinis, et longitudine pertingentes ab angulo Ecclesiae ad sinistram intrantis ad angulum transversum illius, id est ad caput Ecclesiae in latere Epistolae et ab angulo Ecclesiae ad dexteram intrantis ad caput Ecclesiae a latere Evangelii.

III. - In media Ecclesia.— Super parvum tapetum statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

3. — Ad Altare dedicandum.

I. - In cornu Evangelii, si Presbyterium sit capax, vel prope Sacellum. — Collocatur mensa, alba tobalea contecta, et super illam statuuntur quatuor candelabra cum cereis.

II. - In cornu Epistolae. — Collocantur duo abaci, pariter alba tobalea contecti.

HI. - Super abacum versus Altare. — Disponuntur quae benedicenda sunt, scilicet: vas amplum, seu concha decens cum aqua; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris pariter in lance; ampulla, vel exigua phiala, plena vini in pelvicula; in lance viginti quinque incensi grana aequalia et levigata ut superimponi possit Crux e gossypio cerato; aliquantulum gypsi triti, in lance cretacea; chrismate et tobaleae Altaris; disponuntur etiam vel supra abacum, vel prope illum: Crux, candelabra aliaque Altaris ornamenta.

IV. - Super alterum abacum. — Collocantur: Vascula Olei Catechumenorum et s. Chrismatis in lance; ampullae argenteae plenae praedictis sacris Oleis, pariter in lance; gossypium solutum; operculum sepulcri Reliquiarum; quinque Cruces e gossypio cerato in lance: oportet quatuor Crucium capita iam arsa sint ut faciliter accendi possint; aliquantulum gossypii cerati; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance, medulla panis et mali medici in lance; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; duae spatulae ligneae; duae spongiae; quatuor manutergia ex tela rudi; vasculum vacuum ad hauriendam aquam pro aspersionibus Ecclesiae et Altaris; parvum vasculum vacuum ad hauriendam aquam pro quin-

que aspersionibus tantum supra Altaris mensam; nisi super Ecclesiae pavimentum lineae in modum Crucis descriptae sint: duo lignea fragmenta quorum longitudo sit viginti et quinque centimetrorum: ad fragmentorum extremitates firmantur funiculi, quorum longitudo eiusdem mensurae sit ac linea transversa ab uno angulo ad alterum Ecclesiae; copia sufficiens cineris satis cribrati, spargendi super pavimentum, qui ponitur intra vas; batillum, cribrum; parva patera; trulla; tabellae cum litteris alphabeti graeci et latini; tabulae cum formulis, ut infra signatae n. 8 etc.; Formula Indulgentiae.

V. - Apud abacum. — Hasta cum gossypio cerato; concha in qua reponentur ea quae purificanda, vel in Sacrarium iniicienda sunt.

VI. - In Sacristia. — Thuribulum cum naviculis.

Si Episcopus celebret Missam lectam, post dedicationem, super praecipuam mensam praeparantur: Calix cum purificatorio; Patena; hostia; palla; corporale in bursa albi coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; Missale cum legili; Canon Pontificalis.

Haec omnia transferuntur super abacum, quando ea quae ad Ritum consecrationis adhibita fuerunt deferri possunt in Sacristiam.

Praeterea parantur planeta et manipulum, albi coloris, quae, super mensam collocantur postquam Altare ornatum fuerit.

Si Missa de Communi Dedicationis Ecclesiae prohibeatur (v. n. 2953), tunc missalia paramenta erunt coloris Officii.

VII. - Extra Ecclesiae portam. — Ad sinistram portae: abacus, alba tobalea contectus, et super illuni collocantur quatuor candelabra cum cereis; statuitur etiam mensa, pariter alba tobalea contecta, super quam ponitur: decens vas plenum aquae benedicendae; aliquantulum salis in lance; vasculum vacuum ad hauriendam aquam; manutergium in lance; aspergillum ex hyssopo (D. 3364 ad 4); tabulae signatae n. 1, 2, 3 et 7; collocatur quoque parva mensa, alba tobalea contecta.

2912. — Quoniam quibusdam caeremoniis huius Ritus incommodum affert uti « Pontificali », praeparantur Tabulae decem et octo ut infra. Ne tamen confusio oriatur in earum usu, apponatur numerus in capite cuiusque Tabulae, iuxta ordinem quo illae adhibentur. — Musicae notae desumptae fuerunt ex libello « Ritus Consecrationis Ecclesiae... cum cantu gregoriano ex editione Vaticana et libris Solesmensibus excerpto» edito typis Soc. S. Joannis Ev. - Desclée et Soc.

Caput VII. – De Ecclesiae dedicatione solemn, peragenda

N. I, 9.

A-sper- ges me

N. 2, 4, 6, 32.

In nomine Pa ℣ tris, et Fi ℣ lii, et Spiritus ℣ Sancti.

N. 3, 5.

EPISCOPUS. — Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.

DIACONUS. — Quis est iste Rex gloriae?

EPISCOPUS. — Dominus fortis, et potens: Dominus potens in proelio.

N. 7.

EPISCOPUS. — Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.

DIACONUS. — Quis est iste Rex gloriae?

EPISCOPUS et CLERUS. — Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Aperite. Aperite. Aperite.

EPISCOPUS. — Ecce Cru ℣ cis signum, fugiant phantasmata cuncta.

Pax huic domui.

N. 8.

Intro- i- bo

Sancti ℣ ficetur hoc Altare, in honorem Dei omnipotentis, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam sancti *N.* In nomine Pa ℣ tris, et Fi ℣ lii, et Spiritus ℣ Sancti. Pax tibi.

N. 10.

Vi- dit Ja-cob sea- lain

N. 11.

Consederetur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ Hi, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

Sub al-ta- re De- i

N. 12.

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur haec tabula *(vel:* hic lapis) per istam unctionem et Dei benedictionem. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ Hi, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Sub al-ta- re De- i

N. 13.

Signe ✠ tur et sancti ✠ ficetur hoc Altare. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ Hi, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

N. 14, 16, 17, 21, 24, 27.

Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ Hi, et Spiritus ✠ Sancti.

Caput VII. – De Ecclesiae dedicatione solemn, peragenda

N. 15.

Ste-

N. 18, 22, 25, 28.

Di- ri- ga-tur

N. 19.

E- re- xit Ja- cob

N. 20, 23, 26.

Sancti ℣ ficetur, et conse ℣ cretur lapis iste. In nomine Pa ℣ tris, et Fi ℣ lii, et Spiritus ℣ Sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti *N.* Pax tibi.

N. 29.

Ecce o- dor

N. 30.

Sancti ℣ ficetur, et conse ℣ crctur hoc templum. In nomine Pa ℣ tris, et Fi ℣ Hi, et Spiritus ℣ Sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti /V. Pax tibi.

2913. — Formula Indulgentiae. — I. - *Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N., Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N., dat et concedit omnibus Ecclesiam hanc et Altare hoc visitantibus hodie annum unum, et in die anniversaria consecrationis huiusmodi quinquaginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta. Rogate Deum pro felici statu sanctissimi Domini nostri N., divina providentia Papae N., Dominationis suae Reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae.*

II. - Si Consecrans sit Cardinalis ex Ordine Episcoporum nempe Suburbicarius adhibeatur Formula:

Eminentissimus et Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N., miseratione divina huius sanctae Ecclesiae Episcopus, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis N., dat et concedit... ducentos dies de vera... Dominationis suae Eminentissimae et sanctae Matris Ecclesiae.

III. - Si Consecrans sit Cardinalis ex Ordine Presbyterorum et in propria Ecclesia Titulari:

Eminentissimus ... Dominus N., huius Tituli Sancti N., sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis N., dat et concedit... ducentos dies de vera etc.

Extra propriam Ecclesiam omittitur: *huius.*

IV. - Si Consecrans sit Cardinalis ex Ordine Presbyterorum et Patriarcha, vel Archiepiscopus, vel Episcopus alicuius loci:

Eminentissimus... tituli Sancti N., sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis N., Dei et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae Ecclesiae N. Patriarcha (vel: *Archiepiscopus, vel: Episcopus), dat* etc.

V. - Si Consecrans sit Cardinalis Diaconus:

Eminentissimus... huius Ecclesiae (vel: *Basilicae) sancti N., Diaconus sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis N.,* etc.

Articulus III.

De Episcopo consecrante in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2914. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, accedit ad Ecclesiam dedicandam; nec aspersorium accipit, nec adstantes aspergit, sed procedit ad Faldistoriuni in media Ecclesia collocatum, ibique sedet, facie ad portam versa, et iubet accendere cereos ante duodecim Cruces collocatos; quibus accensis, surgit ac procedit ad locum in quo sacrae Reliquiae expositae sunt, ibique super infimum Altaris gradum genuflectit, aliquantulum orat, dein accedit ad Faldistorium, in cornu Epistolae, et sedet. Ad nutum Caeremoniarii, surgit, detecto capite, ad Altare se convertit et incipit recitare Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. Incepto Psalmo 6: *Domine, ne in furore* etc., se ad populum convertit, in Faldistorio sedet, Crucem pectoralem, cappam, vel mozzettam, vel mantellettum dimittit, bireto caput tegit manusque lavat. Dimisso bireto, sumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius; accipit etiam mitram et baculum, dein legit Psalmos Poenitentiales prosequeris in recitatione cum Choro. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., Episcopus surgit et, medius inter Diaconum et Subdiaconum, procedit ad praecipuam portam Ecclesiae dedicandae; quo cum pervenerit, baculum et mitram dimittit ac intonat Antiphonam: *Adesto, Deus unus omnipotens* etc.; absoluto a Cantoribus Antiphonae cantu, tono feriali, cantat: *Oremus,* et Orationem: *Actiones nostras* etc.; qua absoluta, mitram accipit et genuflectit in Faldistorio.

2915. — Decantato a Cantoribus: *Propitius esto,* et responso: *Exaudi nos, Domine,* Episcopus surgit; accepto baculo, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., *Exorcizo te, creatura salis* etc.; Exorcismo absoluto, sedet in Faldistorio, baculum et mitram dimittit, iterum surgit; iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscuin. Oremus. Immensam clementiam* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit, surgit ac postea super aquam absolute dicit: *Exorcizo te, creatura aquae* etc.; completo Exorcismo, sedet, baculum ac mitram dimittit, rursus surgit et, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui Qd salutem* etc.; qua Oratione absoluta, accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio* etc., dimittit illum in aquam in modum Crucis,

dum profert verba: *In nomine Patris* etc., ac postea manutergio abstergit manum et immediate dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, invictae virtutis* etc. Oratione completa, sedet, accipit mitram, baculum, surgit ac procedit ad portam Ecclesiae, baculum et mitram dimittit, aspersorium accipit, intonat, facie ad portam versa, Antiphonam: *Asperges me,* et aspergit seipsum, Ministros, Clerum, adstantes, dein mitram accipit.

Incepto a Cantoribus Responsorio: *Fundata est* etc., Episcopus incipit circumire procedens a dextris suis et, ambulans, muros semper aspergit versus summitatem in modum Crucis dicens: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti* (v. n. 2946).

2916. — « Si nihilominus ob aliquod loci impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequeat, Episcopus se gerat meliori modo quo possit; nihil tamen de reliquis caeremoniis et ritibus praescriptis omittens» (D. 3852). Igitur cum ad impedimentum pervenerit, Episcopus abrumpit aspersionem, ad sinistram transit et ex eo loco ubi aspersio resumi possit, prosequitur circuitionem a dextris suis ad sinistram usque ad Ecclesiae portam; quo cum pervenerit, tradit Diacono aspersorium et, conversus ad eamdem portam, mitram dimittit et cantat: *Oremus,* tum, pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* cantat: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni* etc. Et ita se gerit deinceps in similibus casibus, sed brevitatis causa notabimus: *Oremus. Flectamus genua. Levate* etc. Oratione absoluta, Episcopus mitram et baculum accipit, se portae appropinquat et sustinens manu dextera baculum, cum extremitate eiusdem percutit portam dicens, intelligibili voce: *Attollite portas* etc. Dicto a Diacono Ecclesiae custode: *Quis est* etc., Episcopus respondet: *Dominus fortis* etc.; quibus prolatis verbis, Ministro baculum tradit, aspersorium accipit et, intonato a Cantoribus Responsorio: *Benedic, Domine* etc., Episcopus incipit circuire et se ut supra gerit, sed muros Ecclesiae aspergit versus fundamenta (v. n. 2946).

Expleto circuitu, Episcopus tradit Diacono aspersorium et pariter se ut supra gerit.

Intonato a Cantoribus Responsorio: *Tu, Domine* etc., Episcopus incipit circuire, procedens a sinistris suis, se ut supra gerens, sed aspergit muros circa altitudinem faciei suae (ibi).

Expleto circuitu, Episcopus Diacono tradit aspersorium et se ut supra gerit, sed prolatis verbis: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae,* adiicit cum adstantibus: *Aperite, aperite, aperite.*

Episcopus Crucis signum efficit extremitate baculi pastoralis super liminare in ostio, dicens: *Ecce Crucis signum* etc. (ibi), dein ingreditur primus in Ecclesiam dicens: *Pax huic domui,* ac postea recedit a sinistris suis ut in Ecclesiam Clerus ingrediatur; quibus ingressis, procedit ad Faldistorium, ibique consistit, facie ad Altare maius conversa.

2917. — Absoluto cantu Antiphonae: *Zachaee, festinans* etc., Episcopus baculum et mitram dimittit, genuflectit in Faldistorio, dimittit etiam pileolum et inchoat Hymnum: *Veni, Creator* etc.; completa prima stropha Hymni, reassumit pileolum, surgit et postquam Hymnus decantatus fuerit, mitram accipit, atque genuflectit iterum in Faldistorio.

Post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, baculum accipit et, eodem loco, cantat Versiculos ut in Pontificali producens, ad signum ✠, Crucem super Ecclesiam et Altare consecrandum.

Si Altare consecrandum non habet Titulum Ecclesiae, tunc Episcopus dicit: *Ut Ecclesiam hanc ad honorem tuum ac nomen sancti N., et Altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda* etc.

Postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Ecclesiam* etc., baculum dimittit, iterumque in Faldistorio genuflectit usque ad Litaniarum finem, dein surgit, mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Praeveniat* etc. absoluta, et responso: *Amen,* cantat: *Oremus. Magnificare* etc.; qua Oratione completa, accipit mitram ac baculum, procedit versus latus sinistrum portae et tenens baculum in dextera manu, dum incipitur a Cantoribus Antiphona: *O quam metuendus est* etc., extremitate baculi scribit super cineres Alphabetum graecum ita distinctis litteris ut totum spatium occupent, procedens versus latus Epistolae Altaris maioris. Signato Alphabeto graeco, Episcopus se confert ad latus dexterum portae et super cineres scribit Alphabetum latinum ita distinctis litteris ut totum spatium occupent procedens versus latus Evangelii Altaris maioris ut in sequenti schemate:

ALTARE MAIUS

PORTA ECCLESIAE

2918. — Episcopus, signato utroque Alphabeto, procedit ad Altare maius, si dedicandum, vel ad Altare dedicandum et distans ab eo spatio congruenti, dimittit mitram ac baculum, dein genua flectit in pulvino et cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus: *Domine, ad adiuvandum me festina,* Episcopus surgit et cantat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso a Cantoribus: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et secundo cantat, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso a Cantoribus: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et tertio cantat, elevans hemitonio vocem: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit.

Responso tertio a Cantoribus: *Sicut erat* etc., Episcopus accipit mitram ac baculum, accedit ad abacum, ibique baculum dimittit et absolute dicit: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, mitram dimittit ac dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit et exorcizat aquam dicens: *Exordio te* etc.; Exorcismo absoluto, mitram deponit ac dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres dicens: *Domine,*

exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce etc.; Oratione completa, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem tribus vicibus, in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; qup facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam, tribus vicibus, in modum Crucis dicens: *Commixtio salis, cineris, et aquae* etc., dein mantile abstergit manum ac statim dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Iesu Christe* etc.; qua Oratione absoluta, accipit ampullam vel phialam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit et absolute super aquam dicit: *Sancti ficare per verbum* etc.; prolatis verbis: *stabilitas parietum,* Episcopus accipit baculum pastoralem et procedit ad Ecclesiae portam, ibique, dextera manu tenens baculum pastoralem, eius extremitate signat super ipsam portam duas Cruces, quarum una in parte superiori, altera in parte inferiori intrinsecus ut in sequenti figura:

Baculo tradito Ministro, Episcopus prosequitur: *Sit positis Crux invicta liminibus* etc.

2919. — Oratione completa, accipit baculum, revertitur ad Altare maius, si consecrandum, vel ad Altare consecrandum, ante illud baculum dimittit ac dicit: *Deum Patrem omnipotentem* etc. Responso

ab Adstantibus: *Arnen,* Episcopus ascendit suppedaneum, ibique intonat Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc., dein intingit pollicem dexterum in vasculo aquae sacratae et signat Crucem in medio mensae Altaris, dicens: *Sancti* ✠ *ficetur hoc Altare* etc.; ad verba: *In nomine Pa* ✠ /ns, *Fi © Hi, Spiritus* ✠ *Sancti,* triplex signum efficit super Crucem signatam; postea aliam Crucem, se ut supra gerens, signat in angulo posteriori cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintani in angulo posteriori cornu Epistolae ut in sequenti figura:

2

Episcopus, quinta Cruce signata, abstergit pollicem, dein se confert in medium suppedanei, ibique, repetita a Cantoribus Antiphona post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Tono feriali, cantat Orationem: *Singulare illud* etc.; qua expleta, Episcopus intonat Antiphonam: *Asperges me* etc.; dein accipit mitram. Aspersorio a Diacono accepto, circuit Altare procedens a dextris suis, illius mensam et stipitem una simul aspergit et redit ad locum, ante medium Altaris, unde discesserat. Completo tertio Versu Psalmi 50: *Miserere* etc., scilicet: *Amplius lava me* etc., Episcopus iterum intonat Antiphonam: *Asperges me* etc., retinens mitram, et se ut supra gerit. Intonat quoque Antiphonam: *Asperges me* etc., post Versiculos: *Ecce enim in iniquitatibus etc.', Auditui meo* etc.; *Ne proiicias me* etc.; *Libera me* etc.; *Sacrificium Deo* etc.; Antiphona intonata, circuit Altare et illud, ut supra, aspergit.

2920. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, intonata Antiphona: *Asperges me* etc., incipit a medio aspergere stipitem in latere Epistolae, deinde latus stipitis, et prosequitur aspergere totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, tum latus

stipitis in latere Evangelii, deinde, aspergens partem anteriorem stipitis in eodem latere, revertitur in medium.

2921. — Septeni Altaris aspersionibus absolutis et decantato a Cantoribus ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere* etc., Episcopus baculum accipit, se confert ad parietem retro Altaris maioris, ibique dimittit baculum et accipit aspersorium. Dum Cantores incipiunt Antiphonam: *Haec est domus Domini* etc., Episcopus aspergit parietem versus pavimentum, procedens a sinistris suis, nihil dicit, nec signum Crucis cum aspersorio facit (v. n. 2948). Quum pervenerit ad locum in quo aspersio initium habuit, subsistit et dum Cantores incipiunt Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., Episcopus incipit aspergere parietem circa medietatem faciei suae procedens pariter a sinistris suis ut supra. Quum pervenerit ad locum in quo aspersio initium habuit, subsistit et dum Cantores incipiunt Antiphonam: *Qui habitat* etc., Episcopus incipit aspergere parietem versum summitatem, procedens versus dexteram suam (ibi); qua aspersione peracta, se confert ante Altare maius.

Intonato a Cantoribus Responsorio: *Domus mea* etc., se ad portam Ecclesiae convertit et aspergit pavimentum usque ad eamdem portam, dein se confert ad parietem versus latus Epistolae, circa mediam Ecclesiam, et per transversum procedit aspergendo pavimentum ad alium parietem (v. n. 2949); quo facto, accedit ad mediani Ecclesiam et stans cum mitra ad Altare conversus intonat Antiphonam: *Vidit Iacob* etc., ac postea aspergit super pavimentum Ecclesiae versus idem Altare maius, se convertit versus Ecclesiae portam et aspergit super pavimentum versus eamdem portam, se convertit super dexteram suam versus parietem et aspergit pavimentum versus eumdem parietem, se vertit supra dexteram suam versus oppositum parietem et aspergit super pavimentum versus parietem, scilicet ut in sequenti schemate:

ALTARE MAIUS

3 4

PORTA ECCLESIAE

2922. — Si vero Ecclesia non sit orientata, tunc Episcopus aspergit pavimentum Ecclesiae versus: 1. Orientem; 2. Occidentem;

3. Aquilonem; 4. Austrum, dein mitram dimittit et, absoluta a Cantoribus Antiphona: *Vidit Iacob* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levait,* ac absoluta Oratione: *Deus, qui loca* etc., et responso: *Arnen,* iterum cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Deus sanctificationum* etc., canit Praefationem, expansis manibus; qua completa, mitram et baculum accipit, procedit ante Altare maius, vel ante Altare dedicandum, se confert ad abacum, baculum dimittit ibique admiscet sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfundit, facit maltam, seu coementum, ac postea, dimissa mitra, illud benedicit dicens: *Dominus vobiscum. Oremus. Sununе Deus* etc.

2923. — Si loco calcis et sabuli, quae a Pontificali indicantur, adhibeatur gypsum, coementum, vel quid simile (D. 4165 ad 1), Episcopus non ei superfundit aquam sacratam, nam ab actione hac ad tempus in quo adhibendum est coementum non brevis interponitur mora, interea gypsum obdurescit tamquam lapis. Propterea Episcopus benedicit gypsum non infusum in aquam sacratam et in casu Oratio pro benedictione immutanda est *(l. c.).*

2924. — Coemento benedicto, Episcopus accipit mitram et baculum, procedit ad locum in quo Sanctorum Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerit, priusquam ingrediatur, depositis baculo ac mitra, cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Aufer a nobis* etc., accipit mitram ac baculum, Sacellum ingreditur, baculum Ministro tradit et ante sacras Reliquias consistit. Absoluto a Cantoribus Psalmo 94: *Venite, exultemus* etc., absque: *Gloria Patri* etc., vel cantu Antiphonae congruentis, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus Domine* etc., mitram accipit, imponit et benedicit incensum, more solito, ac postea intonat Antiphonam: *Cum iucimditate exibitis* etc., baculum accipit et, ad Caercmoniarii nutum, inter sacros Ministros incedit.

Quum Processio ante Ecclesiae portam reversa fuerit, Episcopus sedet in Faldistorio et alloquitur populum verbis Pontificalis: *Quanta, fratres carissimi* etc.; quibus expletis et lectis per Archidiaconum Decretis sacrosancti Concilii Tridentini, ut in Pontificali, ad Ecclesiae Fundatorem dicit: *Scias, frater* etc.

2925. — Iuxta communem praxim Episcopus non legit sermonem Pontificalis: *Quanta* etc., et lectio Decretorum sacrosancti Concilii Tridentini omittitur, sicut etiam Episcopus omittit allocutionem eiusdem Pontificalis: *Scias, frater carissime* etc., ad Ecclesiae Fun-

datorem; sed cum Processio reversa fuerit ad Ecclesiae portam, Episcopus sedet in Faldistorio et, si placet, sermonem circumstantiae congruentem ad populum habet.

2926. — Completo cantu Responsorii: *Erit mihi Dominus* etc. (D. 3729 ad 8), Episcopus baculum ac mitram dimittit, surgit et conversus ad portam cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Domum tuam* etc., mitram accipit, accedit ad stipitem dexterum eiusdem portae, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et cum eo ter in modum Crucis signat Crucem, ibi incisam, dicens: *hi nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *Spiritus* Φ- *Sancti,* ac postea transit ad stipitem sinistrum et pariter sacro Chrismate signat Crucem dicens, ut supra: *In nomine* etc. (D. 3364 ad VI).

Absterso pollice gossypio, Episcopus accipit baculum, se confert ante portam et intonat Antiphonam: *Ingredimini, Sancti Dei* etc.; medius inter Diaconum et Subdiaconum procedit post Clerum ad Altare maius, vel ad Altare dedicandum; quo cum pervenerit, deposito Feretro super abacum, Episcopus baculum dimittit et ante Altare intonat Antiphonam: *Exaltabunt* etc.

2927. — Dum a Cantoribus repetitur Antiphona, Episcopus suppedaneum conscendit; absoluto eiusdem Antiphonae cantu, mitram dimittit et cantat: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, intingit pollicem dexterum in sacro Chrismate et facit in singulis quatuor angulis parvi sepulcri duplicem unctionem in modum Crucis, scilicet unam ad verbum: *Conse* Φ *crelur,* alteram ad verbum: *Sancti* Φ *ficetur,* et, producens manu dextera triplex signum Crucis, dicit: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *Hi, et Spiritus* Φ *Sancti;* deinde mitram deponit, se ad populum vertit, reverenter, utraque manu, accipit capsulam cum Sanctorum Reliquiis, se ad Altare convertit, intonat Responsorium: *Sub Altare Dei* etc., capsulam in parvo sepulcro reponit ac postea, more solito, imponit et benedicit incensum; cum profunda reverentia, ante et post, triplici ductu, thurificat sacras Reliquias. Tradito Diacono thuribulo, Episcopus mitram accipit, intingit dexterum pollicem in sacro Chrismate et inungit partem lapidis, seu operculi parvi sepulcri, quae spectat internum eiusdem sepulcri, proferens formulam: *Consecretur* etc., faciens duplicem unctionem in modum Crucis ad verbum: *Conse* Φ *crelur,* et: *Sancti* Φ *ficetur,* ac postea manu dextera triplex Crucis signum producit dicens: *In nomine Pa* Φ *tris etc.,* dein abstergit gossypio pollicem, trullam cum coemento accipit et illud ponit super sepulcri postem, cavens

ne super Reliquiarum capsulam coementum defluat. Accepto sepulcri operculo, intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei* etc., sepulcrum claudit et firmat operculum coemento. Absoluta a Cantoribus Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, rursus intingit pollicem in sacro Chrismate et facit duplicem unctionem super Altaris mensam et parvum sepulcrum comprehendens utrumque ut in figura sequenti:

dicens ad primam unctionem: *Signe* ✠ *lur,* ad secundam: *Sancti-* ✠ *ficetur* etc.; dicens vero: *In nomine Pa* ✠ *tris* etc., producit dextera manu triplex Crucis signum, ac postea gossypio pollicem abstergit, dein imponit et benedicit incensum, dicens: *Ab illo benedicaris... In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Sancti,* producens tria Crucis signa, qua formula semper utetur deinceps.

Deposita mitra, Episcopus intonat Antiphonam: *Stetit Angelus* etc., mitram iterum accipit et donec durat Antiphonae cantus thurificat Altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper. Cantu absoluto, Diacono thuribulum tradit, mitram dimittit et stans in medio suppedaneo cantat: *Oremus. Dirigatur oratio* etc.; qua completa, mitram ac baculum accipit, de Altari descendit et procedit ad Thronum, si Ordinarius et Thronus sit erectus, vel ad Faldistorium in cornu Epistolae collocatum, baculum dimittit, ibique imponit et benedicit incensum, ad nutum Caeremoniarii, ac postea baculum accipit, surgit, ad Altare procedit, ante cuius infimum gradum baculum dimittit, suppedaneum ascendit, thuribulum accipit et, nihil dicens, thurificat in modum Crucis super mensam semel tantum in medio et in quatuor angulis ordine in sequenti figura signato:

ac postea thuribulum Diacono tradit et iterum imponit et benedicit incensum; ad Altare conversus intonat Responsorium: *Dirigatur etc.',* accepto thuribulo, Altare ter circuit procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul.

2928. — Si Altari circumiri non possit, tunc Episcopus, intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., incipit a medio thurificare stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis, prosequitur thurificare totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, deinde thurificans partem anteriorem stipitis in eodem latere, revertitur in medium; hoc tribus vicibus peragit.

2929. — Altari thurificato, tradit thuribulum Presbytero, qui thurificationem prosequi debet et, stans in medio suppedaneo, intonat Antiphonam: *Erexit Iacob* etc., ac postea intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum, et facit quinque duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti ficetur,* alteram ad verbum: *Conse* Φ *cretur,* super mensam, scilicet in medio et in quatuor angulis ordine in sequenti figura descripto:

et producit dextera manu triplex Crucis signum super singulam duplicem unctionem dicens: *In nomine Pci* ✠ *tris* etc.

Quinque unctionibus peractis, Episcopus pollicem abstergit et, dum a Cantoribus repetitur Antiphona, imponit et benedicit incensum. Absoluto cantu Antiphonae, intonat Responsorium: *Dirigatur* etc., thuribulum accipit, Altare circuit semel tantum procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul. Si Altare circumiri non possit se gerit ut in praecedenti numero notavimus.

2930. — Tradito thuribulo Presbytero et absoluto Responsorii cantu, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Adsit, Domine* etc., intonat Antiphonam: *Mane surgens* etc., mitram accipit et modo supranotato, quinque alias duplices unctiones Oleo Catechumenorum facit; quibus peractis, incensum imponit ac benedicit, intonat Responsorium: *Dirigatur* etc., et Altare pariter, ut supra, thurificat ac postea Presbytero thuribulum tradit.

Completo Responsorii cantu, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Adesto, Domine* etc., et responso: *Amen,* immediatejsubiungit: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, Altare hoc quod* etc. Oratione completa, intonat Antiphonam: *Unxit te* etc., mitram accipit, alias quinque unctiones sacro Chrismate efficit, modo supra notato; quibus peractis, pariter ut supra imponit ac benedicit incensum, nec non intonat Responsorium: *Dirigatur* etc., thurificat Altare, sed procedens ad suam sinistram.

Tradito Presbytero thuribulo et completo Responsorii cantu, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Descendat, quaesumus* etc., intonat Antiphonam: *Sanctificavit* etc., mitram accipit, dein dextera ampullam sacri Chrismatis, sinistra ampullam Olei Catechumenorum accipit, effundit Olea iunctim super medium mensae in longitudinem, nullam proferens formulam; traditis Diacono ampullis, palma dexterae manus expandit et illinit Olea sacra super totam mensam diffundens ea prius versus partem posteriorem dein versus anteriorem, ita ut sacris Oleis tota mensa illita sit; quo facto, annulum dimittit, manus lavat et abstergit, annulumque recipit, postea intonat Antiphonam: *Ecce odor* etc. Decantato ultimo Versu Psalmi 86: *Fundamenta etc.,* scilicet: *Sicut laetantium* etc., Episcopus immediate recitat: *Lapidem hunc, fratres carissimi* etc., dein intonat Antiphonam: *Lapides pre-*

tiosi etc.; qua intonata, baculum accipit, de Altari descendit et accedit ad scalam ante primam Crucem inungendam; quo cum pervenerit, baculum dimittit, ascendit, intingit dexterum pollicem in s. Chrismate, unam unctionem super Crucem efficit in longitudinem et in latitudinem ad verbum: *Sancti ^ficetur,* et ad alterum verbum: *Conse* ✠ *cretur,* proferens verba: *In nomine Pa* ✠ *tris* etc., triplex Crucis signum super eam producit, ac postea pollicem gossypio abstergit, descendit et, conversus ad Crucem, imponit ac benedicit incensum. Dimissa mitra, reverentiam Cruci peragit, ac, triplici ductu, eam thurificat, iterum Cruci reverentiam facit, Diacono thuribulum tradit, mitram ac baculum accipit, se confert ad secundam Crucem perungendam, ibique se ut supra gerit et sicut ad reliquas, sed imponit ac benedicit incensum cum opus sit.

2931. — Thurificata ultima Cruce, Episcopus accipit mitram et baculum, procedit ad Altare maius, vel ad Altare dedicandum, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, suppedaneum conscendit, imponit ac benedicit incensum et, intonata Antiphona: *Aedificavit Moyses* etc., thurificat Altare super mensam tantum, nempe in medio a dextris et sinistris suis, ac postea thuribulum Presbytero reddit; completo Antiphonae cantu, immediate recitat: *Dei Patris omnipotentis* etc.; qua invitatione completa, mitram dimittit et, facie cornu Epistolae conversa, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, aspergit incensi grana, dein mitram accipit et quinque granis incensi format Crucem super mediam mensam in ipso unctionis loco et ipsis superimponit Crucem ex gossypio cerato. Idem facit in quatuor angulis in ipsis unctionum locis, servans eumdem ordinem unctionum.

2932. — Si grana incensi non sint levigata, ita ut Crucem ceratam sustinere possint, tunc Episcopus primum ponit Crucem, dein infra ipsam collocat incensi grana; haec est communis praxis plurium locorum: ratio haec commodior et expeditior est atque contraria non est Rubricae Pontificalis Romani.

2933. — Dum Clericus Cruces accendit, Episcopus, accepto baculo, procedit ad Faldistorium, in medio Presbyterio collocatum, ibique Ministro tradit baculum; omnibus Crucibus accensis, mitram et pileolum dimittit, genuflectit in Faldistorio et intonat Versiculum: *Alleluia. Veni, sancte Spiritus* etc., omittens *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha.

Absoluto Versiculi cantu, Episcopus pileolum accipit, surgit et consistit dum a Cantoribus canuntur Antiphonae: *Ascendit fumus ttev, Stetit Angelus* etc.; qua ultima Antiphona absoluta, immediate cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Responso: *Arnen,* post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., immediate iterum cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Prolatis verbis: *Spiritus Sancti Deus,* prosequitur in tono Praefationis; qua completa, mitram accipit, suppedaneum ascendit, intonat Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc., intingit pollicem dexterum in sacro Chrismate et stans Crucem signat in media parte anterioris stipitis, dein pollicem abstergit.

Si Crux posita super stipitem sit metallica, Episcopus unctionem facit in modum Crucis extra praedictam Crucem, scilicet supeream, vel sub ea, in ipso stipite. Decantato Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc., cum *Gloria Patri* etc., Episcopus mitram dimittit et dicit: *Oremus. Maiestatem tuam* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit, intingit dexterum pollicem in sacro Chrismate et inungit conjunctiones mensae stipiti, in quatuor angulis, faciens ternas Cruces in singulis angulis dicens tantum: *In nomine Pa^tris, et Fifftlii, et Spiritus © Sancti.* Inungit primum coniunctionem in angulo posteriori cornu Evangelii, dein in anteriori eiusdem cornu ac postea in angulo posteriori cornu Epistolae, tandem in angulo anteriori eiusdem cornu; quibus unctionibus peractis, Episcopus abstergit pollicem gossypio, de Altari descendit, mitram dimittit et ante eiusdem Altaris gradum dicit: *Oremus. Supplices te deprecamur* etc. Oratione completa, Episcopus mitram et baculum accipit; si Ordinarius, et Thronus erectus sit, ad Thronum procedit, ibique baculum Ministro tradit manusque lavat et abstergit; si vero Ordinarius non sit, tunc procedit ad Faldistorium in cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum collocatum.

2934. — Ad nutum Caercmoniarii, Episcopus accipit baculum et procedit ad abacum; baculo Ministro tradito et mitra dimissa, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., ut in Pontificali Romano. Absoluta Oratione: *Omnipotens, et misericors Deus* etc., aspergit Altaris ornamenta, deinde mitram et baculum accipit, revertitur ad Thronum, vel ad Faldistorium, sedet et baculum Ministro tradit.

Innuente Caeremoniario, surgit et, ad Altare conversus, intonat Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc.

Altaribus ornatis, Episcopus sedet vel in Throno, vel in Faldistorio, imponit et benedicit incensum, surgit; accepto baculo, procedit ante infimum Altaris gradum, Ministro baculum tradit, di-

missa mitra et reverentia Cruci facta, suppedaneum conscendit, intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc., dein, accepto thuribulo, Crucem super mensam efficit; tum iterum intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc., rursus thurificat in modum Crucis super mensam: itemque tertia vice Antiphonam intonat et thurificat eodem modo mensam, ac postea Diacono thuribulum tradit; quo facto, cantat: *Oremus. Descendat* etc., dein *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, Altare hoc nomini* etc.; qua Oratione completa, cantat: *Dominus vobiscum,* et: *Benedicamus Domino.*

2935. — Responso: *Deo gratias,*

I. - Si Episcopus Ordinarius sit et:

a) Missam non celebret, nec Missae solemni assistat, mitram accipit, si uti Cruce nequit, Altare ascendit et benedictionem solemnem, consueto ritu, impertit atque Indulgentiam ut in Pontificali Romano concedit (v. n. 2913); dein procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium, paramenta dimittit, reassumit capparn, vel mozzettam ac Crucem pectoralem et Missae assistit vel in Faldistorio vel in genuflexorio.

b) Missam sine cantu celebret, mitram et baculum accipit, se ad Faldistorium in cornu Epistolae, ante infimum Altaris gradum collocatum, confert, baculum Ministro tradit, sedet et legit Psalmos praeparationis Missae; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus sit, recitat: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit, assumit planctam tantum, non vero omnia paramenta pontificalia (D. 3437 ad 1), et procedit ad Altare, medius inter Assistentes. In fine Missae impertit benedictionem pontificalem (D. 3729 ad 9), scilicet cum mitra, si uti Cruce nequit, et baculo, quamvis in Missae celebratione eis non usus fuerit, dein publicatur Indulgentia a primo Assistente.

c) Missam pontificalem celebret, mitram et baculum accipit, ad Thronum procedit, Ministro baculum tradit, sedet; dum accipti caligas et sandalia, legit Psalmos in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., se ut supra gerit, sed ante manuum lotionem dimittit annulum; lotis et abstersis manibus, mitram et pluviale dimittit, dein se gerit ut in aliis Missis pontificalibus post cantum Horae Tertiae (v. Part. HI, Cap. I, Art. II); si uti potest s. Pallio, illud assumit.

d) Missae solemni assistat, tunc in eodem loco consistens incipit Confessionem et se gerit ut in Art. II Cap. III Part. III.

II. - Si Ordinarius non sit et:

a) Missam sine cantu celebret, se gerit ut supra diximus de Episcopo Ordinario.

b) Missam pontificalem celebret, accipit mitram et baculum et procedit ad Faldistorium in cornu Epistolae, ante infimum Altaris gradum collocatum, ibique Ministro baculum pastoralem tradit, sedet; dum caligas et sandalia accipit, legit Psalmos in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus sit, recitat: *Kyrie, eleison* etc.,Versiculos et Orationes; quibus completis, annulum dimittit, manus lavat et abstergit, dimittit mitram ac pluviale, assumit tunicellam, dalmaticam, planctam et mitram atque annulum accipit. Ad nutum Caeremoniarii, baculum pastoralem etiam accipit, et procedit ad Altare se gerens ut diximus de Episcopo Ordinario in Art. III Cap. VII Part. III (omissis quae respiciunt praesentiam Emi. Cardinalis), nam utitur baculo pastorali et in fine Missae concedit Indulgentiam ut in Pontificali Romano.

c) Missae solemni, vel lectae assistat, procedit ad Faldistorium, ubi paramenta dimittit, reassumit mantellettum et Crucem pectoralem ac postea se confert ad genuflexorium.

Articulus IV.

De Ministris sacris in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2936. — Dum Episcopus accedit ad Ecclesiam dedicandam, Ministri sacri se conferunt ad Sacellum in quo Sanctorum Reliquiae expositae sunt, et in Sacristia, vel decenti cubiculo assumunt amictum, albam, cingulum, Diaconus accipit etiam stolam albi coloris, dein procedunt ad Sacellum et apud Faldistorium sedent in scamnis, tecto capite.

Quum Episcopus pervenerit, surgunt, detecto capite, et se ei inclinant, vel genuflectunt. Postquam Episcopus in Faldistorio sederit, Diaconus aufert ei Crucem pectoralem, Subdiaconus mozzettam, vel mantellettum, dein Diaconus accipit a Caeremoniario paramenta eisque, adiuvante Subdiacono, Episcopum induit; accepto ab

Episcopo baculo, ambo legunt cum eodem Episcopo Psalmos Poenitentiales prosequentes in recitatione cum Clero.

2937. — Repetita a solo Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., ambo surgunt et, sustinentes pluvialis fimbrias Episcopi, procedunt ad praecipuam portam Ecclesiae dedicandae; quo cum pervenerint, tradito ab Episcopo baculo Ministro, Diaconus ei mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Actiones nostras* etc., dein ambo genuflectunt ad Faldistorii latera.

Decantato a Cantoribus Versiculo: *Propitius esto,* et responso: *Exaudi nos, Domine,* ambo surgunt cum Episcopo, et sustinent eius pluvialis fimbrias. Post salis Exorcismum, Diaconus aufert Episcopo mitram, quam reponit, absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc. Completo aquae Exorcismo, iterum Diaconus mitram Episcopo aufert; post Orationem: *Deus, qui ad salutem* etc., tradit Episcopo lancem cum sale et, ab eo recepta, porrigit eidem mantile ad abstergendam manum. Postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc., Diaconus imponit ei mitram, dein ambo procedunt cum Episcopo ad portam Ecclesiae, ibique Diaconus, dimisso ab Episcopo baculo, aufert ei mitram eidemque porrigit aspersorium, Subdiaconus ab Acolytho accipit tabellam eamque ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Asperges me* etc., deinde Acolytho tabellam tradit. Ambo stantes inclinati aspersionem accipiunt.

Omnibus aspersis, Episcopo Diaconus mitram imponit et, incepto Responsorio: *Fundata est,* aspersorium Episcopo porrigit, Subdiaconus accipit tabulam; ambo comitantur Episcopum in aspersione, sustinentes eius pluvialis fimbrias.

Quum reversi fuerint ante Ecclesiae portam, Subdiaconus tradit Acolytho tabellam, Diaconus recipit ab Episcopo aspersorium, eique mitram aufert. Decantato ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus genuflectens cantat: *Flectamus genua* et Subdiaconus surgens cantat: *Levate,* et se gerunt postea in simili casu quod brevitatis causa nuntiabimus tantum verbis: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit; ambo cum Episcopo procedunt ad Ecclesiae portam, Subdiaconus accipit tabellam quam reddit Acolytho prolatis ab Episcopo verbis: *Dominus... in proelio* et statim aliam tabulam accipit. Incepto a Cantoribus Responsorio: *Benedic, Domine* etc., Diaconus porrigit Episcopo aspersorium; ambo comitantur, ut supra, Episcopum in aspersione. Completo circuitu,

Diaconus recipit ab Episcopo aspersorium et aufert ei mitram, Subdiaconus tabellam Acolytho tradit. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium* etc. absoluta, Diaconus imponit Episcopo mitram; ambo cum Episcopo procedunt ad Ecclesiae portam; Subdiaconus accipit tabulam et se ut supra gerit. Incepto a Cantoribus Responsorio: *Tu Domine etc.*, Diaconus porrigit aspersorium Episcopo; ambo in aspersione eum comitantur. Expleto circuitu, Diaconus ab Episcopo aspersorium recipit eique mitram aufert, Subdiaconus tabellam tradit Acolytho. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Omnipotens et misericors Deus* etc., Diaconus imponit Episcopo mitram; ambo cum Episcopo procedunt ad Ecclesiae portam, Subdiaconus accipit ab Acolytho tabulam.

2938. — Postquam Episcopus tertio Ecclesiae ostium percusserit et Diaconus custos dixerit: *Quis est iste Rex gloriae?,* ambo cum Episcopo respondent: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae,* et immediate subiungunt: *Aperite. Aperite. Aperite.* Facto ab Episcopo Crucis signo baculo pastorali in limine Ecclesiae, cum eo ingrediuntur et consistunt in latere correspondente Evangelii cornu; Subdiaconus tradit Acolytho tabulam. Omnibus Clericis ingressis, procedunt cum Episcopo ad Faldistorium, ibique sistunt facie ad Altare versa.

Absoluto cantu Antiphonae: *Zachaee, festinans* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert, dein ambo genuflectunt ad Faldistorii latera; Diaconus aufert Episcopo pileolum, quem ei imponit absoluta prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., dein ambo surgunt. Postquam Hymnus decantatus fuerit, Diaconus imponit Episcopo mitram, dein ambo iterum genuflectunt ad latera Faldistorii.

Post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., ambo cum Episcopo surgunt et sustinent eius pluvialis fimbrias; iterum genuflectunt postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Ecclesiam* etc.

2939. — Completis Litaniis, ambo cum Episcopo surgunt et Diaconus mitram ei aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Magnificare, Domine* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit, dein ambo, sustinentes eius pluvialis fimbrias, procedunt versus latus sinistrum portae. Signato ab Episcopo Alphabeto graeco et latino, procedunt cum eodem Episcopo versus Altare maius, ibique Diaconus mitram ei aufert. Ambo genuflectunt et assurgunt quando Episcopus genuflectit et assurgit. Responso a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit, quam

aufert post salis Exorcismum. Absoluta Oratione: *Domine Deus* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit, eique aufert post aquae Exorcismum. Post Orationem: *Domine Iesu Christe, qui in Cana* etc., Diaconus porrigit Episcopo ampullam vini; qua recepta et absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., mitram Episcopo imponit. Prolatis verbis: *stabilitas parietum,* **ambo** procedunt cum Episcopo ad Ecclesiae portam. Secunda parte Orationis: *Sanctificare* etc. completa, ad Altare revertuntur cum Episcopo; absoluta Oratione: *Deum Patrem omnipotentem* etc., cum eodem Episcopo suppedaneum conscendunt. **Subdiaconus** accipit ab Acolytho tabulam quam ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc. et dum aspersiones peragit. Intonata ab Episcopo Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* **etc., Diaconus** accipit vasculum aquae sacratae.

Quinque aspersionibus completis, **Diaconus** tradit Clerico vasculum et **Subdiaconus** Acolytho tradit tabulam. Absoluto Psalmo 42: *Indica me, Deus* etc., **Diaconus** Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Singulare illud* etc. Subdiaconus tabellam accipit quam Acolytho reddit, intonata Antiphona: *Asperges me* etc. Quum Episcopus in medium Altare revertitur recipit tabulam et ita deinceps se gerit donec Episcopus septies intonaverit Antiphonam: *Asperges me* etc. Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., mitram ei **Diaconus** imponit, deinde ei aspersorium porrigit; ambo sustinent eius pluvialis fimbrias et Episcopum in septem Altaris aspersionibus comitantur; quibus absolutis et decantato a Cantoribus ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere* etc., cum Episcopo procedunt ad parietem retro Altare maius. **Diaconus** Episcopo aspersorium porrigit; **ambo,** sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, comitantur eum in parietum et pavimenti aspersionibus. Asperso pavimento in modum Crucis, revertuntur cum Episcopo in mediam Ecclesiam, ibique **Subdiaconus** accipit tabellam quam sustinet ante Episcopum dum intonat Antiphonam: *Vidit Iacob* etc., ac postea tabulam Acolytho tradit. Aspersione completa, Diaconus recipit aspersorium et Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Deus, qui loca* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Praefationis cantum, Diaconus mitram Episcopo imponit; ambo cum Episcopo procedunt ad Altare, et se conferunt ad abacum; quo cum pervenerint, Diaconus statim mitram Episcopo aufert vel, postquam Episcopus admiscuerit sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfuderit, si id faciendum, **Diaconus** mitram Episcopo reponit, coemento benedicto.

2940. — Ministri sacri, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Sacellum in quo Reliquiae Sanctorum expositae sunt; quo cum pervenerint, Diaconus priusquam Episcopus ingrediatur, aufert ei mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Aufer a nobis* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit, quam aufert post Psalmum 94: *Venite, exultemus* etc., vel post cantum Antiphonae congruentis. *Oremus. Flectamus genua. Levait,* Oratione: *Fac nos, quaesumus Domine* etc. absoluta, Diaconus Episcopo mitram imponit et ministrat incensum, more solito. Innuente Caeremoniario, **ambo** incedunt ad Episcopi latera, sustinentes eius pluvialis fimbrias. Quum Processio ante Ecclesiae portam reversa fuerit, consistunt ad Episcopi latera; si Archidiaconus desit et legenda sint Decreta sacrosancti Concilii Tridentini, post Episcopi sermonem, si habendus, **Diaconus,** elata voce, Decreta legit luxta communem praxim haec lectio omittitur. Completo cantu Responsorii: *Erit mihi Dominus* etc., ante Ecclesiae portam, **Diaconus** Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Domum tuam* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit.*

Postquam Episcopus signaverit sacro Chrismate in modum Crucis stipites, **Diaconus et Subdiaconus** cum Episcopo Ecclesiam ingrediuntur et procedunt ad Altare; dum a Cantoribus repetitur Antiphona: *Exultabunt* etc., suppedaneum conscendunt. Repetita Antiphona, Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., ac postea accipit vasculum sacri Chrismatis, **Subdiaconus** vero accipit tabulam cum Formula unctionis, quam ante Episcopum sustinet; unctionibus peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus tabellam, dein **Diaconus** mitram Episcopo aufert; **ambo** cum Episcopo versus populum se convertunt et Diaconus aperit Urnam in quo exstant sacrae Reliquiae; quibus ab Episcopo acceptis, ambo se ad Altare convertunt. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabellam eamque ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., ac postea tabulam Acolytho porrigit.

Postquam Episcopus in sepulcrum sacras Reliquias reposuerit, Diaconus ministrat ei incensum, ac postea thuribulum. Sacris Reliquiis thurificatis, Diaconus imponit Episcopo mitram, accipit vasculum sacri Chrismatis et sustinet lapidem parvi sepulcri; Subdiaconus accipit tabulam cum formula unctionis et sustinet eam ante Episcopum et postquam ille intonaverit Antiphonam; *Sub Altare Dei audivi* etc. Acolytho tabulam tradit.

Deposito super Altare lapide et tradito Clerico vasculo, Diaconus accipit trullam cum coemento et porrigit eam Episcopo, dein eidem sepulcri operculum tradit. Tradita Clerico trulla et absoluta a Cantoribus Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., et accipit vasculum sacri Chrismatis et Subdiaconus accipit tabellam.

Unctionibus ab Episcopo peractis, Subdiaconus tradit Acolytho tabellam et ab eodem accipit tabellam aliam quam reddit, thure benedicto; statim aliam tabellam accipit eamque eidem Acolytho tradit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Stetit Angulus* etc.; Diaconus tradit Clerico vasculum sacri Chrismatis, ministrat incensum, ac postea Episcopo aufert mitram quam reponit, intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc., dein ministrat thuribulum et, post Altaris mensae thurificationem, aufert Episcopo mitram, quam reponit post Orationem: *Dirigatur* etc., dein ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium, vel ad Thronum.

Ad nutum Caercmoniarii, Diaconus ministrat incensum, dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet, dein cum Episcopo ambo ad Altare revertuntur et suppedaneum conscendunt; Diaconus Episcopo thuribulum porrigit.

2941. — Thurificato Altari, iterum Diaconus incensum ministrat, dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet; thure benedicto, tabellam Acolytho tradit et ab eodem tabellam accipit, et, postquam Episcopus intonaverit Responsorium: *Dirigatur* etc., Diaconus thuribulum eidem porrigit, Subdiaconus tabellam Acolytho tradit. Altari thurificato, Diaconus non recipit ab Episcopo thuribulum, «sed aliquantulum recedit ut Episcopus Sacerdoti, qui thurificationem, prosequi debet, thuribulum tradat; tunc Diaconus accipit vasculum Olei Catechumenorum, Subdiaconus vero tabellam accipit quam reddit Acolytho, intonata Antiphona: *Erexit* etc., dein accipit tabellam cum formula unctionis et ambo se gerunt ut alias.

Quinque unctionibus peractis, Diaconus et Subdiaconus ad incensi impositionem et benedictionem, ad intonationem Responsorii: *Dirigatur* etc., nec non ad Altaris thurificationem se ut supra gerunt. Absoluto cantu Responsorii: *Dirigatur* etc., Diaconus aufert Episcopo mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata ab Episcopo Antiphona: *Alane surgens* etc., Diaconus imponit ei mitram, accipit vasculum Olei Catechumenorum, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis.

Peractis unctionibus, Diaconus et Subdiaconus ad incensi impositionem et benedictionem et ad reliqua se gerunt ut supra diximus. Diaconus, postquam decantatum fuerit Responsorium: *Dirigatur* etc., Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata ab Episcopo Antiphona: *Unxit te* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit et accipit vasculum sacri Chrismatis, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis.

Unctionibus peractis, Diaconus et Subdiaconus ad impositionem et benedictionem incensi, et ad reliqua se gerunt ut supra notavimus. Completo cantu Responsorii: *Dirigatur* etc., Diaconus mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Sanctificavit* etc., Diaconus mitram ei imponit, dein eidem porrigit ampullam sacri Chrismatis et ampullam Olei Catechumenorum; receptas ampullas, Diaconus Clerico tradit. Cum Episcopus illinit sacra Olea super totam mensam, ambo sustinent elatum eius pluviale. Post mensae unctionem, Diaconus educit annulum Episcopo, dein mantile ministrat ac postea annulum inducit. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabellam quam eidem reddit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Ecu odor* etc.

2942. — Intonata Antiphona: *Lapides pretiosi* etc., ambo procedunt cum Episcopo ad scalam ante primam Crucem inungendam. Si planum superius scalae sit amplum, Ministri cum Episcopo conscendunt, Diaconus sustinet vasculum sacri Chrismatis et Subdiaconus sustinet tabellam cum formula unctionis. Diaconus abstergit unctionem super parietem, si tamen Oleum per murum defluat (D. 3729 ad 4).

Si vero planum superius scalae amplum non sit, Ministri consistunt ad latera eiusdem scalae. Postquam Episcopus descenderit, Diaconus ministrat incensum, mitram ei aufert ac porrigit thuribulum; Cruce thurificata, mitram Episcopo imponit ac postea ambo procedunt cum eodem Episcopo ad secundam Crucem et se ut supra gerunt et ita deinceps, sed Diaconus incensum ministrat, cum opus sit.

Ultima Cruce thurificata, Diaconus imponit Episcopo mitram; ambo procedunt cum Episcopo ad Altare, suppedaneum conscendunt, Diaconus ministrat incensum.

Post invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert; completa Oratione: *Domine Deus omnipotens* etc., porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto, im-

ponit mitram, dein eidem porrigit Cruces e gossypio cerato, ac postea ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium in medio Presbyterio collocatum. Omnibus Crucibus accensis, Diaconus aufert Episcopo mitram ac pileolum; ambo genuflectunt ad Faldistorii latera et, absoluto cantu Versiculi: *Veni, sancte Spiritus* etc., Diaconus pileolum Episcopo reponit, dein ambo surgunt. Completa Antiphona: *Stetit Angelus* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Domine sancte, Pater* etc., iterum: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Praefationis cantum Diaconus mitram Episcopo imponit; ambo cum Episcopo suppedaneum conscendunt et intonata ab eodem Episcopo Antiphona: *Confirma* etc., Diaconus accipit vasculum sacri Chrismatis quod Ministro reddit postquam Episcopus Crucem signaverit; Episcopo mitram aufert, decantato Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc., cum *Gloria* etc., quam iterum imponit post Orationem: *Maiestatem tuam* etc., et accipit vasculum sacri Chrismatis, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis.

Unctionibus absolutis, Diaconus tradit Clerico vasculum, Subdiaconus porrigit Acolytho tabellam, dein ambo cum Episcopo de Altari descendunt et Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc., ambo cum Episcopo procedunt ad Thronum vel ad Faldistorium; Diaconus, ad nutum Caeremoniarii, Episcopo mitram aufert et post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., porrigit ei aspersorium; quo recepto, Episcopo sedenti mitram imponit.

Altaribus ornatis, Diaconus ministrat incensum; ambo cum Episcopo ad Altare procedunt, ante cuius infimum gradum, Diaconus Episcopo mitram aufert; ambo, reverentia vel genuflexione Cruci facta, suppedaneum conscendunt, Subdiaconus accipit tabellam eamque ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc.; tertia vice intonata Antiphona ab Episcopo, Subdiaconus porrigit tabellam Acolytho. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Omnis terra* etc., Diaconus porrigit ei thuribulum, quod recipit postquam Episcopus, tertia vice intonata Antiphona: *Omnis terra* etc., Altare thurificaverit super mensam in modum Crucis.

2943. — Responso a Choro: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,*

I. - Si Episcopus Ordinarius sit, et:

a) Missam non celebret nec Missae solemni assistat, mitram ei Diaconus imponit, si uti Cruce nequit; benedictione impertita,

Diaconus Indulgentiam publicat (v. n. 2913), dein mitram ei imponit si uti Cruce potest, ac postea ambo procedunt ad Thronum, vel ad Faldistorium; quo cum pervenerint, Diaconus Episcopo sedenti mitram aufert et, adiuvante Subdiacono, illum paramentis exuit, Reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, ambo se ei inclinant, vel genuflectunt, et in Sacristiam se conferunt.

b) Missam sine cantu celebret, mitram ei Diaconus imponit ac postea ambo cum eo ad Faldistorium procedunt; quo cum pervenerint, se ei inclinant, vel genuflectunt, et ad Sacristiam se conferunt.

t) Missam pontificalem celebret, mitram ei Diaconus imponit; ambo ad Thronum procedunt; quo cum pervenerint, Episcopo se inclinant, vel genuflectunt, et ad Sacristiam procedunt, ubi Diaconus assumit dalmaticarn et Subdiaconus tunicellam; statimque ad Altare revertuntur, Subdiaconus sumit ex abaco caligas ac sandalia, ad Thronum pergit et se gerit ut in Missa pontificali ad cantum Horae Tertiae (v. Part. III, Cap. I, Art. VI). In reliquis ambo se gerunt respective ut in Art. V et VI Cap. I Partis III.

d) Missae solemni assistat, se Episcopo ambo inclinant vel genuflectunt et ad Sacristiam pergunt.

II. - Si Ordinarius non sit, et:

a) Missam sine cantu celebret, ut supra ambo se gerunt, sed Episcopo se inclinant tantum.

b) Missam pontificalem celebret, ei mitram Diaconus imponit; ambo cum eo procedunt ad Faldistorium; quo cum pervenerint, se ei inclinant, ad Sacristiam pergunt, ubi Diaconus assumit dalmaticarn et Subdiaconus tunicellam; statimque ad Altare revertuntur, Subdiaconus sumit ex abaco caligas ac sandalia, ad Faldistorium pergit et se gerit ut sub n. 1028. In reliquis ambo se gerunt respective ut in Art. V et VI Cap. VII Partis III, omissis quae respiciunt praesentiam Emi. Cardinalis.

c) Missae solemni, vel lectae, assistat, mitram ei Diaconus imponit; ambo procedunt ad Faldistorium et se ut supra gerunt.

Articulus V.

De Archidiacono, de quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis, de Presbytero Altare thurificaturo deque Diacono Ecclesiae dedicandae custode in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2944. — I. - De Archidiacono. — Archidiaconus aliis de Clero se conformat. Si legenda sunt Decreta sacrosancti Concilii Tridentini, ut in Pontificali Romano, postquam Episcopus sermonem habuerit ad Ecclesiae ianuam, Archidiaconus, consistens ad Diaconi dexteram, ea, elata voce, legit.

II. - De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis. — Absoluta Oratione: *Deus sanctificationum* etc., quatuor Presbyteri, iam designati, Acolytho invitante, procedunt ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt, et ad Sacristiam se conferunt ubi assumunt amictum, albam, cingulum ac planetam.

Quum Episcopus ad Sacellum pervenerit, procedunt ad Altare; sistunt duo in cornu Evangelii, duo in cornu Epistolae. Intonata ab Episcopo Antiphona: *Cum iucunditate* etc., sumunt Feretrum et ad Ecclesiam dedicandam procedunt, cuius circuitu completo, deponunt Feretrum super mensam, ad sinistram portae, ac sistunt in lateribus.

Postquam Episcopus .unxerit in modum Crucis super stipites, Presbyteri, ad nutum Caeremoniarii, elevant Feretrum; intonata Antiphona: *Ingredimini* etc., procedunt.

Quum ad Altare dedicandum pervenerint, Feretrum deponunt super mensam, in cornu Evangelii, et in lateribus consistunt donec Episcopus inunxerit quatuor angulos parvi sepulcri; tunc Feretrum elevant et suppedaneum conscendunt.

Accepta ab Episcopo Capsula cum SS. Reliquiis, Presbyteri tradunt Feretrum duobus Clericis, de Altari descendunt, se ad Sacristiam conferunt, ubi sacra deponunt paramenta.

III. - De Presbytero Altare thurificaturo.— Presbyter superpelliceo indutus, dum Episcopus, intonato Responsorio: *Dirigatur etc.,* Altare circuit thurificans, accedit ad ipsum Altare; quo thurificato, suppedaneum conscendit, ab ipso Episcopo thuribulum accipit, deoscularis eius manum, dein in planum descendit; procedens per dexteram suam Altare circuit et illud incensat eodem modo quo Chorus incensatur in transeundo.

Si Altare circumiri non possit, Presbyter, accepto thuribulo, descendit, incipit thurificare a medio et procedit versus latus Epistolae, dein a latere Epistolae versus Evangelii latus, ac postea revertitur versus Epistolae latus et sic deinceps.

Dum a Cantoribus repetitur Antiphona: *Erexit* etc., accipit a Thuriferario naviculam, suppedaneum conscendit, praesentat Episcopo thuribulum pro impositione et benedictione incensi. Receptam a Diacono naviculam Thuriferario tradit et, postquam Episcopus intonaverit Responsorium: *Dirigatur* etc., porrigit eidem thuribulum, deosculans eius manum, quod recipit postquam Altare, ut supra, thurificatum fuerit.

Peractis ab Episcopo unctionibus, dum canitur Psalmus 91: *Bonum est* etc., Presbyter accipit a Thuriferario naviculam, iterum ascendit Altare pro incensi administratione et se ut supra gerit. Rursus suppedaneum conscendit et pariter se ut supra gerit, peractis ab Episcopo unctionibus, dum canitur Psalmus 44: *Eructavit* etc.

Quum Episcopus Altare conscendit, peractis unctionibus super duodecim Cruces, Presbyter accipit naviculam a Thuriferario, suppedaneum conscendit, Episcopo thuribulum praesentat pro impositione et benedictione incensi; receptam naviculam a Diacono, Thuriferario tradit. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonanr. *Aedificavit* etc., porrigit eidem thuribulum ut supra; recepto ab Episcopo thuribulo, post mensae thurificationem, descendit in planum et prosequitur Altare thurificare.

Dum Episcopus procedit ad Faldistorium, Crucibus e gossypio cerato accensis, Presbyter tradit thuribulum Thuriferario.

IV. - De Diacono Ecclesiae dedicandae custode. — Diaconus Ecclesiae custos, statuta hora, accedit ad Sacristiam Ecclesiae dedicandae, ubi sumit amictum, albam, cingulum et stolam albi coloris ac postea cum Clero procedit ad excipiendum Episcopum ad Ecclesiae limen.

Egresso Episcopo de Ecclesia, clauditur porta et Diaconus adest ad ipsius portae custodiam.

Quum Episcopus, decantata Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni* etc., postquam a Cantoribus absolutum fuerit Responsorium: *Fundata est* etc., dicit: *Attollite... Rex gloriae,* Diaconus elata voce dicit: *Quis est iste Rex gloriae?* Et ita se gerit post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus* etc., et etiam tertia vice post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc.

Responso a Clero: *Aperite. Aperite. Aperite,* Diaconus aperit portam et Episcopo dicenti: *Pax huic domui,* respondet: *In introitu vestro,* ac postea, genuflexione, vel reverentia, Episcopo peracta, recedit in Sacristiam, ubi sacras vestes deponit.

Articulus VI.

De Caeremoniario primo in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2945. — Caeremoniarius primus, omnibus rite dispositis, cum annunciatur Episcopi adventus signum dat ad eum associandum in Ecclesiae dedicandae limine. Non fit aspersio aquae benedictae. Ad nutum Episcopi, innuit Clerico ut candelas ante Crucem collocatas accendat; quibus accensis, signum dat procedendi ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt.

2946. — Modus procedendi (I, II, III) in aspersione parietum extrinsecus et peragendi (1, 2, 3) aspersiones ipsas.

< III

locus in quo Episcopus super liminare in ostio Crucem signat.

2947. Si ob aliquod loci impedimentum circumiri Ecclesia nequit, aspersiones hae peragendae sunt meliori modo, de reliquis caeremoniis et ritibus praescriptis nil omittendum est (D. 3852). Quando vero nec preces, nec aspersiones extra Ecclesiam fieri possunt recurrendum est ad Sanctam Sedem (D. 3687 ad 1).

2948. — Modus procedendi (I, II, III) in aspersione parietum interius et peragendi (1, 2, 3) ipsas aspersiones.

: I

m–>

2949. — Modus procedendi in pavimenti aspersione.

2950. — Clauso et firmato lapide parvi sepulcri, curet Caeremoniarius ut ab Altari removeantur quae ad sepulcrum claudendum opus fuerant.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Dirigatur oratio nostra* etc., praemoneat duos Clericos ut colligant spongiis aquam sacratam quae in Altari supererit, ipsumque Altare abstergant et mantilibus e tela rudi exsiccent. Curet etiam Caeremoniarius ut gossypium quo Episcopus absterserit unctiones et pollicem in concha ponatur.

Absterso Altari, Caeremoniarius innuit Episcopo ut imponat et benedicat incensum atque ad Altare redeat.

Decantata ab Episcopo Oratione: *Descendat, quaesumus* etc., Caeremoniarius praemoneat Ministros sacros ut elatum sustineant pluviale Episcopi dum ille expandit et illinit Olea sacra super mensam.

Crucium in parietibus unctio incipere debet a parte Evangelii (D. 3729 ad 5).

2951. — Dispositio dum Episcopus Cruces parietum inungit.

Th.

M.b. M.C. ML

2952. — Si cum Episcopo locus non esset Ministris sacris ascendendi scalam, Caeremoniarius saltem ascendat, et ab eo, hoc in casu, Cruces abstergantur quatenus Oleum sanctum per murum defluat (D. 3729 ad 4).

Si Ecclesiae dedicatio fiat inter Dominicam Septuagesimae et Festum Paschae omittitur: *Alleluia* ante Versiculum: *Veni, sancte Spiritus* etc.

Post Orationem: *Domine sancte, Pater omnipotens* etc., statim Episcopus subiungit: *Oremus,* et, responso a Subdiacono: *Levate,* dicit Orationem: *Deus omnipotens* etc., et Praefationem.

2953. — Missa celebratur de Communi Dedicationis Ecclesiae ad modum votivae solemnis *pro re gravi* et in ea sub unica conclusione cum prima Oratione, additur Commemoratio Mysterii, vel Sancti in cuius honorem Ecclesia dedicatur.

Haec tamen Missa prohibetur:

I. - In Duplicibus primae classis Domini primariis universalis Ecclesiae, scilicet: in Nativitate Domini; in Epiphania; in Dominica Resurrectionis et in duobus sequentibus diebus; in Ascensione Domini; in Festo Pentecostes et in duobus sequentibus diebus; in Festo SS. Trinitatis; in Festo Ssmi Corporis Christi; in Festo Sacratissimi Cordis Iesu et in Festo D. N. I. C. Regis.

II. - In Dominica Palmarum.

Quibus diebus Commemoratio tantum Dedicationis et Titularis additur in Missa diei sub unica conclusione.

Ut rite et expedite Ritus Ecclesiae dedicationis persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis, schematica forma redactum, sub n. 2970.

Articulus VII.

De Caeremoniario secundo in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2954. — Caeremoniarius secundus, statuta hora, accedit ad Sacristiam Sacelli in quo expositae sunt SS. Reliquiae; omnibus rite dispositis, invitat Diaconum et Subdiaconum ad sumendas sacras vestes, dein ducit eos ad Sacellum.

Quum Episcopus pervenerit, Caeremoniarius distribuit Clericis paramenta episcopalia.

2955. — Ordo Processionis ad Ecclesiam dedicandam:

1. Crucifer, medius inter Clericos intorticia deferentes;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Episcopus, medius inter Diaconum et Subdiaconum;
5. Ministri mitrae et baculi;
6. Ministri libri et candelae.

2956. — Dispositio ad Ecclesiae portam in initio Functionis.

2957. — Dum Litaniae Sanctorum canuntur, Caeremoniarius innuit Clericis ut spargant cineres super pavimentum describentes duas lineas, quae se intersecant, a quatuor angulis Ecclesiae.

In Processione ad Sacellum in quo Sanctorum Reliquiae expositae sunt servetur idem ordo ut supra.

2958. — Ordo Processionis SS. Reliquiarum ad Ecclesiam dedicandam:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios intorticia deferentes;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Episcopus, medius inter Diaconum et Subdiaconum;
5. Ministri mitrae et baculi;
6. Ministri libri et candelae;
7. Thuriferarius;
8. Sacerdotes deferentes Feretrum Sacrarum Reliquiarum;
9. Clerici deferentes intorticia, circa Feretrum.

2959. — Quum Processio pervenerit ad portam praecipuam Ecclesiae, Cantores, duobus exceptis, subsistunt prope eamdem portam et Processio circumit Ecclesiam initium faciens a dextris eiusdem portae.

Si ob aliquod impedimentum circuitio fieri nequit, Caeremoniarius, de Episcopi consensu, se gerit meliori modo quo possit.

2960. — Dispositio ad Ecclesiae portam in reversione Processionis cum sacris Reliquiis.

F. S. R. Feretrum Sacr. Reliquiarum. — F. = Faldistorium. legile.

2961. — Dum Episcopus inungit sacro Chrismate quatuor parvi sepulcri angulos, Caeremoniarius innuit Sacerdotibus qui Feretrum SS. Reliquiarum detulerunt ut illud ex abaco sumant et ad Altare deferant; praemoneat Lapidarium ut aquam in coementum infundat et ad Altare accedat.

Reliquiis in parvo sepulcro occlusis, Caeremoniarius innuit Clericis intorticia deferentibus ut ad Sacristiam pergant et Clerico ut exstinguat Cereos collocatos super abacum in quo depositum fuerit Feretrum SS. Reliquiarum.

Dum Episcopus imponit et benedicit incensum, absterso Altari, Caeremoniarius invitat Sacerdotem, cuius officium est Altare adolere, ut accedat ad ipsum Altare. Dum Episcopus effundit et spargit super Altaris mensam de Oleo Catechumenorum et de sacro Chrismate, Caeremoniarius praemoneat Clericum ut ante primam Crucem ungendam collocet scalam.

Curet Caeremoniarius ut, post Orationem: *Supplices (e deprecamur* etc., duo Clerici in sacro ordine constituti diligenter spongiis colligant Olea sacra super Altare, in stipite et in angulis diffusa et illud mantilibus abstergant. Curet etiam ut omnia rite disponantur pro benedictione tobalearum aliorumque Altaris ornamentorum.

Ut rite et expedite Ritus Ecclesiae dedicationis persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis, schematica forma redactum, sub n. 2970.

Articulus VIII.

De Ministris libri et candelae in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2962. — Hi Ministri

accedunt ad Episcopum:

cum ille ad Faldistorium pervenerit in Sacello in quo expositae sunt SS. Reliquiae, et sistunt retro post Faldistorium, facie ad populum versa;

postquam ille acceperit mitram et baculum;

quum pervenerit ad Ecclesiam dedicandam;

singulis vicibus postquam Episcopus compleverit tres circuitus;

genuflexum in Faldistorio in medio Ecclesiae collocato, pro intonatione Hymni: *Veni, Creator* etc.;

decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus defunctis* etc.;

Litaniis absolutis;

ab eodem recedunt:

intonata ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc.;

repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc.;

absoluta Oratione: *Actiones nostras* etc.;

absolutis respectivis Orationibus post Ecclesiae circuitus;

Hymno *Veni, Creator* etc. decantato;

postquam ille tertio dixerit: *Ut ecclesiam, et altare hoc* etc.;

post Orationem: *Magnificare, Domine* etc.;

quum ille pervenerit, signato utroque Alphabeto, ad Altare consecrandum;

pro benedictione salis, aquae, etc.;

signata ab Episcopo Cruce in parte superiori et inferiori portae Ecclesiae;

quum Episcopus ad Altare pervenerit;

absoluto Psalmo 42: *Indica me, Deus* etc.;

aspersionibus super pavimentum peractis;

quum Episcopus ad Altare pervenerit;

priusquam Episcopus ingrediatur Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae;

post ultimum Versum Psalmi 94: *Venite, exaltemus* etc., scilicet: *Ipsi vero non cognoverunt* etc.;

imposito et benedicto thure;

tertio decantato: *Gloria Patri* etc.;

prolatis ab Episcopo verbis:... *stabilitas parietum;*

post Orationem: *Sit positis* etc.;

completa Oratione: *Deum Patrem omnipotentem* etc.;

absoluta Oratione: *Singulare illud* etc.;

post Praefationem;

absoluta Oratione: *Summe Deus* etc.;

absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc.;

completa Oratione: *Fac nos, quaesumus* etc.;

post intonationem Antiphonae: *Cum iucunditate* etc.;

absoluto cantu Responsorii: *Erit mihi Dominus* etc.;

quum Episcopus ad Altare pervenerit;

repetita a Cantoribus Antiphona: *Exultabunt* etc.;

absoluto Antiphonae cantu: *Corpora Sanctorum* etc.;

post cantum: *Stetit Angelus* etc.;

postquam Cantores secundo, tertio et quarto decantaverint Responsorium: *Dirigatur* etc.;

absoluto Psalmo 86: *Fundamenta* etc.;

completo Antiphonae cantu: *Aedificavit* etc.; postquam Episcopus Altare thurificaverit;

accensis omnibus Crucibus e gossypio cerato;

absoluto Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc.;

intonata Antiphona: *Ingredimini, Sancti* etc.;

postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Exultabunt* etc.;

post Orationem: *Deus, qui in omni* etc.;

completa Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc.;

absoluta Oratione: *Dirigatur oratio nostra* etc.;

post intonationem respective Antiphonarum: *Mane surgens ctcc, Unxit* etc.; *Sanctiftcavit* etc.;

intonata Antiphona: *Lapides prctiôsi* etc.;

benedicto thure super Altare cremando;

post intonationem Antiphonae: *Confirma hoc, Deus* etc.;

Caput VII. – De Ecclesiae dedicatione solemn, peragenda

post Orationem: *Maiestatem* etc.;

inunctis conjunctionibus mensae;

completa Oratione: *Supplices te deprecamur* etc.;

lotis et abstersis ab Episcopo manibus, ad Caeremoniarii nutum;

intonata Antiphona: *Circumdate, Levitae* etc.;

thurificato ab Episcopo Altari.

responso a Choro: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* si Episcopus benedictionem impertiat.

Articulus IX.

De Ministris mitrae et baculi in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2963. — Quum Episcopus pervenerit ad Sacellum, in quo Sanctorum Reliquiae expositae sunt, **Ministri** ad Sacristiam eiusdem Sacelli pergunt, ubi vimpam assumunt, postea ad abacum accedunt et a Caeremoniario secundo accipiunt mitram ac baculum.

I. - De Ministro mitrae. — Minister mitram

Diacono porrigit:

ab eo recipit:

sumpto ab Episcopo pluviali;

cum Episcopus pervenerit ad ianuam Ecclesiae dedicandae;

absoluta Oratione: *Actiones nostras* etc.;

post salis Exorcismum;

completa Oratione: *Immensam clementiam* etc.;

aqua exorcizata;

post Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc.;

ante Ecclesiae portam;

post Cleri et adstantiuin aspersionem;

absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco* etc.;

absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium* etc.;

completo Hymno: *Veni, Creator* etc.;

post Orationem: *Magnificare* etc.;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Deus, in adiutorium* etc., *Gloria Patri* etc.;

post Orationem: *Domine Deus, Pater omnipotens* etc.;

absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;

intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;

cum Episcopus pervenerit ad Ecclesiae portam, post prjmam parietum aspersionem;

cum Episcopus pervenerit ad Ecclesiae portam, post secundam aspersionem parietum;

cum Episcopus pervenerit ad Ecclesiae portam, post tertiani aspersionem parietum;

absolutis Litaniis;

cum Episcopus pervenerit ante Altare consecrandum, signato utroque Alphabeto;

absoluto Exorcismo salis;

aqua exorcizata;

postquam Episcopus fecerit aqua sacrata quinque Cruces super Altaris mensam;

decantata Antiphona: *Vidit lacob* etc., postquam Episcopus asperserit pavimentum versus Orientem, Occidentem, Aquilonem et Austrum;

post Praefationem;

cum Episcopus ad Altare consecrandum pervenerit, postquam maltam fecerit;

coemento benedicto;

ad portam Sacelli in quo SS. Reliquiae expositae sunt;

post Orationem : *Aufer a nobis* etc. ;

absoluto Psalmo 94: *Venite, exaltemus* etc.;

completa Oratione: *Fac nos, quaesumus Domine* etc.;

absoluto Responsorio: *Erit mihi Dominus* etc.;

post Orationem: *Domum tuam* etc.;

completo Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc.;

absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc.;

postquam signaverit sepulcrum Altaris in quatuor angulis;

thurificatis sacris Reliquiis;

absoluta a Cantoribus Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc.;

post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc.;

imposito ac benedicto incenso;

intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc.;

decantata Antiphona: *Stetit Angelus* etc.;

post Orationem: *Dirigatur oratiu nostra* etc.;

decantato a Cantoribus Responsorio: *Dirigatur* etc., secundo;

intonata Antiphona: *Mane surgens* etc. ;

decantato a Cantoribus Responsorio: *Dirigatur* etc., tertio;

intonata Antiphona: *Unxit te Deus* etc.;

decantato a Cantoribus Responsorio: *Dirigatur* etc., quarto;

intonata Antiphona: *Sanctificavit* etc.;

imposito ac benedicto thure, postquam Episcopus s. Chrismate primam Crucem parietum unxerit, et ita se gerit deinceps;

thurificata prima Cruce parietum, et ita se gerit post thurificationem singularum Crucium;

ad Altare post invitationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.;

aspersis granis thuris;

cum ad Faldistorium pervenerit;

intonata Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc.;

completo Psalmo 67: *Exurgat* etc.;

post Orationem: *Maiestatcm tuam* etc.;

postquam Episcopus inunxerit in modum Crucis coniunctiones Altaris mensae;

absoluta Oratione: *Supplices te deprecamur* etc.;

cum Episcopus ad abacum pervenerit;

aspersis Altaris ornamentis;

cum Episcopus pervenerit ante infimum Altaris gradum;

responso a Choro: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino;* si vero Episcopus uti Cruce possit et benedictionem impertiat, benedictione impertita.

II. - **De Ministro baculi.**

porrigit Episcopo:	Minister baculum ab eo recipit:
assumptis ab Episcopo paramentis et mitra;	cum pervenerit ad ianuam Ecclesiae dedicandae;
absolutis Litaniis;	post salis Exorcismum;
post Orationem: *Immensam dementiam* etc.;	aqua exorcizata;
absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc.;	ante Ecclesiae portam;
accepta ab Episcopo mitra post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco* etc.;	postquam Episcopus dixerit: *Dominus fortis* etc.;
accepta ab Episcopo mitra post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium* etc.;	postquam Episcopus dixerit: *Dominus fortis* etc.;
accepta ab Episcopo mitra post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc.;	cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit;
decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc.;	postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut ecclesiam et altare hoc* etc.;
in dexteram manum, post Orationem: *Magnificare* etc.;	cum Episcopus pervenerit ante Altare dedicandum, signato utroque Alphabeto;
responso a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc.;	cum ad abacum pervenerit;

absoluta Oratione: *Sanctificare* etc.;

post Orationem: *Sit positis* etc.;

decantato ultimo Versu Psalmi 50: *Miserere* etc.;

septem Altaris aspersionibus absolutis;

post Praefationem;

coemento benedicto;

post Orationem *:Auferanobisetc.* ;

intonata Antiphona: *Cum iucunditate* etc.;

postquam Episcopus signaverit s. Chrismate Cruces incisas in stipitibus;

post Orationem: *Dirigatur oratio nostra* etc.;

imposito ac benedicto thure;

postquam Episcopus signaverit Crucem in parte superiori et inferiori portae;

cum Episcopus pervenerit ad Altare consecrandum;

cum ad parietem retro Altaris maioris pervenerit;

cum ad parietem retro Altaris maioris pervenerit;

cum ad Altare dedicandum pervenerit;

ad portam Sacelli in quo expositae sunt SS. Reliquiae;

cum Episcopus pervenerit ante SS. Reliquias;

absoluto Responsorio: *Erit mihi Dominus* etc., ante portam Ecclesiae;

cum ad Altare consecrandum pervenerit;

cum ad Faldistorium, vel ad Thronum pervenerit;

ante infimum Altaris gradum;

intonata Antiphona: *Lapides pretiosi* etc.;

thurificata Cruce;

thurificata secunda Cruce, et ita deinceps;

dum accenduntur Cruces e gossypio cerato;

absoluta Oratione: *Supplices te deprecamur* etc.;

aspersis Altaris ornamentis;

imposito ac benedicto thure;

responso a Choro: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* si Episcopus benedictionem non impertiat; alias se gerit ut ad benedictionem.

cum pervenerit ad scalam ante primam Crucem parietum;

cum pervenerit ad scalam ante secundam Crucem, et ita deinceps;

thurificata ultima Cruce, cum pervenerit ante infimum Altaris gradum;

cum ad Faldistorium pervenerit;

cum ad abacum pervenerit;

cum ad Thronum, vel ad Faldistorium pervenerit;

cum ante infimum Altaris gradum pervenerit.

Non semper, aliquot de causis, haberi possunt tot Ministri inferiores quot munera huius Ritus, propterea uni Ministro plura assignamus munera et Ministros vocabimus: **Cruciferum, Ceroferarios, Acolythum, Thuriferarium, Ministrum aquae benedictae, Clericum primum et Clericum secundum.**

Articulus X.

De Crucijero deque Ceroferariis in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2964. — Circa finem Psalmi 142: *Domine, exaudi orationem* etc., Crucifer sumit Crucem processionalem et Ceroferarii intorticia acci-

piunt; repetita ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad Ecclesiam dedicandam; quo cum pervenerint, subsistunt ad sinistram partem portae et, completo circuitu, consistunt ut prius. Ad: *Flectamus genua,* non genuflectunt. Dum Cantores incipiunt Responsorium: *Benedic, Domine* etc., se ut supra gerunt et ita cum intonant Responsorium: *Tu, Domine* etc., sed procedunt versus dexterum portae latus; completo circuitu, sistunt ut antea (v. n. 2946).

Ecclesiam ingrediuntur postquam Episcopus ingressus fuerit; consistunt apud Faldistorium ad dexteram Episcopi, facie ad eumdem versa. Ad primam stropham Hymni: *Veni, Creator* etc., non genuflectunt. Absoluta Oratione: *Magnificare* etc., procedunt versus latus sinistrum portae et, dum Episcopus Alphabetum graecum et latinum signat, consistunt e regione eius. Signato utroque Alphabeto, procedunt ad Altare dedicandum et sistunt versus Epistolae latus, facie Episcopo versa. Ad benedictionem aquae, cinerum etc., consistunt, si possibile, e regione Episcopi, alias versus latus eius dexterum.

Lecta ab Episcopo Oratione: *Sanctificare* etc., usque ad verba: *stabilitas parietum,* procedunt ad Ecclesiae portam, ibique consistunt versus latus sinistrum intrantis; absoluta alia Orationis parte, redeunt ad Altare, ibique consistunt versus latus Epistolae ita ut Episcopus videre possit Crucem.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., si commode Altare circumiri possit praecedunt Episcopum, alias in eodem loco consistunt. Asperso septies Altari, Crucifer et Ceroferarii se conferunt ad latus Evangelii Altaris maioris et praecedunt Episcopum aspergentem parietes; cum pervenerint ad locum in quo aspersio initium habuit, subsistunt. Dum Cantores incipiunt Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., procedunt et se ut supra gerunt. Dum Cantores incipiunt Antiphonam: *Qui habitat* etc., Crucifer et Ceroferarii procedunt versus latus Epistolae; completo circuitu, consistunt apud cancellos Altaris maioris, et, intonato a Cantoribus Responsorio: *Domus mea* etc., se convertunt ad portam ac procedunt usque ad eamdem, dein se conferunt ad parietem versus Epistolae latus, circa mediam Ecclesiam, et per transversum procedunt ad alium parietem; dein accedunt ad mediam Ecclesiam ibique consistunt, renibus Altari versis (v. n. 2949).

Completa Praefatione, procedunt ad Altare dedicandum et consistunt, si possibile, e regione Episcopi, alias versus eius dexterum latus. Coemento benedicto, accedunt ad locum in quo Sanctorum

Reliquiae expositae sunt; c|uo cum pervenerint, ante portam subsistunt, renibus portae versis; absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc., Sacellum ingrediuntur et consistunt apud Altaris cancellos.

Intonata Antiphona: *Cum iucunditate* etc., ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad Ecclesiam dedicandam. Quum ante praecipuam portam pervenerint, procedunt versus sinistrum eiusdem latus et circumeunt exterius Ecclesiam; cum pervenerint ad praecipuam portam, subsistunt ad eius sinistram, facie Episcopo versa. Intonata Antiphona: *Ingredimini* etc., Crucifer et Ceroferarii Ecclesiam ingrediuntur, accedunt ad Altare consecrandum et consistunt versus Epistolae latus. Intonato ab Episcopo Responsorio: *Dirigatur* etc., si possibile, praecedunt Episcopum Altare thurificantem et circumeuntem ter, alias eodem consistunt loco et ita se gerunt postquam Episcopus intonaverit Responsorium: *Dirigatur* etc., secundo et tertio, sed, hac vice, unum tantum circuitum perficiunt. Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc. quarto, incipiunt circuire a latere Evangelii.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Lapides pretiosi* etc., **Crucifer** et Ceroferarii procedunt ad primam Crucem, quae adest prope Altare maius in latere Evangelii, et consistunt a dextris scalae (v. n. 2951). Thurificata Cruce, procedunt ad alteram et sic deinceps. Ultima Cruce thurificata, procedunt ad Altare, cuius consecratio perficienda est, et consistunt versus Epistolae latus.

Lotis et abstersis ab Episcopo manibus, **Crucifer et Ceroferarii se** conferunt ante Episcopum, ibique consistunt dum benedicit tobaleas et alia Altarium ornamenta; quibus benedictis, procedunt ad abacum ibique consistunt usque ad: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* vel usque ad publicationem Indulgentiae inclusive, si Episcopus, completo dedicationis Ritu, benedictionem impertiat.

Articulus XI.

De Thuriferario
in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2965. — Absoluta prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., Thuriferarius, nisi super Ecclesiae pavimentum lineae in modum Crucis iam descriptae sint, sumit ex abaco lignea fragmenta ac funiculos et una cum Ministro aquae benedictae procedit ad angulum Ecclesiae versus portam ad sinistram intrantis; quo cum pervenerit, porrigit Ministro fragmentum ligneum. Cum Minister ad oppositum pervenerit angulum, Thuriferarius firmat super pa-

vimentum ligneum fragmentum, dein transit ad angulum versus portam, ad dexteram intrantis, et se ut supra gerit.

Sparsis cineribus super pavimentum, inter funiculos, Thuriferarius sumit e pavimento lignea fragmenta et defert ad Sacristiam.

Intonato Psalmo 94: *Venite, exaltemus* etc., Thuriferarius accedit ad Sacristiam Sacelli in quo expositae sunt SS. Reliquiae, thuribulum ac naviculam accipit et ad Sacellum se confert. Absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus* etc., thuribulum Episcopo praesentat. In Processione praecedit immediate SS. Reliquias. Ad Ecclesiae portam consistit apud sacras Reliquias, ad sinistram Ceroferarii secundi; ad Altare vero consistit pariter apud SS. Reliquias, versus idem Altare.

Postquam Episcopus SS. Reliquias in sepulcro reposuerit, Thuriferarius ascendit suppedaneum et Episcopo praesentat thuribulum; recepta a Diacono navicula, ei tradit thuribulum, quod recipit postquam Episcopus SS. Reliquias thurificaverit et se confert apud abacum.

Dum Episcopus sacro Chrismate conficit unctionem super mensam et parvum sepulcrum, suppedaneum conscendit pro impositione et benedictione incensi; intonata ab Episcopo Antiphona: *Stetit Angelus* etc., thuribulum Diacono tradit a quo recipit, Altari thurificato.

Absterso Altari, ad nutum Caeremoniarii, accedit ad Thronum, vel ad Faldistorium pro incensi impositione et benedictione, dein se confert ad cornu Epistolae; dum Episcopus conscendit suppedaneum, et ipse ascendit atque Diacono thuribulum tradit, a quo recipit postquam Episcopus thurificaverit in modum Crucis in medio et in quatuor angulis mensae statimque thuribulum praesentat Episcopo pro impositione et benedictione incensi. Recepta a Diacono navicula, eidem porrigit thuribulum, quod, thurificato Altari, non recipit.

Dum repetitur a Cantoribus Antiphona: *Erexit* etc., Thuriferarius porrigit Sacerdoti, cuius thurificare est, naviculam, a quo recipit postquam Episcopus imposuerit et benedixerit incensum.

Peractis ab Episcopo unctionibus, dum canitur Psalmus 91: *Bonum est* etc., Thuriferarius iterum porrigit Sacerdoti naviculam eamque ab eo recipit postquam Episcopus imposuerit et benedixerit incensum; et ita se gerit, peractis ab Episcopo unctionibus, dum canitur Psalmus 44: *Eructavit* etc.

Dum canitur Psalmus 86: *Fundamenta* etc., Thuriferarius pergit ad Sacristiam, sumit aliud thuribulum aliamque naviculam

et ad Altare revertitur. Intonata Antiphona: *Lapides pretiosi* etc., procedit ad scalam ante primam Crucem, quae adest prope Altare maius in latere Evangelii, et consistit ad dexteram eiusdem scalae. Postquam Episcopus descenderit, praesentat ei thuribulum pro impositione et benedictione incensi; recepta navicula, Diacono thuribulum tradit a quo recipit, Cruce thurificata, ac postea procedit cum ceteris ad secundam Crucem et se gerit ut supra; sed necesse non est ut post singulas unctiones imponatur et benedicatur incensum. Thurificata ultima Cruce, defert thuribulum in Sacristiam, ac postea ad Altare in quo perficienda est consecratio procedit et porrigit Presbytero Altare thurificanti naviculam, a quo recipit postquam Episcopus imposuerit et benedixerit incensum.

Omnibus Crucibus e gossypio cerato accensis, Thuriferarius accipit a Sacerdote thuribulum et, Altaribus ornatis, illud Episcopo in Faldistorio sedenti praesentat pro impositione et benedictione incensi. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Omnis terra* etc., Diacono thuribulum porrigit et ab eo recipit post Altaris thurificationem, deinde thuribulum et naviculam ad Sacristiam defert.

*

Articulus XII.

De Acolytho
in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2966. — Quum Episcopus sedet in Faldistorio, in media Ecclesia dedicanda, Acolythus, ad nutum Caeremoniarii primi, accendit candelas, ante duodecim Cruces collocatas, dein cum ceteris procedit ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerit, sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali.

Absolutis Litaniis Sanctorum, Acolythus sumit ex abaco lancem cum sale et se confert ad dexteram Diaconi; immisso sale in aquam, reportat lancem super abacum et sumit tabellam signatam n. 1 et n. 2; Subdiacono tradit tabellam signatam n. 1 a quo recipit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Asperges me* etc., dein eidem Subdiacono porrigit tabellam n. 2 signatam. Completo Ecclesiae circuitu, a Subdiacono recipit tabellam eique tradit illam n. 3 signatam, quam recipit prolatis ab Episcopo verbis: *Dominus... in proelio* et tradit illi tabellam signatam n. 4 (quae est eadem n. 2 signata), quam recipit post secundum Ecclesiae circuitum, eique porrigit tabellam signatam n. 5 (quae est eadem signata n. 3)

et eam recipit, prolatis ab Episcopo verbis: *Dominus... in proelio.* Tradit quoque Subdiacono tabellam signatam n. 6 (quae est eadem signata n. 2 et 4) et quando eam recipit porrigit tabellam n. 7 signatam. Prolatis ab Episcopo verbis: *Pax huic domui,* postquam Ecclesiam ingressus fuerit, tabellam recipit. Circa finem Hymni: *Veni, Creator* etc., Acolythus sumit ex abaco tabellas in quibus signatae sunt litterae Alphabeti graeci et latini; Hymno absoluto, se confert ad angulum Ecclesiae versus sinistram portae principalis e regione Episcopi, sustinet tabellam cum littera respondente, quando ipse litteram signaturus sit.

Delineato Alphabeto graeco, tradit tabellas Clerico a quo accipit tabellas Alphabeti latini et se ut supra gerit.

Absoluta ab Episcopo Oratione: *Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi* etc., sumit ex abaco tabellam signatam n. 8 et se confert in cornu Evangelii, suppedaneum conscendit ac tabellam Subdiacono tradit a quo recipit et ad abacum defert, aspersionibus ab Episcopo super mensam peractis, dein ex abaco sumit tabellam signatam n. 9 (quae est eadem signata n. 1), iterumque ad sinistram se confert Subdiaconi cui tabellam tradit et ab eo recipit, intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc.

Quum Episcopus redit in medium Altaris, aspersione peracta, rursus Subdiacono porrigit tabellam et ita deinceps se gerit donec Episcopus septies intonaverit Antiphonam: *Asperges me* etc.

Asperso Ecclesiae pavimento in modum Crucis, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 10 signatam a quo recipit post intonationem Antiphonae: *Vidit Iacob* etc. Absoluta Oratione: *Deus sanctificationum* etc., invitat quatuor Presbyteros, iam designatos, ad Sacristiam Sacelli ut assumant paramenta; invitat quoque Clericos qui intorticia deferre debent eosque praemoneat ut adiuvent Presbyteros in paramentis sumendis.

Dum Episcopus ante Altare dedicandum recitat Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., sumit ex abaco tabellas signatasn.il, 12, 13 et 14. Oratione completa, Subdiacono tradit tabellam n. 11 a quo recipit, unctionibus peractis; eamdem tabulam Subdiacono porrigit, postquam Episcopus conversus fuerit ad Altare cum SS. Reliquiis eamque recipit intonata Antiphona: *Sub Altare Dei sedes* etc.

Postquam Episcopus thurificaverit SS. Reliquias in sepulcro occlusas, porrigit Subdiacono tabellam n. 12 a quo recipit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc. Completa Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., tradit Subdiacono tabulam n. 13, a quo recipit, postquam Episcopus signaverit sacro Chrismate super

tabulam et sepulcrum in modum Crucis et statim porrigit tabellam n. 14 a quo recipit, imposito ac benedicto incenso; dein tradit tabellam n. 15 eamque recipit postquam Episcopus cantaverit: *Stetit Angelus* etc.

Sedente Episcopo in Throno, vel in Faldistorio, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 16 (quae est eadem signata n. 14) eamque recipit post impositionem et benedictionem incensi, deinde se confert ad cornu Evangelii et, postquam Episcopus thurificaverit mensam in medio et in quatuor angulis, tradit Subdiacono tabellam signatam n. 17 (quae est eadem signata n. 14 et 16); qua recepta, porrigit illam signatam n. 18, et, intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., eam recipit. Altari thurificato, Subdiacono tradit tabellam n. 19, eamque recipit, intonata Antiphona: *Erexit Iacob* etc., statimque tradit tabellam n. 20. Peractis unctionibus, Acolythus recipit tabellam n. 20 et porrigit eidem tabellam n. 21 (quae eadem est n. 14 etc.); qua recepta, tradit tabellam n. 22 (quae est eadem signata n. 18) quam recipit, postquam Episcopus intonaverit Responsorium: *Dirigatur* etc.

Intonata Antiphona: *Mane surgens* etc., Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 23 (eadem est n. 20) eamque recipit, unctionibus peractis, et tradit tabellam n. 24 (eadem est n. 14 etc.); qua recepta, statim porrigit tabellam n. 25 (eadem est n. 18 etc.), et eam recipit, intonato Responsorio: *Dirigatur* etc.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Unxit te Deus* etc., Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 26 (eadem est n. 20), quam recipit, unctionibus peractis, deinde porrigit tabellam n. 27 (eadem est n. 14); qua recepta, porrigit tabellam n. 28 (eadem est n. 18); intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., tabellam recipit.

Peruncta tota mensa Oleo Catechumenorum et sacro Chrismate, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 29, eamque recipit post intonationem Antiphonae: *Ecce odor* etc. Intonata Antiphona: *Lapides pretiosi* etc., Acolythus sumit ex abaco tabellam n. 30 et procedit cum ceteris ad primam Crucem; quo cum pervenerit, tabellam tradit Subdiacono, vel Caeremoniario, eamque recipit, unctione Crucis peracta. Quum pervenerit ad secundam Crucem iterum tradit tabellam Subdiacono, vel Caeremoniario, ut supra, et ita deinceps se gerit.

Imposito ac benedicto incenso, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 31, a quo recipit post intonationem Antiphonae: *Aedificavit* etc.

Dum Episcopus format Cruces granis incensi, Acolythus sumit

ex abaco gossypium ceratum et expedite accendit Cruces e gossypio cerato granis superimpositas.

Post Orationem: *Maiestatem tuam* etc. porrigit Subdiacono tabellam n. 32 (eadem est n. 2) eamque recipit postquam Episcopus inunxerit coniunctiones mensae.

Acolythus una cum Ministro aquae benedictae extendit super Altare chrismate et tobaleas; collocatis candelabris cum cereis, candelas accendit.

Quum Episcopus Altare ascendit, decantato Psalmo 62: *Deus, Deus meus* etc., Acolythus et ipse Altare ascendit, Subdiacono tradit tabellam n. 33, a quo recipit postquam Episcopus tertio intonaverit Antiphonam: *Omnis terra* etc.

Articulus XIII.

De Ministro aquae benedictae in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2967. — Minister, aqua ab Episcopo benedicta, extrahit ex concha vasculum unum eiusdem aquae, sumit aspersorium ex hyssopo et accedit ad dexteram Diaconi. Dum Episcopus muros Ecclesiae aspergit, incedit ad dexteram eiusdem Diaconi. Cum opus sit, Minister extrahit ex concha aquam benedictam. Completo tertio circuitu, vasculum cum aspersorio deponit super abacum.

Completa prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., Minister, nisi super Ecclesiae pavimentum lineae in modum Crucis iam descriptae sint, procedit cum Thuriferario ad angulum Ecclesiae versus portam ad sinistram intrantis; quo cum pervenerit, accipit ab eo ligneum fragmentum et se confert ad angulum oppositum Ecclesiae, versus latus Epistolae Altaris maioris, et super pavimentum firmat fragmentum ligneum; deinde se confert ad angulum Ecclesiae versus portam, ad dexteram intrantis, a Thuriferario aliud fragmentum accipit et procedit ad oppositum angulum Ecclesiae, versus latus Evangelii Altaris maioris, et se ut supra gerit.

Sparsis cineribus super pavimentum, inter funiculos, sumit e pavimento lignea fragmenta et ea ad Sacristiam defert.

Postquam Episcopus dixerit Orationem: *Deum Patrem omnipoieil· tem, fratres carissimi* etc., Minister extrahit parvum vasculum aquae sacratae et illud defert ad Altare et consistit ad Diaconi dexteram; aspersionibus ab Episcopo super mensam peractis, effundit in va-

sculo aquam sacratam, deinde vasculum ipsum et aspersorium sumit, ad Altare revertitur et consistit ad dexteram Diaconi et ad eiusdem dexteram etiam incedit, dum Episcopus aspergit Altare, Ecclesiae parietes atque pavimentum.

Aspersionibus peractis, Minister defert ad abacum vasculum cum aspersorio et, postquam Episcopus benedixerit coementum, residuum aquae sacratae effundit ad basim stipitis Altaris. Si vero multa aquae copia supersit, tunc effundit exiguam quantitatem; residuum, completa Functione, in Sacrarium effundit.

Aqua effusa ad basim stipitis Altaris, Minister sumit ex abaco vasculum sacri Chrismatis in lance cum aliquantulo gossypio et procedit cum ceteris ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Absoluta Oratione: *Domum tuam* etc., ante portam Ecclesiae dedicandae, Minister se confert ad dexteram Diaconi eique porrigit vasculum cum sacro Chrismate, a quo recipit postquam Episcopus unxerit stipites in modum Crucis.

Quum Processio ad Altare dedicandum pervenerit, Minister consistit in cornu Epistolae et, absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc., ascendit suppedaneum, tradit vasculum Diacono a quo recipit, postquam Episcopus inunxerit sepulcrum in quatuor angulis, dein descendit in planum; iterumque Altare ascendit, thurificatis SS. Reliquiis, et Diacono vasculum tradit; illud recipit, signato ab Episcopo lapide sepulcri, et in planum descendit.

Recitata Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., rursus suppedaneum conscendit et Diacono vasculum porrigit, a quo recipit postquam Episcopus signaverit mensam ac sepulcrum et illud ad abacum defert.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Erexit* etc., Minister sumit ex abaco vasculum Olei Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossypio, accedit ad dexteram Diaconi cui porrigit vasculum, quod ab eodem recipit, postquam Episcopus signaverit quinque Cruces super mensam; iterum vasculum Diacono tradit, intonata ab Episcopo Antiphona: *Mane surgens* etc. Signatis ab Episcopo aliis quinque Crucibus super mensam, recipit a Diacono vasculum, quod super abacum deponit.

Post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc quod* etc., sumit ex abaco vasculum sacri Chrismatis et illud tradit Diacono, a quo recipit postquam Episcopus signaverit quinque Cruces super mensam, deinde deponit vasculum super abacum ex quo sumit ampullam Olei Catechumenorum et ampullam sacri Chrismatis. Antiphona: *Ecce*

odor etc., ab Episcopo intonata, porrigit ampullas Diacono ac illas recipit postquam Episcopus sacra Olea super mensam effuderit. Dum Episcopus recitat invitationem ad orationem: *Lapidem hunc* etc., sumit ex abaco vasculum sacri Chrismatis et cum ceteris, intonata Antiphona: *Lapides pretiosi* etc., procedit ante primam Crucem parietum, ibique vel Diacono, vel Caeremoniario, tradit vasculum a quo recipit, postquam Episcopus Crucem unxerit; iterumque tradit vasculum Diacono, vel Caeremoniario, cum pervenerit ante secundam Crucem, et ita se gerit deinceps. Quum ad Altare pervenerit, deponit vasculum super abacum et ex eo sumit vasculum aquae benedictae, dum Episcopus recitat Orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc. Aspersis incensi granis, super abacum deponit vasculum.

Intonata ab Episcopo, post Praefationem, Antiphona: *Confirma hoc, Deus etc.,* Minister sumit ex abaco vasculum cum sacro Chrismate et se ad dexteram Diaconi confert. Peractis unctionibus ad coniunctiones mensae, deponit vasculum super abacum ex quo sumit vasculum aquae benedictae et se ad dexteram Diaconi confert, lotis et abstersis ab Episcopo manibus.

Postquam Episcopus asperserit tobaleas et alia Altarium ornamenta, defert vasculum ad abacum, dein cum Acolytho extendit super Altare chrismale et tobaleas ac postea collocat Crucem.

Articulus XIV.

De Clerico primo et secundo deque Clericis intorticia gestaturis in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2968. De Clerico primo et secundo. — Hi Clerici, statuta hora, accedunt ad Sacristiam Sacelli in quo SS. Reliquiae expositae sunt et adiuvant Ministros sacros in sumendis sacris vestibus; ad nutum Caeremoniarii, procedunt cum iisdem Ministris ad Sacellum et apud abacum consistunt.

Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, Clerici a Caeremoniario paramenta accipiunt et se ante Episcopum conferunt.

Quum vero Episcopus, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris etc,* surgit, Clerici transferunt Faldistorium ad portam Ecclesiae dedicandae et illud statuunt, convenienti distantia e regione eiusdem portae.

Litaniis absolutis, transferunt parvam mensam ante Episcopum, dein sumunt concham cum aqua, eamque super mensam collocant.

Aqua benedicta, reportant concham super mensam maiorem et parvani mensam amovent.

Decantata primam stropha Hymni: *Veni, Creator* etc., Clericus primus sumit ex abaco vas cum cinere, alter cribrum et se conferunt ad angulum Ecclesiae ad sinistram intrantis; ibi Clericus secundus accipit cinerem, batillum et in cribrum imponit eum et efficit ut decidat in terram, vel inter lineas signatas, vel inter funiculos; ambo procedunt usque ad angulum Ecclesiae oppositum; deinde se conferunt ad angulum Ecclesiae ad dexteram intrantis et se ut supra gerunt. Ambo, completa Oratione: *Magnificare* etc., amovent Faldistorium de media Ecclesia et illud statuunt congruo in loco apud Altare dedicandum, dein Clericus primus collocat super pavimentum pulvinum longe ab Altari quinque aut sex passus, ac postea ambo cinerem colligunt et in vase illum reponunt.

Postquam Episcopus tertio decantaverit: *Deus, in adiutorium* etc., Clericus primus tollit e pavimento pulvinum ac reponit pristino in loco.

Dum Episcopus Praefationem cantat, Clericus primus et secundus, nisi adsint Clerici intorticia gestaturi, procedunt ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae, ad Sacristiam se conferunt, ibique adiuvant Presbyteros in sumendis sacris paramentis.

In Processione, nisi intorticia deferant, incedunt post Cantores.

Postquam Episcopus sumpserit Capsulam cum SS. Reliquiis, Clerici accipiunt Feretrum de manibus quatuor Presbyterorum illudque in Sacristiam deferunt, ac postea, nisi adsint Clerici qui intorticia detulerunt, adiuvant Presbyteros in deponendis sacris paramentis, deinde ad Altare revertuntur.

Dum Episcopus recitat Orationem: *Dirigatur oratio* etc., nisi Episcopus uti possit Throno et Thronus sit erectus, collocant Faldistorium ante infimum Altaris gradum, versus Epistolae latus, dein sumunt concham et accedunt ad Altare. Positis a Clericis in sacro ordine constitutis spongiis et mantilibus in concha, hanc deferunt apud abacum. Quum Episcopus ad Altare procedit, Clerici amovent Faldistorium.

Dum canitur Psalmus 86: *Fundamenta* etc., Clerici scalam collocant ante Crucem quae adest in pariete post, vel prope, Altare maius, aut in Presbyterio in latere Evangelii. Postquam Episcopus Crucem inunxerit et de scala descenderit, eam transferunt ad secundam Crucem, et ita deinceps. Omnibus Crucibus inunctis, collocant scalam congruo loco.

Dum Episcopus recitat invitationem ad Orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Clericus primus sumit *ex* abaco lancem cum granis

incensi et accedit ad Episcopum; aspersis granis, se confert ad Altare et consistit ad dexteram Diaconi; interim Clericus secundus sumit ex abaco lancem cum Crucibus e gossypio cerato, accedit ad Altare ac consistit ad dexteram Clerici primi.

Postquam Clerici deposuerint lances super abacum, statuunt Faldistorium in medio Presbyterio et ante illud Clericus primus pulvinum collocat.

Combustis candelis et thure, Clericus primus defert ad Altare lancem, alter ligneas spatulas; ambo spatulis colligunt cineres, eradunt ceram ac in lance utrumque ponunt, dein Clericus primus infundit in concham.

Ambo, extensis super Altare tobaleis, collocant candelabra cum cereis.

II. - De Clericis intorticia gestaturis. — Clerici quatuor vel sex post Orationem: *Deus sanctificationum* etc., Acolytho invitante, procedunt ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae et ad Sacristiam se conferunt, ubi adiuvant Presbyteros in sumendis paramentis sacris, dein intorticia accipiunt, procedunt ad Altare. In Processione incedunt ad latera Feretri et ita se disponunt ad Ecclesiae portam atque cum pervenerint ad Altare dedicandum.

Repositis SS. Reliquiis in sepulcro, procedunt ad Sacristiam et Presbyteros adiuvant in deponendis -sacris paramentis.

In defectu Clericorum intorticia deferant pii viri cappa aliave decenti veste chorali induti.

Articulus XV.

De Clero deque Cantoribus in dedicatione seu Ecclesiae consecratione solemniter peragenda.

2969. — Statuta hora, Clerus et Cantores accedunt ad Sacristiam Ecclesiae dedicandae ibique induunt superpelliceum. Ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad portam Ecclesiae. Quum Episcopus pervenerit, si Ordinarius loci, omnes, exceptis Praelatis et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, genuflexionem ei faciunt, alias ei se inclinant. Quum Episcopus in Faldistorio sedet, omnes ad latera eiusdem Faldistorii subsistunt.

Accensis candelis, ad nutum Caeremoniarii, omnes procedunt ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerint, facta brevi oratione, surgente Episcopo, omnes surgunt et

se disponunt pro loci capacitate. Recitata ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., omnes prosequuntur recitare, absque cantu et pausatim, Psalmos Poenitentiales; quorum recitatione completa, Episcopus tantum repetit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc.

In Processione Cantores incedunt immediate post Crucem, dein Clerus bini et ultimo loco, si numerus sit dispar, terni.

Absoluta Oratione: *Actiones nostras* etc., omnes genuflectunt et duo Cantores, innuente Caeremoniario, incipiunt canere Litanias Sanctorum, quibus adstantes respondent, sed non duplicantur et eas prosequuntur usque ad Versiculum: *Propitius esto,* inclusive, dein omnes surgunt.

Completo cantu Antiphonae: *Asperges me* etc., **Cantores** immediate canunt Responsorium: *Fundata est* etc. Ad: *Flectamus genua* omnes genuflectunt et ad: *Levate* surgunt, et ita semper se gerunt in casu simili. Responso ab Episcopo: *Dominus foriis, et potens: Dominus potens in proelio,* **Cantores** statim incipiunt Responsorium: *Benedic, Domine* etc. Completo secundo circuitu Ecclesiae et responso ab Episcopo ut supra: *Dominus* etc., **Cantores** canunt Responsorium: *Tu, Domine* etc. Postquam Diaconus intus dixerit: *Quis est iste Rex gloriae?* omnes cum Episcopo respondent: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Aperite. Aperite. Aperite.*

Clerus et Cantores sequuntur Episcopum Ecclesiam ingredientem et postquam Diaconus Ecclesiae custos dixerit: *In introitu vestro,* omnes respondent: *Arnen;* tum Cantores cantant Antiphonam: *Pax aeterna* etc., et aliam: *Zachaee* etc. Cantores accedunt ad legile, Clerus consistit ad Faldistorii latera. Completo cantu Antiphonae: *Zachaee* etc., omnes genuflectunt, et surgunt, decantata prima stropha Hymni: *Veni, Creator* etc.; iterum genuflectunt, absoluto Hymno, et duo Cantores incipiunt canere Litanias Sanctorum.

Si nomina Sanctorum Martyrum, quorum Reliquiae in Altari clauduntur, et nomen Sancti, in cuius honorem Ecclesia et Altare dedicantur, adsint in Litaniis, repetuntur; si vero eorum nomina in Litaniis non inveniuntur, tunc invocantur bis, iuxta ordinem hierarchicum, ante Versiculum omnibus communem, v. g.: *Omnes Sancti Martyres, Omnes Sancti Pontifices et Confessores* etc.

Si Ecclesia aut Altare dedicatur Beatae Mariae Virgini sub quovis titulo, repetitur Versiculus: *Sancta Maria;* si cuidam Mysterio de vita aut de Passione Christi, repetitur Versiculus: *Fili Redemptor mundi Deus;* si Spiritui Sancto, repetitur Versiculus: *Spiritus Sancte Deus;* si Deo uni ac trino, repetitur Versiculus: *Sancta Trinitas unus Deus.*

Decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Cantores abrumpunt cantum, quem resumunt postquam Episcopus in Faldistorio genuflexerit.

Completis Litaniis, omnes surgunt et Cantores immediate post Orationem: *Magnificare* etc., canunt Antiphonam: *O quam metuendus est* etc.; qua decantata, subiungunt pariter in cantu primum Versiculum Cantici Zachariae: *Benedictus Dominus* etc., dein repetunt Antiphonam in cantu, ac postea subiungunt secundum Versiculum Cantici, et sic deinceps. Decantato: *Gloria Patri* etc., Cantores Antiphonam repetunt, dein canunt: *Sicut erat* etc., iterumque Antiphonam repetunt. Curent Cantores ut *Gloria Patri* etc. decantetur postquam Episcopus signaverit Alphabetum graecum et latinum.

Decantatis ab Episcopo verbis: *Deus, in adiutorium* etc., Cantores respondent: *Domine, ad adiuvandum* etc., et pariter respondent: *Sicut erat* etc.; ad: *Gloria Patri* etc. Id faciunt secundo et tertio efferentes vocem hemitonio singulis vicibus; omnes genuflectunt et surgunt, quando Episcopus genuflectit et surgit.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc., Cantores eam prosequuntur, dein intonant Psalmum 42: *Iudica me, Deus* etc. In fine Psalmi non dicitur: *Gloria Patri* etc. sed repetitur Antiphona.

Intonatam ab Episcopo, post Orationem: *Singulare illud* etc., Antiphonam: *Asperges me* etc. Cantores prosequuntur cum tribus primis Versiculis Psalmi 50: *Miserere* etc.; iterum ab Episcopo intonatam Antiphonam: *Asperges me* etc. prosequuntur cum tribus sequentibus Versiculis Psalmi et ita se gerunt in reliquis aspersionibus, sed post sextam aspersionem, decantata Antiphona: *Asperges me* etc., subiungunt duos ultimos Versiculos Psalmi et non addunt: *Gloria Patri* etc. Completo ab Episcopo septimo circuitu et absoluto ultimo Versiculo Psalmi, Cantores canunt Antiphonam: *Haec est domus Domini* etc., et Psalmum 121: *Laetatus sum* etc., absque: *Gloria Patri* etc.; in fine non repetitur Antiphona.

Reverso Episcopo quo loco incepit primam aspersionem parietum et Psalmo absoluto, Cantores canunt Antiphonam: *Exurgat* etc., et Psalmum 67: *In Ecclesiis benedicite* etc., absque *Gloria Patri* etc.; in fine non repetitur Antiphona.

Absoluto Psalmo et Episcopo reverso quo loco incepit aspersionem, Cantores canunt Antiphonam: *Qui habitat* etc.; et Psalmum 90: *Dicet Domino* etc., absque *Gloria Patri* etc.; in fine non repetitur Antiphona.

Peracta tertia parietum aspersione, **Cantores,** ad nutum Caeremoniarii, canunt tres Antiphonas: *Domus mea* etc.; *Domine, dilexi* etc.; *Non est hic* etc. cum suis Versiculis. Intonatam ab Episcopo Antiplionam: *Vidit Iacob* etc. prosequuntur. Ad Praefationem respondent more solito.

Benedicto coemento, omnes procedunt, ad nutum Caeremoniarii, post Crucem ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; extra Sacellum subsistunt et se distribuunt in duas alas, facie ad invicem conversa. Absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc., Sacellum ingrediuntur. **Cantores** canunt Antiphonas: *O quam gloriosum* **etc.;** *Movete vos* etc.; *Ecce populus* etc.; *Via Sanctorum* etc. cum Psalmo 94: *Venite exultemus* etc., absque *Gloria* etc., vel, omissis omnibus allatis Antiphonis cum Psalmo, cecinunt propriam sive ex Laudibus sive ex Vesperis de Sanctis quorum sunt ipsae Reliquiae, dummodo non contineat verba quae cum die Festi nexum habeant, quo in casu aliam Antiphonam e Festo vel e Communi plurimorum Martyrum canunt.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Cum iucunditate* etc., Cantores eam prosequuntur, dein in Processione canunt alias Antiphonas, ut in Pontificali Romano.

Quum Processio pervenerit ante Ecclesiae portam praecipuam, Cantores, duobus exceptis, subsistunt prope ipsam portam et prosequuntur cantare Antiphonas. **Duo Cantores** in Processione, aequali tono, canunt: *Kyrie, eleison,* **Clericis omnibus et** Fidelibus respondentibus.

Reversa Processione ante Ecclesiae portam, **Clerus** subsistit prope Episcopum.

Ad nutum Caeremoniarii, **Cantores** canunt Responsorium: *Erit mihi Dominus* etc. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Ingredimini* etc. Cantores prosequuntur, dein canunt aliam Antiphonam: *Gaudent in coelis* etc.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Exultabunt* etc., Cantores eam prosequuntur, dein canunt Psalmum 149: *Cantate Domino* etc., et 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc., absque: *Gloria Patri* etc. Post Psalmos repetunt Antiphonam: *Exultabunt* etc. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc. Cantores prosequuntur, pariterque prosequuntur Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi,* postquam ab Episcopo incepta fuerit; qua completa, canunt etiam Antiphonam: *Corpora Sanctorum* etc.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Stetit Angelus* etc. Canlores prosequuntur et ita prosequuntur Responsorium: *Dirigatur* etc.,

postquam ab Episcopo intonatum fuerit. Post intonationem Antiphonae: *Erexit Iacob* etc., Cantores eam prosequuntur cum Psalmo 83: *Quam dilecta* etc., cuius in fine repetitur Antiphona loco: *Gloria Patri* etc., et postquam Episcopus iterum intonaverit Responsorium: *Dirigatur* etc., Cantores illud prosequuntur.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Mane surgens* etc., **Cantores** eam prosequuntur, dein canunt Psalmum 91: *Bonum esi confiteri* etc., absque *Gloria.* Intonatum ab Episcopo Responsorium: *Dirigatur* etc. pariter prosequuntur, itemque prosequuntur Antiphonam: *Unxit te Deus* etc., dein canunt Psalmum 44: *Eructavit* etc., pariter absque *Gloria* etc. Intonatum ab Episcopo Responsorium: *Dirigatur* etc. prosequuntur et similiter prosequuntur Antiphonam: *Sanctificavit* etc., ac postea canunt Psalmum 45: *Deus noster* etc., absque *Gloria Patri* etc. Post vero cantum Antiphonae: *Ecce odor* etc., canunt Psalmum 86: *Fundamenta* etc., absque *Gloria Patri* etc., et post cantum Antiphonae: *Lapides pretiosi* etc., canunt Psalmum 147: *Lauda, Jerusalem* etc., in cuius fine dicitur: *Gloria Patri* etc.

Dum Episcopus inungit Cruces parietum, Cantores prosequuntur canere Responsoria ut in Pontificali. Crucibus e gossypio cerato accensis, prosequuntur intonatum Versum: *Alleluia. Veni, sancit Spiritus* etc. A Dominica Septuagesimae ad Pascha omittitur: *Alleluia* ante Versum. Postquam decantaverint: *Veni, sancte Spiritus* etc., canunt Antiphonas: *Ascendit* etc.; *Stetit Angelus* etc. Ad Praefationem respondent more solito. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc. Cantores prosequuntur, dein canunt Psalmum 67: *Exurgat Deus* etc., in cuius fine dicitur: *Gloria Patri* etc., sed Antiphona non repetitur. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc., eam prosequuntur cum reliquis Responsoriis, ut in Pontificali, dein canunt Psalmum 62: *Deus, Deus meus* etc. Quo absoluto, prosequuntur intonatam Antiphonam: *Omnis terra* etc.

Summarium Ritus dedicationis seu Ecclesiae consecrationis SOLEMNITER PERAGENDAE.

2970. — Adventus Episcopi ad Ecclesiam dedicandam. — Non fit aspersio aquae benedictae. — Accensio candelarum ante Cruces.– Accessio ad Sacellum SS. Reliquiarum. — Episcopus, facie Altari versa, intonat Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. — Lotio Episcopi

manuum. — Episcopus assumit paramenta. — Episcopus tantum repetit integram Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. — Processio ad portam Ecclesiae dedicandae. — Episcopus intonat Antiphonam: *Adesto* etc., et dicit Orationem: *Actiones nostras* etc. — Canuntur Litaniae Sanctorum usque ad: *Ab omni malo* etc., exclusive. — Benedictio aquae. — Episcopus intonat Antiphonam: *Asperges* etc. — Aspergit se et circumstantes. — Incepto Responsorio: *Fundata est* etc., aspergit parietes extrinsecus, versus summitatem, incipiens a dextris suis. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (infra, brevitatis causa, notabimus: *O. F. L.). —* Post Orationem, Episcopus extremitate baculi percutit portam. — Intonato Responsorio: *Benedic* etc., Episcopus parietes aspergit, versus fundamenta, procedens a dextris suis. — *O. F. L. —* Post Orationem, Episcopus, ut supra, percutit portam. — Intonato Responsorio: *Tu Domine* etc., Episcopus aspergit parietes, circa altitudinem faciei suae, procedens a sinistris suis. — *O. F. L. —* Post percussionem portae, Episcopus extremitate baculi facit signum Crucis super liminare in ostio. — Ingressus in Ecclesiam. — *Veni, Creator* etc. — Litaniae Sanctorum. —Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc. Episcopus surgit. — Postquam tertio dixerit: *Ut ecclesiam* etc. baculum dimittit, iterum genuflectit. — Clerici spargunt cinerem per pavimentum. — Completis Litaniis, omnes surgunt. — *O. F. L. —* Post duas Orationes, canitur Antiphona: *O quam metuendus* etc. — Alphabetum graecum et latinum. — *Deus, in adiutorium* etc., ter canit Episcopus, voce semper altius elevata. — Benedictio aquae, cinerum, vini. — Episcopus procedit ad Ecclesiae portam et facit signum Crucis in parte superiori et inferiori intrinsecus. — Ante Altare consecrandum Episcopus, cum mitra, dicit: *Deum Patrem* etc. — In suppedaneo Episcopus intonat Antiphonam: *Introibo* etc. — Episcopus quinque Cruces facit super mensam, aqua sacrata. — Post Orationem: *Singulare* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Asperges me* etc. — Episcopus septies aspergit mensam. — Ter aspergit intrinsecus parietes. — Aspersio pavimenti ab Altari ad portam; a pariete ad parietem. — Episcopus, in medio Ecclesiae, intonat Antiphonam: *Vidit Iacob* etc. — Aspersio pavimenti versus Orientem, Occidentem, Aquilonem et Austrum. — *O. F. L. —* Episcopus, conversus ad portam, cantat Orationem et Praefationem. — Benedictio coementi.— Processio ad Sacellum SS. Reliquiarum. — Ante Sacelli ingressum: *O. F. L. —* Completis Antiphonis cum Psalmo, vel Antiphona de Sanctis quorum sunt ipsae Reliquiae, *O. F. L. —* Post Orationem: *Fac nos, quaesumus* etc., impositio et benedictio

incensi. — Episcopus intonat Antiphonam: *Cum iucuaditate.* — Processio ad Ecclesiam dedicandam. — Processio circuit Ecclesiam. — Episcopus, si placet, sermonem habet. — Lectio Decretorum Sacr. Concilii Tridentini. — Responsorium: *Erit mihi.* — *O. F. L.* — Post Orationem: *Domum tuam* etc., Episcopus, sacro Chrismate ter signat in modum Crucis in stipite dextero et sinistro. — Episcopus intonat Antiphonam: *Ingredimini* et procedit ad Altare dedicandum. — Ante Altare Episcopus intonat Antiphonam: *Exultabunt* etc. — Post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., Episcopus s. Chrismate in singulis quatuor angulis parvi sepulcri duplicem unctionem facit. — Episcopus, mitra dimissa, accipit capsulam SS. Reliquiarum; intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc. — Repositio Capsulae in sepulcro. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus triplici ductu SS. Reliquias thurificat. — Episcopus inungit sepulcri operculum, in modum Crucis. — Episcopus ponit coementum super sepulcri postem et, accepto operculo, intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc. — Episcopus claudit sepulcrum et firmat operculum coemento. — Post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., Episcopus s. Chrismate facit duplicem unctionem super Altaris mensam et sepulcrum comprehendens utrumque. — Impositio et benedictio incensi cum formula: *Ab illo... In nomine Patris* etc. — Episcopus intonat Antiphonam: *Stetit Angelus* etc.; thurificat Altare undique. — Post Orationem: *Dirigatur* etc., Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Clerici duo colligunt spongiis aquam sacratam, et Altare mantilibus abstergunt. — Thure benedicto, Episcopus revertitur ad Altare; thurificat super mensam, in modum Crucis, in medio ed in quatuor angulis. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus intonat Responsorium: *Dirigatur* etc.; Altare ter circuit continue thurificans, dein tradit thuribulum Sacerdoti. — Intonata Antiphona: *Erexit Iacob* etc., Episcopus Oleo Catechumenorum facit quinque duplices unctiones in medio mensae et in quatuor angulis. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus intonat Responsorium: *Dirigatur* etc.; Altare semel circuit thurificans, dein tradit Presbytero thuribulum. — *O. F. L.* — Absoluta Oratione: *Adsit, Domine* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Mane surgens* etc., dein facit iterum quinque Cruces, ut supra, Oleo Catechumenorum. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus intonat Responsorium: *Dirigatur* etc.; Altare thurificat; tradit thuribulum Presbytero. — *O. F. L.* — Post Orationes: *Adesto, Domine* etc., et: *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc quod* etc., Episcopus intonat Antiphonam:

Unxit te etc., s. Chrismate alias quinque Cruces, ut supra, facit. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus intonat Responsorium: *Dirigatur* etc.; Altare thurificat, procedens ad suam sinistram; Presbytero thuribulum tradit. — *O. F. L.* — Post Orationem: *Descendat, quaesumus* etc., intonat Antiphonam: *Sanctificavit* etc. — Episcopus effundit super Altaris mensam s. Chrisma et Oleum Catechumenorum coniunctim. — Lotio manuum. — Episcopus intonat Antiphonam: *Ecce odor* etc. — Absoluto Psalmo 86: *Fundamenta* etc., absque *Gloria* etc., Episcopus dicit: *Lapidem* etc. — Intonata Antiphona: *Lapides pretiosi* etc., Episcopus procedit ad inungendas Cruces parietum s. Chrismate. — Inuncta prima Cruce, impositio et benedictio incensi. — Episcopus Crucem, absque mitra, thurificat. — Impositio et benedictio incensi, cum opus sit. — Ultima Cruce thurificata, Episcopus procedit ad Altare, suppedaneum conscendit. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus thurificat Altare super mensam; tradit Presbytero thuribulum. — Post Orationem: *Dei Patris Omnipotentis,* Episcopus benedicit thuris grana. — Episcopus format quinque Cruces, incensi granis, super mediam mensam et in quatuor angulis; Crucibus superimponit Cruces e gossypio cerato. — Dum Episcopus procedit ad Faldistorium, Clericus accendit Cruces e gossypio cerato. — Crucibus accensis, Episcopus genuflectit in Faldistorio. — Dimisso pileolo, intonat Antiphonam: *Alleluia: Veni, sancte* etc. — A Dominica Septuagesimae ad Pascha omittitur: *Alleluia.* — Post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc. immediate: *O. F. L. Deus omnipotens* etc.; cantus Praefationis. — Episcopus, Praefatione absoluta, ascendit suppedaneum; intonat Antiphonam : *Confirma hoc, Deus* etc. — Episcopus stans, s. Chrismate Crucem signat in media parte anteriori stipitis. — Absoluta Oratione: *Adaiestatem tuam* etc., Episcopus s. Chrismate inungit conjunctiones mensae stipiti in quatuor angulis. — Post Orationem: *Supplices te* etc., Episcopus procedit ab Thronum vel ad Faldistorium et lavat manus. — Clerici, in sacro ordine constituti, abstergunt Altare. — Benedictio tobalearum aliorumque Altaris ornamentorum. — Episcopus, ad Altare conversus, intonat Antiphonam: *Circumdate, Levitae.* — Altaribus ornatis, Episcopus in Throno, vel in Faldistorio, imponit et benedicit incensum. — Episcopus ad Altare procedit; suppedaneum ascendit; intonat Antiphonam: *Omnis terra;* thurificat super mensam, in modum Crucis. — Iterum intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc.; thurificat ut supra. — Tertia vice, intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc.; thurificat ut supra; Diacono tradit thuribulum. — Post

Orationes: *Descendat* etc., et: *Omnipotens* etc., Episcopus cantat: *Dominus vobiscum; Benedicamus Domino.*

CAPUT VIII.

DE ALTARIS FIXI SEU IMMOBILIS CONSECRATIONE SINE ECCLESIAE DEDICATIONE

Articulus I.

De expositione SS. Reliquiarum pridie vespere.

2971. — Pro expositione SS. Reliquiarum praeparatur Sacellum in ipsa Ecclesia in qua consecrandum sit Altare, vel etiam expositio haec fieri potest in Sacristia, vel in aliquo decenti loco ipsi Ecclesiae proximo.

Omnia praeparantur ut sub n. 2908, sed loco Urnae ad reponendas Sacras Reliquias parari potest lanx argentea, cooperta parvo velo rubri coloris.

Functio peragitur ut sub n. 2909.

Articulus II.

De iis quae praeparanda sunt pro Altaris consecratione.

2972. — 1. — In Sacello in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Super infimum Altaris gradum collocatur in medio pulvinus albi coloris.

Si Sacellum sit extra Ecclesiam, tunc parantur in decenti loco: thuribulum cum navicula, quatuor intorticia; si vero SS. Reliquiae deferantur a Sacerdotibus, tunc parantur etiam quatuor planetae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus.

2. — Ad Altare dedicandum.

I. - In cornu Evangelii. — Si Presbyterium sit capax, alias prope Sacellum praeparatur abacus, alba tobalea contectus, et super illum statuuntur quatuor candelabra cum cereis.

II. - In cornu Epistolae. — Collocantur duo abaci, pariter alba tobalea contecti.

III. - Super abacum versus Altare. — Disponuntur quae benedicenda sunt, scilicet: vas amplum, seu concha decens cum aqua; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris pariter in lance; ampulla, vel exigua phiala, plena vini in pelvicula; in lance viginti quinque incensi grana aequalia et levigata ut superimponi possit Crux e gossypio cerato; aliquantulum gypsi triti, in lance cretacea; chrismale et tobaleae Altaris; disponuntur etiam, vel supra abacum, vel prope illum: Crux, candelabra, aliaque Altaris ornamenta.

IV. - Super alterum abacum. — Collocantur: paramenta albi coloris pro Episcopo, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, formale in lance, mitra auriphrygiata; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; medulla panis et mali medici in lance; Pontificale Romanum; scotula cum candela; vascula Olei Catechumenorum et s. Chrismatis in lance; ampullae argenteae plenae praedictis s. Oleis, pariter in lance; gossypium solutum; operculum sepulcri Reliquiarum; quinque Cruces e gossypio cerato in lance: oportet quatuor Crucium capita iam arsa sint ut faciliter accendi possint; aliquantulum gossypii cerati; duae spatulae ligneae; duae spongiae; quatuor manutergia ex tela rudi; vasculum ad hauriendam aquam pro aspersionibus Altaris; parvum vasculum ad hauriendam aquam pro quinque aspersionibus tantum supra Altaris mensam; aspersorium ex hyssopo; parva patera; trulla; tabellae cum formulis, ut infra; Formula Indulgentiae.

V. - Apud abacum. — Baculus pastoralis; hasta cum gossypio cerato; concha, in qua reponentur quae purificanda vel in Sacrarium iniicienda.

VI. - Ante infimum Altaris gradum versus Epistolae latus. — Faldistorium cum pulvinis et tegumento albi coloris; ad Faldistorii latera: duo scabella nuda.

3. — Ad Altare SS. Sacramenti.

Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis vel violacei coloris, iuxta temporum diversitatem.

4. — In Sacristia.

Super mensam: stola diaconalis albi coloris; duo amictus ac totidem albae et cingula; vimpae pro Ministris mitrae et baculi.

Si pro translatione SS. Reliquiarum utatur Feretro, tunc parantur: quatuor planetae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus.

Congruo in loco: thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; Crux processionalis et duo intorticia; parantur etiam quatuor intorticia, praesertim si translatio SS. Reliquiarum fiat super Feretrum.

Si Episcopus Missam lectam celebret, post Altaris dedicationem, super praecipuam mensam praeparantur: Calix cum purificatorio, Patena, hostia, palla, corporale in bursa albi coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula, Missale cum legili, Canon Pontificalis.

Haec omnia transferuntur super abacum, quando ea quae ad Ritum consecrationis adhibita fuerunt deferri possunt in Sacristiam.

Praeterea parantur planeta et manipulum, albi coloris, quae super Altaris mensam collocantur postquam Altare ornatum fuerit.

Si Missa de Communi Ecclesiae Dedicationis prohibeatur (v. n. 2991) tunc paramenta missalia erunt coloris Officii.

Si Missa celebratur a Sacerdote, tunc parantur omnia necessaria pro Missae celebratione.

2973. — Quoniam quibusdam caeremoniis huius Ritus incommodum affert uti Pontificali, praeparantur Tabulae tredecim, ut jnfra. Ne tamen confusio oriatur in earum usu, apponatur numerus .n capite cuiusque Tabulae, iuxta ordinem quo illae adhibentur.

N. 1. J----------4."

Intro- i- bo

Sancti ℣ ficetur hoc Altare, in honorem Dei omnipotentis, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam sancti N. In nomine Pa ℣ tris, et Fi ℣ lii, et Spiritus ℣ Sancti. Pax tibi.

Ste- tit

N. 10, 14, 17,20.

Di- ri-ga-tur

N. 11.

E- re- xit Ja- cob

N. 12, 15, 18.

Sancti Φ ficetur, et conse Φ cretur lapis iste. In nomine Pa Φ tris, et EiΦIH, et Spiritus Φ Sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti N. Pax tibi.

N. 22.

In nomine Pa © tris, et Fi Φ lii, et Spiritus Φ Sancti.

Omnis tcr-ra

2974. — Dispositio ad Altare dedicandum.



F – Faldistorium. — Scamna pro: Diacono, 1; Subdiacono, 2. — AI. Abacus in quo disponuntur res benedicendae. — A II. — Abacus consuetus. — M = Mensa pro SS. Reliquiis.

Articulus III.

De Episcopo Altare fixum seu immobile consecrante sine Ecclesiae dedicatione.

2975. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, accedit ad Ecclesiam et se gerit more solito in aspersione aquae benedictae, ac postea se confert ad Altare SS. Sacramenti, tandem ad Altare dedicandum et in Faldistorio sedet. Ad nutum Caeremoniarii, surgit, detecto capite, ad Altare se convertit et incipit recitare Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. Incepto Psalmo 6: *Domine, ne in furore* etc., se ad populum convertit, in Faldistorio sedet, Crucem pectoralem, cappam, vel mozzettam, vel mantellettum dimittit, bireto caput tegit inanusque lavat. Dimisso bireto, sumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius; accipit etiam mitram et baculum, dein legit Psalmos Poenitentiales prosequens in recitatione cum Choro. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., Episcopus surgit et, medius inter Diaconum et Subdiaconum, procedit ante Altare subsistens ab ipso convenienti distantia, ibique baculum ac mitram dimittit et intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Adesto Deus, unus omnipotens* etc.;

absoluto a Cantoribus Antiphonae cantu, tono feriali cantat, vel dicit: *Oremus* et Orationem: *Actiones nostras* etc.; qua absoluta, mitram accipit et genuflectit in Faldistorio.

Si Functio peragatur absque cantu, Episcopus ipse recitat Litanias Sanctorum, respondentibus adstantibus.

Si nomina Sanctorum Martyrum, quorum Reliquiae in Sepulcro clauduntur, adsint in Litaniis, repetuntur; si vero eorum nomina in Litaniis non inveniuntur, tum invocantur bis, iuxta ordinem hierarchicum, ante Versiculum omnibus communem v. g.: *Omnes Sancti Martyres; Omnes Sancti Pontifices et Confessores* etc.

Si Altare dedicatur Beatae Mariae Virgini sub quovis Titulo, repetitur Versiculus: *Sancta Maria-* si cuidam Mysterio de vita aut de Passione Christi repetitur Versiculus: *Fili Redemptor mundi Deus;* si Spiritui Sancto, repetitur Versiculus: *Spiritus Sancte Deus;* si Deo uni ac trino, repetitur Versiculus: *Sancta Trinitas unus Deus.*

Post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, accipit baculum et, eodem tono, dicit vel cantat ut in Pontificali: *Ut Altare hoc* etc., producens signum Crucis versus Altare, et postquam tertio decantaverit: *Ut Altare hoc* etc., baculum dimittit, iterumque in Faldistorio genuflectit usque ad Litaniarum finem, dein surgit, accedit ad Altare, et ab illo distans congruenti spatio, mitram dimittit, genu flectit in pulvino et recitat, vel cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus, vel ab Adstantibus: *Domine, ad adiuvandum me festina,* Episcopus surgit et cantat, vel recitat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et secundo cantat, vel dicit, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et tertio cantat, vel dicit, elevans hemitonio vocem: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat* etc., Episcopus accipit mitram et baculum, accedit ad abacum, ibique baculum dimittit et absolute dicit: *Exorcizo te* etc. In Exorcismo omittit verba: *Ecclesiae et;* quae verba omittuntur etiam in Exorcismo aquae (nam benedictio aquae huius in pluribus editionibus Pontificalis Romani revocari solet ad Ritum Dedicationis Ecclesiae). Exorcismo absoluto, mitram dimittit et dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit et exorcizat aquam dicens: *Exorcizo te* etc.; Exorcismo absoluto, mitram deponit et dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres

dicens: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce poenitentibus* etc.; qua Oratione completa, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem tribus vicibus, in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam tribus vicibus, in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, cineris et aquae* etc., dein mantili abstergit manum ac statim dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Iesu Christe* etc.; qua Oratione absoluta, accipit ampullam, vel phialam, vini benedicti et illud, in modum Crucis, in aquam mittit dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator* etc., sed omittit verba: *Ecclesiae et,* ut supra diximus; qua Oratione completa, mitram accipit ac baculum et procedit ad Altare, ante cuius infimum gradum baculum dimittit, suppedaneum ascendit, ibique Antiphonam inchoat, vel intonat: *Introibo ad Altare Dei* etc., dein intingit pollicem dexterum in vasculo aquae sacratae et signat Crucem in medio mensae Altaris, dicens: *Sancti* ✠ *ficetur hoc Altare* etc.; ad verba: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *Hi, et Spiritus* ✠ *Sancti,* triplex signum efficit super Crucem signatam; ac postea aliam Crucem, se ut supra gerens, signat in angulo posteriori cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae ut in sequenti figura:

Episcopus, quinta Cruce signata, abstergit pollicem, dein se confert in medium suppedanei, ibique, repetita a Cantoribus vel ab Adstantibus Antiphona post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., mitram dimittit et cantat, vel dicit: *Oremus;* tum,

pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* cantat, vel recitat, Orationem: *Singulare illud* etc.; et ita se gerit in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione completa, Episcopus intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata, accipit mitram. Aspersorio a Diacono accepto, circuit Altare procedens a dextris suis, illius mensam et stipitem una simul aspergit et redit ad locum ante medium Altaris unde discesserat. Completo tertio Versu Psalmi 50: *Miserere* etc., scilicet: *Amplius lava me* etc., Episcopus iterum intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Asperges me* etc., retinens mitram, et se gerit ut supra. Intonat, vel incipit quoque Antiphonam: *Asperges me* etc., post Versiculos: *Ecce enim in iniquitatibus* etc.; *Auditui meo* etc.; *Ne proiicias me* etc.; *Libera me* etc.; *Sacrificium Deo* etc. Antiphona intonata, circuit Altare et illud ut supra aspergit.

2976. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, intonata Antiphona: *Asperges me* etc., incipit a medio aspergere stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis prosequitur aspergere totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, tum latus stipitis in latere Evangelii, dein, aspergens partem anteriorem stipitis in eodem latere, revertitur in medium.

2977. — Septem Altaris aspersionibus absolutis et decantato a Cantoribus vel recitato ab Adstantibus ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere* etc., Episcopus mitram dimittit et ante medium Altaris cantat, vel dicit: *Domine, exaudi* etc.; *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui es visibilium* etc.; qua Oratione absoluta, si maltha facienda sit, mitram accipit, procedit ad abacum, ibique admiscet sabulum calci ac mixturae aquam sacratam superfundit et facit maltham seu coementum ac postea, dimissa mitra, illud benedicit.

2978. — Si loco calcis et sabuli, quae a Pontificali Romano indicantur, adhibeatur gypsum, coementum, vel quid simile (D. 4165 ad 1), Episcopus, absoluta Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc., ibique stans benedicit gypsum vel coementum non infusum in aquam sacratam et in casu Oratio pro benedictione immutanda est (*f. c.*).

Coemento benedicto, Episcopus accipit mitram ac baculum, procedit ad locum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerit, et priusquam ingrediatur, deponit baculum et mitram atque dicit, vel cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Aufer a nobis* etc. absoluta, accipit mitram ac baculum et Sacellum ingreditur; baculum Ministro tradit et ante SS. Reliquias consistit. Dimissa mitra,

f

Episcopus cantat, vel recitat: *Oremus. Fac nos, quaesumus, Domine* etc.; qua Oratione completa, absque mitra, imponit et benedicit incensum, more solito, dein suppedaneum conscendit, reverenter accipit Urnam, vel Lancem in qua reposita est Capsula SS. Reliquiarum, se ad populum convertit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Cum iucunditate* etc., et procedit.

Si vero SS. Reliquiae deferantur a quatuor Sacerdotibus, tunc Episcopus, absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus, Domine* etc., mitram accipit, imponit ac benedicit incensum, dein intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Cum iucunditate* etc., baculum accipit et procedit.

Quum Processio ad Altare dedicandum pervenerit, Episcopus, si SS. Reliquias deferat, eas super mensam in cornu Evangelii deponit; reverentia facta, se ante Altare confert ac consistit in medio ante gradus. Si vero SS. Reliquiae a Sacerdotibus deferantur, tunc Episcopus cum ad Altare pervenerit, baculum Ministro tradit, consistit in medio ante gradus.

Completis Antiphonis: *Cum iucunditate* etc.; *Surgite, Sancti Dei* etc., Episcopus intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Exaltabunt* etc., et, dum repetitur ea, Altare conscendit; repetita Antiphona, mitram dimittit, et cantat: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et facit in singulis quatuor angulis parvi sepulcri duplicem unctionem, in modum Crucis, scilicet unam ad verbum: *Conse* ✠ *crctur,* alteram ad verbum: *Sancti* ✠ *ficetur,* et producens manu dextera triplex signum Crucis dicit: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Sancti. Pax huic domui;* deinde mitram deponit.

Si Episcopus ipse SS. Reliquias detulerit, de Altari descendit et se confert ad mensam; quo cum pervenerit, baculum Ministro tradit, mitram dimittit, sumit ex Urna, vel ex lance, Capsulam eamque reverenter defert ad Altare; intonata, vel inchoata, Antiphona: *Sub Altare Dei sedes* etc., statim ponit Capsulam in parvo sepulcro.

2979. — Si vero SS. Reliquiae delatae fuerunt a quatuor Sacerdotibus, tunc Episcopus, unctionibus peractis, mitram dimittit, se ad populum convertit, reverenter utraque manu Capsulam SS. Reliquiarum accipit, se ad Altare convertit et intonans, vel inchoans, Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., Capsulam in parvum sepulcrum reponit, deinde, more solito, imponit ac benedicit incensum; cum profunda reverentia ante et post, triplici ductu, thurificat SS, Reliquias.

2980. — Tradito Diacono thuribulo, Episcopus mitram accipit, intingit dexterum pollicem in s. Chrismate et inungit partem lapidis seu operculi parvi sepulcri, quae spectat internum eiusdem sepulcri, proferens formulam: *Consecretur* etc., faciens duplicem unctionem in modum Crucis ad verba: *Conse* Φ *cretur,* et: *Sancti* Φ *ficetur,* ac postea manu dextera triplex Crucis signum producit dicens: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti. Pax tibi,* deinde abstergit gossypio pollicem, trullam cum cocmento accipit, illud ponit super sepulcri postem, cavens ne super Reliquiarum Capsulam coementum defluat. Accepto sepulcri operculo, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., sepulcrum claudit et firmat operculum coemento. Absoluta Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Episcopus mitram dimittit et cantat vel dicit: *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, rursus intingit pollicem in s. Chrismate et facit duplicem unctionem super Altaris mensam et parvum sepulcrum comprehendens utrumque ut in figura sequenti:

dicens ad primam unctionem: *Signe* Φ *tur,* ad secundam unctionem: *Sancti* Φ *ficetur* etc.; dicens vero: *In nomine Pa* Φ *tris* etc., producit dextera manu triplex Crucis signum, ac postea gossypio pollicem abstergit, dein imponit et benedicit incensum, dicens: *Ab illo benedicaris... In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti,* producens tria Crucis signa, qua formula semper utetur deinceps.

Deposita mitra, Episcopus intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Stetit Angelus* etc., mitram iterum accipit et donec durat Antiphonae cantus, vel recitatio, thurificat Altare undique ad dexterum et sinistrum latus ante et desuper. Antiphona absoluta, Diacono thuribulum tradit, mitram dimittit et, stans in medio suppedaneo,

cantat, vel dicit: *Oremus. Dirigatur* etc.; qua completa, mitram et baculum accipit, de Altari descendit, procedit ad Thronum, si Ordinarius et Thronus sit erectus, vel ad Faldistorium in cornu Epistolae collocatum; ibique baculum dimittit, imponit et benedicit incensum, ad nutum Caeremoniarii, ac postea baculum accipit, surgit, ad Altare procedit, ante cuius infimum gradum baculum dimittit, suppedaneum conscendit, thuribulum accipit et, nihil dicens, thurificat in modum Crucis super mensam semel tantum in medio et in quatuor angulis ordine in sequenti figura signato:

ac postea thuribulum Diacono tradit; iterum imponit et benedicit incensum; ad Altare conversus intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc.; accepto thuribulo, Altare ter circuit procedens ad suam dexteram, continue thurificans stipitem et mensam una simul.

2981. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, intonato vel inchoato Responsorio: *Dirigatur* etc., incipit a medio thurificare stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis, prosequitur thurificare totam mensam, procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, postea thurificans partem anteriorem stipitis in eodem latere revertitur in medium; hoc tribus vicibus peragitur.

2982. — Altari thurificato, tradit thuribulum Presbytero qui thurificationem prosequi debet; stans in medio suppedaneo intonat vel inchoat Antiphonam: *Erexit* etc., ac postea intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et cum eo facit quinque duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti* ✠ *ficetur,* alteram ad verbum: *Conse* ✠ *cretur,* super mensam, scilicet in medio et in quatuor angulis, ordine descripto in sequenti figura:

et producit dextera manu triplex Crucis signum super singulam duplicem unctionem, dicens: *In nomine Pa* Φ *tris* etc.

Quinque unctionibus peractis, Episcopus pollicem abstergit, et, dum repetitur Antiphona, imponit ac benedicit incensum. Absoluta Antiphona, intonat vel inchoat Responsorium: *Dirigatur* etc., thuribulum accipit, Altare circuit, semel tantum, procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul. Si Altare circumiri non possit, se gerit ut in praecedenti numero notavimus.

2983. — Tradito thuribulo Presbytero et absoluto Responsorio, Episcopus mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Adsit, Domine* etc. absoluta, intonat vel inchoat Antiphonam: *Mane surgens* etc., mitram accipit et, modo supra notato, quinque alias duplices unctiones Oleo Catechumenorum facit; quibus peractis, incensum imponit ac benedicit, intonat, vel inchoat Responsorium: *Dirigatur* etc., et Altare pariter, ut supra, thurificat, ac postea Presbytero thuribulum tradit.

Completo Responsorio, Episcopus mitram dimittit et cantat vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Adesto, Domine* etc., et responso: *Arnen,* immediate subiungit: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Oratione completa, intonat, vel inchoat Antiphonam: *Unxit te* etc., mitram accipit, alias quinque unctiones s. Chrismate efficit, modo supra notato; quibus peractis, pariter ut supra, imponit et benedicit incensum nec non intonat, vel inchoat Responsorium: *Dirigatur* etc., thurificat Altare, sed procedens ad suam sinistram.

Tradito Presbytero thuribulo et completo Responsorio, Episcopus mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua.*

Levate. Completa Oratione: *Descendat, quaesumus* etc., intonat, vel inchoat Antiphonam: *Sanctificavit* etc., mitram accipit, dein dextera ampullam s. Chrismatis, sinistra ampullam Olei Catechumenorum accipit, effundit Olea iunctim super medium mensae in longitudinem, nullam proferens formulam; traditis Diacono ampullis, palma dexterae manus expandit et illinit Olea sacra super totam mensam diffundens ea prius versus posteriorem, dein versus anteriorem partem ita ut sacris Oleis tota mensa illita sit; quo facto, annulum dimittit, manus lavat et abstergit, annulumque recipit ac postea, repetita Antiphona: *Sanctificavit* etc., post Psahnum 45: *Deus noster refugium* etc., intonat, vel inchoat Antiphonam: *Ecce odor* etc. Decantato, vel recitato ultimo Versu Psalmi 86: *Fundamenta* etc., scilicet: *Sicut laetantium* etc., Episcopus immediate recitat: *Lapidem hunc, fratres carissimi* etc., ac postea intonat, vel inchoat Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc.; qua absoluta, recitat alteram invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.; qua completa, mitram dimittit et, facie cornu Epistolae conversa, dicit: *Domine, exaudi orationem* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus omnipotens* etc., qua Oratione completa, aspergit incensi grana, dein mitram accipit et quinque granis incensi format Crucem super mediam mensam in ipso unctionis loco et ipsis superimponit Crucem e gossypio cerato. Idem facit in quatuor angulis in ipsis unctionum locis, servans eumdem ordinem unctionum. Si grana incensi non sint levigata, ut Crucem ceratam sustinere possint, tunc Episcopus primum ponit Crucem, dein infra ipsam collocat incensi grana; haec est communis praxis plurium locorum; ratio haec commodior et expeditior, contraria non est Rubricae Pontificalis Romani.

2984. — Dum Clericus Cruces accendit, Episcopus, accepto baculo, procedit ad Faldistorium in medio Presbyterio collocatum, ibique Ministro tradit baculum; omnibus Crucibus accensis, mitram ac pileolum dimittit, genuflectit in Faldistorio et intonat, vel inchoat, Versiculum: *Alleluia. Veni, sancte Spiritus* etc., omittens: *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha. Absoluto Versiculo, Episcopus pileolum accipit, surgit et consistit dum canuntur, vel recitantur Antiphonae: *Ascendit fumus* etc.; *Stetit Angelus* etc.; qua ultima Antiphona absoluta, immediate cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Responso: *Arnen* post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., immediate cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Prolatis verbis: *Spiritus Sancti Deus,* prosequitur in tono Praefationis, si Orationem cantaverit. Praefatione completa,

mitram accipit, suppedaneum ascendit, intonat, vel inchoat Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc., intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et stans Crucem signat in media parte anterioris stipitis, dein pollicem abstergit.

Si Crux posita super stipitem sit metallica, Episcopus unctionem facit in modum Crucis extra praedictam Crucem, scilicet super eam, vel sub ea, in ipso stipite. Decantato vel recitato Psalmo 67: *Extirpai Deus* etc., cum: *Gloria Patri* etc., Episcopus mitram dimittit et cantat, vel dicit: *Oremus. Maiestatem tuam* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit, intingit dexterum pollicem in s. Chrismateet inungit conjunctiones mensae stipiti in quatuor angulis, dicens tantum: /n *nomine Pa* Φ *tris, et FifR Iii, et Spiritus* Φ *Sancti.* Inungit primum conjunctionem in angulo posteriori cornu Evangelii, dein in anteriori eiusdem cornu ac postea in angulo posteriori cornu Epistolae, tandem in angulo anteriori eiusdem cornu; quibus unctionibus peractis, Episcopus abstergit pollicem gossypio, de Altari descendit, mitram dimittit et ante eiusdem Altaris gradum cantat, vel dicit: *Oremus. Supplices te deprecamur* etc. Oratione completa, Episcopus mitram accipit ac baculum et si Ordinarius et Thronus erectus sit, ad Thronum procedit, ibique baculum Ministro tradit, manus lavat et abstergit; si vero Ordinarius non sit, tunc procedit ad Faldistorium in cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum collocatum.

Ad nutum Caeremoniarii, Episcopus accipit baculum et procedit ad abacum; baculo Ministro tradito ac mitra dimissa, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., ut in Pontificali Romano. Absoluta Oratione: *Omnipotens et misericors Deus* etc., aspergit Altaris ornamenta, deinde, mitra ac baculo acceptis, revertitur ad Thronum, vel ad Faldistorium, et sedet. Ad nutum Caeremoniarii, surgit et ad Altare conversus intonat vel inchoat Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc.

Altari ornato, Episcopus sedet vel in Throno, vel in Faldistorio, imponit ac benedicit incensum, surgit et, accepto baculo, procedit ante infimum Altaris gradum, Ministro baculum tradit; dimissa mitra et Cruci reverentia facta, suppedaneum conscendit, intonat vel inchoat Antiphonam: *Omnis terra* etc., dein, accepto thuribulo, Crucem super mensam efficit; tunc iterum intonat vel inchoat Antiphonam: *Omnis terra* etc., et rursus thurificat in modum Crucis super mensam; itemque tertia vice Antiphonam inchoat vel intonat et thurificat eodem modo mensam ac postea Diacono thuribuluin tradit; quo facto, cantat vel recitat: *Oremus. Descendat* etc., dein: *Oremus, Omnipotens sempiterne Deus, altare* etc.; qua Oratione completa, cantat vel recitat: *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.*

2985.— Responso: *Deo gratias,*

I. - Si Episcopus Ordinarius sit et:

a) Missam non celebret, nec Missae solemni assistat, mitram accipit, si uti Cruce nequit, Altare ascendit et benedictionem cum cantu, vel sine cantu, consueto ritu impertit atque indulgentia ut in Pontificali Romano publicatur (v. n. 2913); dein procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium, paramenta dimittit, reassumit cappam vel mozzettam ac Crucem pectoralem et Missae assistit vel in Faldistorio vel in genuflexorio.

b) Missam sine cantu celebret, mitram et baculum accipit, se ad Faldistorium, in cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum collocatum, confert, baculum Alinistro tradit, sedet et legit Psalmos in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus, recitat: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit, assumit planetam tantum, non vero omnia paramenta pontificalia (D. 3437 ad 1), et procedit ad Altare, medius inter Assistentes. In fine Missae impertit benedictionem pontificalem (D. 3729 ad 9), scilicet cum mitra, si uti Cruce nequit, et baculo, quamvis in Missae celebratione iis usus non fuerit.

II. - Si Ordinarius non sit et:

a) Missam sine cantu celebret, se gerit ut supra diximus de Episcopo Ordinario.

V) Missae solemni, vel lectae assistat, procedit ad Faldistorium ubi paramenta dimittit, reassumit mantellettum et Crucem pectoralem ac postea se confert ad genuflexorium.

Articulus IV.

De Ministris sacris in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2986. — Statuta hora, Ministri sacri se conferunt ad Sacristiam Ecclesiae in qua Altare consecrandum et assumunt amictum, albam, cingulum, Diaconus accipit etiam stolam albi coloris, dein procedunt ad Altare dedicandum et apud Faldistorium sedent in scamno, tecto capite. Quum Episcopus pervenerit, surgunt, detecto capite, et se ei inclinant vel genuflectunt. Postquam Episcopus in Faldistorio sederit, Diaconus aufert ei Crucem pectoralem, Subdia-

conus mozzettam vel mantellettum, dein Diaconus accipit paramenta a Caerenioniario et, adiuvante Subdiacono, cis Episcopum induit; accepto ab Episcopo baculo, ambo legunt cum eodem Episcopo Psalmos Poenitentiales prosequentes in recitatione cum Clero.

Repetita a solo Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., ambo surgunt et, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Altare subsistentes ab illo convenienti distantia, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert eamque reponit post Orationem: *Actiones nostras* etc., dein ambo genuflectunt ad latera Faldistorii.

Decantato a Cantoribus, vel dicto ab Episcopo Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., ambo cum Episcopo surgunt et, sustinentes eius pluvialis fimbrias, iterum genuflectunt postquam Episcopus tertio dixerit, vel decantaverit: *Ut Altare hoc* etc. Completis Litaniis, surgunt, accedunt cum Episcopo ad Altare, Diaconus mitram ei aufert. Ambo genuflectunt et assurgunt, quando Episcopus genuflectit et assurgit. Responso a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit, eique aufert post salis Exorcismum. Absoluta Oratione: *Domine Deus* etc., rursus mitram Episcopo imponit eique aufert post aquae Exorcismum. Post Orationem: *Domine Iesu Christe, qui in Cana* etc., Diaconus porrigit Episcopo ampullam vini; qua recepta et absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., mitram Episcopo imponit, dein ambo ad Altare procedunt, suppedaneum conscendunt. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabulam quam ante Episcopum sustinet dum intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc.,et dum aspersiones peragit. Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* etc., Diaconus accipit vasculum aquae sacratae.

Quinque aspersionibus completis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus Acolytho tradit tabellam. Absoluto Psalmo 42: *Indica me, Deus* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert. Decantato, vel dicto, ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus genuflectens, cantat vel dicit: *Flectamus genua,* et Subdiaconus surgens cantat, vel dicit: *Levate,* ac postea ita se gerunt in simili casu quod, brevitatis causa, nuntiabimus tantum verbis: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Singulare illud* etc., Subdiaconus tabellam accipit quam Acolytho reddit, intonata Antiphona: *Asperges mi* etc. Quum Episcopus in medium Altare revertitur recipit tabulam et ita deinceps se gerit donec Episcopus septies intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Asperges me* etc.

Intonata, vel incepta, ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc.,

mitram ei Diaconus imponit, deinde aspersorium porrigit; ambo sustinent eius pluvialis fimbrias et Episcopum in septem Altaris aspersionibus comitantur; quibus absolutis et decantato vel recitato ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere* etc., Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., dein ambo procedunt ad abacum; postquam Episcopus admiscuerit sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfuderit, si id faciendum, Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit, coemento benedicto, dein, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, ambo procedunt ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerint, Diaconus, priusquam Episcopus ingrediatur, aufert ei mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Aufer a nobis* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit et ambo cum eodem Episcopo ad Altare procedunt; quo cum pervenerint, Diaconus Episcopo mitram aufert et post Orationem: *Fac nos, quaesumus Domine* etc., incensum ministrat. Intonata, vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Cum iucunditale* etc., Diaconus mitram ei imponit.

Si vero SS. Reliquiae transferantur a quatuor Sacerdotibus, tunc Diaconus postquam Episcopus dixerit, vel decantaverit, Orationem: *Fac nos, quaesumus Domine* etc., mitram ei imponit, dein incensum ministrat.

Quum Processio pervenerit ad Altare dedicandum, si Episcopus SS. Reliquias deferat, ambo cum eo procedunt ad mensam in cornu Evangelii; depositis SS. Reliquiis, cum Episcopo, reverentia peracta, ante Altaris gradus se conferunt. Dum repetitur Antiphona: *Exultabunt* etc., Altare conscendunt et, repetita Antiphona, Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., ac postea accipit vasculum s. Chrismatis, Subdiaconus vero accipit tabellam cum formula unctionis, quam ante Episcopum sustinet. Unctionibus peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus tabellam, dein si Episcopus SS. Reliquias detulerit, ambo de Altari descendunt et se conferunt ad mensam cum Episcopo; quo cum pervenerint, Diaconus ei mitram aufert, dein accedit ad mensam, Urnam aperit vel amovet parvum velum, ac postea, sumpta ab Episcopo Capsula cum SS. Reliquiis, ambo revertuntur cum eodem ad Altare. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabellam eamque ante Episcopum sustinet dum intonat, vel incipit, Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., ac postea tabulam Acolytho tradit.

Si autem SS. Reliquiae delatae fuerunt a quatuor Sacerdotibus, tunc, unctionibus peractis, Diaconus mitram Episcopo aufert, ambo

cum Episcopo versus populum se convertunt et Diaconus aperit Urnam in qua exstant SS. Reliquiae; quibus ab Episcopo acceptis, ambo se ad Altare cum eodem Episcopo convertunt.

Postquam Episcopus SS. Reliquias in sepulcro reposuerit, Diaconus ministrat ei incensum ac postea thuribulum. SS. Reliquiis thurificatis, Diaconus imponit Episcopo mitram, accipit vasculum s. Chrismatis et sustinet lapidem parvi sepulcri, Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis et sustinet eam ante Episcopum et postquam ille intonaverit, vel inceperit, Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., Acolytho tabulam porrigit.

Deposito super Altare lapide et tradito Clerico vasculo, Diaconus accipit trullam cum coemento eamque porrigit Episcopo, dein eidem sepulcri operculum porrigit. Tradita Clerico trulla et absoluta Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., accipit vasculum s. Chrismatis Subdiaconus tabellam. Unctionibus peractis. Subdiaconus tradit Acolytho tabellam ct ab eodem accipit tabellam aliam quam reddit, thure benedicto; statim aliam tabellam accipit eamque eidem Acolytho tradit postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Antiphonam: *Stetit Angelus* etc.; Diaconus tradit Clerico vasculum sacri Chrismatis, ministrat incensum, ac postea Episcopo mitram aufert quam reponit, intonata, vel incepta, Antiphona: *Stetit Angelus* etc., dein thuribulum ministrat et post Altaris mensae thurificationem aufert Episcopo mitram, quam reponit post Orationem: *Dirigatur* etc., dein ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium, vel ad Thronum.

Ad nutum Caeremoniarii, Diaconus ministrat incensum, dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet, dein cum Episcopo ambo ad Altare revertuntur et suppedaneum conscendunt; Diaconus Episcopo thuribulum porrigit. Thurificato Altari, iterum Diaconus ministrat incensum dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet; thure imposito, tabellam Acolytho tradit et ab eodem aliam tabellam accipit et postquam Episcopus intonaverit vel inceperit Responsorium: *Dirigatur* etc., Diaconus thuribulum eidem porrigit. Subdiaconus tabellam Acolytho tradit. Altari thurificato, Diaconus non recipit ab Episcopo thuribulum, sed aliquantulum recedit ut Episcopus Sacerdoti, qui thurificationem prosequi debet, thuribulum tradat; tunc Diaconus accipit vasculum Olei Catechumenorum, Subdiaconus vero tabellam accipit quam reddit Acolytho, intonata, vel incepta, Antiphona: *Erexit* etc., dein accipit tabellam cum formula unctionis et ambo se gerunt ut alias.

Quinque unctionibus peractis, **Diaconus** et **Subdiaconus** ad incensi impositionem et benedictionem, ad intonationem Responsorii: *Dirigatur* etc., nec non ad Altaris thurificationem se ut supra gerunt. Absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., **Diaconus** aufert Episcopo mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Mane surgens* etc., Diaconus imponit ei mitram, accipit vasculum Olei Catechumenorum, dum **Subdiaconus** accipit tabellam cum formula unctionis.

Peractis unctionibus, **Diaconus** et **Subdiaconus** ad incensi impositionem et benedictionem et ad reliqua se gerunt ut supra diximus. Diaconus postquam absolutum fuerit Responsorium: *Dirigatur* etc., Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata, vel incepta Antiphona: *Unxit te* etc., **Diaconus** mitram Episcopo imponit et accipit vasculum s. Chrismatis dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis. Unctionibus peractis, **Diaconus** et Subdiaconus ad impositionem et benedictionem incensi et ad reliqua se gerunt ut supra notavimus. Completo Responsorio: *Dirigatur* etc., **Diaconus** mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Antiphonam: *Sanctificavit* etc., **Diaconus** mitram ei imponit, dein eidem porrigit ampullam s. Chrismatis et ampullam Olei Catechumenorum; receptas ampullas **Diaconus** Clerico tradit. Dum Episcopus illinit sacra Olea super totam mensam, ambo sustinent elatum eius pluviale. Post mensae unctionem, **Diaconus** educit annulum Episcopo, dein mantile ministrat ac postea annulum inducit. **Subdiaconus** accipit ab Acolytho tabellam quam ante Episcopum sustinet dum intonat, vel incipit, Antiphonam: *Ecce odor* etc., ac postea eidem Acolytho tradit eam.

Post invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert; completa Oratione: *Domine Deus omnipotens* etc., porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto imponit mitram, dein eidem porrigit Cruces e gossypio cerato, ac postea ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium in medio Presbyterio collocatum. Omnibus Crucibus accensis, **Diaconus** aufert Episcopo mitram ac pileolum; ambo genuflectunt ad Faldistorii latera, et, absoluto Versiculo: *Alleluia. Veni, sancte* etc., **Diaconus** pileolum Episcopo reponit, dein ambo surgunt. Completa Antiphona: *Stetit Angelus* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Praefationem, **Diaconus** mitram Episcopo imponit; **ambo** cum Episcopo suppedaneum conscendunt et, intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Confirma* etc., Diaconus accipit vasculum s. Chri-

sinatis; Episcopo mitram aufert, absoluto Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc., cum *Gloria* etc., quam iterum imponit post Orationem: *Maiestatem tuam* etc., et accipit vasculum s. Chrismatis, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis.

Peractis unctionibus. Diaconus tradit Clerico vasculum, Subdiaconus tabellam, ambo cum Episcopo de Altari descendunt et Diaconus mitram Episcopo aufert quam reponit post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc. Ambo cum Episcopo procedunt ad Thronum, vel ad Faldistorium. Abstersis ab Episcopo manibus, ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad abacum, ibique Diaconus Episcopo mitram aufert et post Orationem: *Omnipotens, et misericors Deus* etc., porrigit ei aspersorium; quo recepto, Episcopo mitram imponit et ambo cum Episcopo revertuntur ad Thronum, vel ad Faldistorium.

Altari ornato, Diaconus ministrat incensum, ambo cum Episcopo ad Altare procedunt, ante cuius infimum gradum, Diaconus Episcopo mitram aufert; ambo, Cruci reverentia vel genuflexione facta, suppedaneum conscendunt. Subdiaconus accipit tabellam et ante Episcopum sustinet dum intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Omnis terra* etc.; tabulam Acolytho reddit, intonata vel incepta Antiphona tertia vice. Postquam Episcopus intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Omnis terra* etc., Diaconus porrigit ei thuribulum, quod recipit postquam Episcopus tertia vice, intonata vel incepta Antiphona: *Omnis terra* etc., Altare thurificaverit super mensam in modum Crucis.

2987. — Responso a Choro v?l ab Adstantibus: *Deo gratias* post: *Benedicamus Domino,*

I. - Si Episcopus Ordinarius sit et:

a) Missam non celebret, nec Missae solemni assistat, mitram ei Diaconus imponit, si uti Cruce nequit; benedictione impertita, Diaconus Indulgentiam publicat (v. n. 2913), sed in formulae lectione omittit verba: *Ecclesiam hanc et;* publicata Indulgentia, mitram Episcopo imponit, si uti Cruce potest, dein ambo procedunt ad Thronum, vel ad Faldistorium; quo cum pervenerint, Diaconus Episcopo sedenti mitram aufert, ac postea, adiuvante Subdiacono, illum paramentis exuit. Reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, ambo se ei inclinant vel genuflectunt et in Sacristiam se conferunt.

b) Missam sine cantu celebret, mitram ei Diaconus imponit ac postea ambo cum eo ad Faldistorium procedunt; quo cum pervenerint, se ei inclinant vel genuflectunt et ad Sacristiam se conferunt.

II. - Si Ordinarius non sit et:

a) Missam sine cantu celebret, ambo se gerunt ut supra.

b) Missae solemn! vel lectae assistat, mitram ei Diaconus imponit; ambo procedunt ad Faldistorium et se gerunt ut supra.

Articulus V.

De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis deque Presbytero Altare thurificaturo in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2988. — I. - De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis. — Presbyteri, dum Episcopus incipit aspergere Altare, procedunt ad Sacristiam et assumunt paramenta, deinde se conferunt ad Sacellum, in quo expositae sunt SS. Reliquiae, et sistunt duo in cornu Evangelii, duo in cornu Epistolae.

Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona:*Cum facunditate* etc., sumunt Feretrum et procedunt ad Altare consecrandum; quo cum pervenerint, deponunt Feretrum super mensam, in cornu Evangelii, et in lateribus consistunt, donec Episcopus inunxerit quatuor angulos parvi sepulcri; tunc Feretrum elevant et suppedaneum conscendunt.

Accepta ab Episcopo Capsula cum SS. Reliquiis, Presbyteri tradunt Feretrum duobus Clericis, de Altari descendunt, se ad Sacristiam conferunt, ubi sacra deponunt paramenta.

II. - De Presbytero Altare thurificaturo. — Presbyter se gerit ut sub n. 2944, III, sed repetita Antiphona: *Unxit te* etc., post Psalmum 44: *Eructavit* etc., Altare conscendit et Episcopo thuribulum praesentat pro impositione et benedictione incensi; receptam naviculam a Diacono Thuriferario tradit et, intonata ab Episcopo Antiphona: *Aedificavit* etc., pariter se gerit ut sub eodem numero.

Articulus VI.

De Caeremoniario in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2989. — Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius, cum annuntiatur Episcopi adventus, signum dat eum associandi. Fit more solito aspersio aquae benedictae. Facta brevi oratione ad Altare SS. Sacramenti, omnes procedunt ad Altare dedicandum.

Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: Ne reminiscaris, Caeremoniarius distribuit Clericis paramenta Episcopi.

Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: Introibo ad Altare etc., si Functio peragitur sine cantu, tunc post primum Versiculum Psalmi 42: Indica me, Deus etc., repetitur tota praedicta Antiphona et ita post unumquemque Versiculum ne Ritus prosequatur absque Psalmi recitatione. Eamdem monitionem faciat cum sint recitandi sequentes Psalmi: 83: *Quam dilecta etc.; 91: Bonum est confiteri etc.; 44: Eructavit cor* etc.; 45: *Deus noster* etc.

Deficientibus Cantoribus, Caeremoniarius praemoneat Clericos ut inceptam ab Episcopo Antiphonam: *Asperges* etc., prosequantur et subiungant tres primos Versiculos Psalmi 50: *Miserere* etc.; prima aspersione peracta, postquam Episcopus inceperit iterum Antiphonam: *Asperges* etc., pariter eam prosequantur et subiungant tres Versiculos Psalmi 50: *Miserere* etc., et ita se gerant in reliquis aspersionibus, sed post sextam aspersionem, recitata Antiphona: *Asperges* etc., subiungant duos ultimos Versiculos Psalmi 50: *Miserere* etc., nec addant: *Gloria Patri* etc.

In Processione ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae idem servatur ordo sub n. 2955 descriptus. In Processione vero ad Altare dedicandum, si SS. Reliquiae deferantur a quatuor Sacerdotibus, servetur ordo descriptus sub n. 2958.

2990. — Si vero Urna SS. Reliquiarum ab ipso Episcopo deferatur, tunc servetur sequens ordo:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios intorticia deferentes;
2. Cantores;
   Clerus;
   Minister baculi;
5. Thuriferarius;
6. Episcopus, medius inter Diaconum et Subdiaconum;
   Minister mitrae;
8. Ministri libri et candelae;
9. Clerici deferentes intorticia incedunt ad latera sacrorum Ministrorum.

2991. — SS. Reliquiis in parvum sepulcrum occlusis, Caeremoniarius innuit Clericis intorticia deferentibus ut ad Sacristiam pergant et Clerico ut cereos collocatos super abacum, in quo depositum fuerit Feretrum, exstinguat; curet etiam ut ab Altari amoveantur quae ad sepulcrum claudendum opus fuerunt.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Dirigatur oratio nostra* etc., praemoneat duos Clericos ut colligant spongiis aquam sacratam quae in Altari supererit, ipsumque Altare abstergant et mantilibus e tela rudi exsiccent. Curet etiam Caeremoniarius ut gossypium, quo Episcopus absterserit unctiones et pollicem, in concha ponatur.

Absterso Altari, Caeremoniarius innuit Episcopo ut imponat et benedicat incensum atque ad Altare redeat; innuit quoque Sacerdoti designato ad prosequendam thurificationem Altaris ut accedat ad ipsum Altare.

Decantata ab Episcopo Oratione: *Descendat, quaesumus etc.,* Caeremoniarius praemoneat Ministros sacros ut elatum sustineant pluviale Episcopi cum ille expandit et illinit Olea sacra super mensam.

Si Altaris consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimae et Festum Paschae omittitur: *Alleluia* ante Versiculum: *Veni, sancte Spiritus* etc.

Post Orationem: *Domine sancte, Pater omnipotens* etc., statini Episcopus subiungit: *Oremus,* et, responso a Subdiacono: *Levate,* Orationem: *Deus omnipotens* etc., et Praefationem.

Curet Caeremoniarius ut, post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc., duo Clerici in sacro Ordine constituti diligenter spongiis colligant Olea sacra super Altare, in stipite ac in angulis diffusa et illud mantilibus abstergant. Curet etiam ut omnia rite disponantur pro benedictione tobalearum aliorumque Altaris ornamentorum.

in die dedicationis Altaris dicitur Missa ut in Dedicatione Ecclesiae cum Orationibus, quae post eamdem Missam in Missali inveniuntur, quibus additur sub unica conclusione Oratio Mysterii, vel Sancti, in cuius honorem Altare dedicatur, sed si occurrat Officium Missas votivas pro re gravi excludens (v. n. 1515) dicitur Missa diei cum Commemoratione, sub unica conclusione, Dedicationis Altaris et Mysterii, vel Sancti, in cuius honorem Altare dedicatur.

Ut rite et expedite Ritus Altaris consecrationis persolvatur, Caeremoniarius prae oculis summarium huius Functionis habeat schematica forma redactum sub n. 2998.

Articulus VII.

De Ministris libri et candelae in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione

2992. — Hi Ministri

accedunt ad Episcopum:	ab eodem recedunt:
cum ille ad faldistorium pervenerit;	incepta ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc.;
postquam ille acceperit mitram et baculum;	repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc.;
cum Episcopus ante Altare pervenerit et absoluta Oratione: *Actiones nostras* etc.; si Functio peragatur sine cantu genuflectunt ante eum; ,	absoluta Oratione: *Actiones nostras* etc., si Functio peragatur cum cantu;
recitato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgunt et postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc., iterum genuflectunt; completis Litaniis surgunt;	postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc., si Functio peragatur cum cantu, alias, absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., postquam Episcopus vinum in aquam miserit;
absoluto Psalmo 42: *Indica me, Deus* etc.;	completa Oratione: *Singulare illud* etc.;
post septimam Altaris aspersionem;	benedicto coemento;

priusquam Episcopus ingrediatur Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae;

quum Episcopus pervenerit ante SS. Reliquias;

quum Episcopus ad Altare pervenerit, depositis super abacum SS. Reliquiis;

si Functio peragatur cum cantu, repetita Antiphona: *Exaltabunt* etc.;

repetita Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc.;

post cantum vel recitationem Antiphonae: *Stetit Angelus* etc.;

postquam secundo, tertio, et quarto recitatum fuerit Responsorium: *Dirigatur* etc.;

absoluto Psalmo 86: *Fundamenta* etc.;

post Orationem: *Aufer a nobis* etc.;

absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus* etc.;

si Functio peragatur cum cantu, intonata Antiphona: *Exultabunt;* alias postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc.;

post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc.;

completa Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc.;

absoluta Oratione: *Dirigatur oratio* etc.;

postquam Episcopus inceperit respective Antiphonas: *.Mane surgens; Unxit; Sanctifieavit;*

benedicto thure cremando super Altare;

accensis omnibus Crucibus e gossypio cerato;

incepta Antiphona: *Confirmahoc, Deus* etc.;

absoluto Psalmo 67: *Exsurgat Deus* etc.;

post Orationem: *Maiestatem tuam* etc.;

inunctis coniunctionibus mensae;

post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc.;

lotis et abstersis ab Episcopo manibus, ad Caeremoniarii nutum;

incepta Antiphona: *Circumdate, Levitae* etc.;

thurificato ab Episcopo Altari.

responso a Choro vel ab Adstantibus: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* si Episcopus benedictionem impertiat.

Articulus VIII.

De Ministris mitrae et baculi in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2993. — Quum Episcopus pervenerit ad Altare consecrandum, Ministri pergunt ad Sacristiam, ubi assumunt vimpam, ac postea ad Altare revertuntur et a Caeremoniario accipiunt mitram et baculum.

I. - De Ministro mitrae. — Minister mitrae

mitram Diacono porrigit:

ab eodem recipit:

sumpto ab Episcopo pluviali;

cum Episcopus coram Altari pervenerit;

post Orationem: *Actiones nostras* etc.;

completis Litaniis;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Deus, in adiutorium* etc., *Gloria Patri* etc.;

completa Oratione: *Domine Deus, Pater omnipotens* etc.;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;

incepta Antiphona: *Asperges me* etc.;

coemento benedicto;

post Orationem: *Au/er a nobis* etc.;

si Episcopus ipse deferat SS. Reliquias, incepta Antiphona: *Cum iucunditate* etc., alias post Orationem: *Fac nos, quaesumus Domine* etc.;

absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc.;

SS. Reliquiis thurificatis;

absoluto salis Exorcismo;

aqua exorcizata;

postquam Episcopus fecerit quinque Cruces aqua sacrata super mensam Altaris;

septima aspersione absoluta, vel postquam Episcopus maltham fecerit;

antequam Episcopus ingrediatur Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae;

cum Episcopus pervenerit ante SS. Reliquias;

completo Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc.;

postquam Episcopus signaverit sepulcrum Altaris in quatuor angulis, si SS. Reliquiae delatae fuerint a Sacerdotibus,alias cum Episcopus pervenerit coram SS. Reliquiis;

recitata Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc.;

post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc.;

incepta Antiphona: *Stetit Angelus* etc.;

post Orationem: *Dirigatur oratio* etc.;

incepta Antiphona: *Mane surgens* etc.;

incepta Antiphona: *Unxit te Deus* etc.;

incepta Antiphona: *Sanctificavit* etc.;

aspersis granis thuris;

incepta Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc.;

post Orationem: *Maiestatem tuam* etc.;

absoluta Oratione: *Supplices te deprecamur* etc.;

aspersis Altaris ornamentis;

imposito ac benedicto incenso;

repetita Antiphona: *Stetit Angelus* etc.;

absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., secundo;

absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., tertio;

absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., quarto;

post invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.;

cum Episcopus pervenerit ad Faldistorium;

completo Psalmo 67: *Exsurgat* etc.;

postquam Episcopus inunxerit in modum Crucis conjunctiones mensae Altaris;

cum Episcopus ad abacum pervenerit;

cum Episcopus pervenerit ante infimum Altaris gradum.

responso a Choro, vel ab Adstantibus: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino.*

Si vero Episcopus uti Cruce possit et benedictionem immediate impertiat, tunc, benedictione donata.

II. - De Ministro baculi. — Minister baculi

porrigit Episcopo baculum:

ab eodem recipit:

assumptis ab Episcopo paramentis et mitra;

cum pervenerit coram Altari;

post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc.;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc.;

responso tertio: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc.;

cum Episcopus ad abacum pervenerit;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;

cum Episcopus pervenerit ante infimum Altaris gradum;

post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., si maltha facienda, alias, benedicto coemento;

antequam Episcopus ingrediatur Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt;

post Orationem: *Aufer a nobis* etc.;

cum Episcopus pervenerit ante SS. Reliquias;

incepta Antiphona: *Cum iucunditate* etc., si SS. Reliquiae deferantur a Sacerdotibus, alias

postquam Episcopus super mensam SS. Reliquias deposuerit;

cum ad Altare dedicandum per. venerit;

si Episcopus ipse SS. Reliquias detulerit, postquam duplicem unctionem in quatuor angulis parvi sepulcri fecerit;

cum ad mensam Episcopus pervenerit;

completa Oratione: *Dirigatur oratio* etc.;

cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit;

imposito ac benedicto incenso;

ante infimum Altaris gradum;

dum accenduntur Cruces e gossypio cerato;

cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit;

absoluta Oratione: *Supplices te deprecamur* etc.;

cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit;

ad nutum Caeremoniarii;

cum ad abacum pervenerit;

aspersis Altaris ornamentis;

cum ad Faldistorium pervenerit;

imposito ac benedicto incenso.

cum Episcopus ante infimum Altaris gradum pervenerit.

Responso a Choro, vel ab Adstantibus: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* Ministri, si Episcopus benedictionem solemnem impertiat, se gerunt more solito; alias Minister baculi porrigit ei baculum.

Non semper aliquot de causis haberi possunt tot Ministri inferiores quot huius Ritus munera, propterea uni Ministro plura assignamus munera et Ministri vocabuntur: Crucifer, Ceroferarii, Acolythus, Minister aquae benedictae, Thuriferarius, Clericus primus, Clericus secundus.

Articulus IX.

De Crucifero deque Ceroferariis in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2994. — Assumptis ab Episcopo paramentis sacris, **Crucifer** et Ceroferarii procedunt ad Sacristiam ubi sumunt Crucem et intorticia, dein ad Altare revertuntur et apud abacum consistunt.

Quum Episcopus, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., surgit, Crucifer et Ceroferarii se conferunt in cornu Epistolae, ibique consistunt ita ut Episcopus Crucem aspicere possit.

Quando Episcopus accedit ad abacum aquam consecraturus, et ipsi ad abacum accedunt ac consistunt e regione Episcopi, si possibile, vel versus eiusdem dexteram. Aqua consecrata, **Crucifer** et Ceroferarii praecedunt Episcopum ad Altare et consistunt in cornu Epistolae.

Intonata, vel incepta, ab Episcopo Antiphona: *Asperges* etc., si Altare commode circumiri possit, praecedunt Episcopum, alias in eodem loco consistunt. Coemento benedicto, accedunt ad locum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerint, ante portam vel cancellos subsistunt, renibus vel portae vel Sacello versis; absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc., Sacellum ingrediuntur et consistunt apud Altaris cancellos.

Intonata, vel incepta, Antiphona: *Cum iucunditate* etc., ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad Altare consecrandum et consistunt ut prius.

Intonato vel incepto ab Episcopo Responsorio: *Dirigatur* etc., si possibile, praecedunt Episcopum Altare thurificantem et circumeunt illud ter, alias eodem consistunt loco et ita se gerunt postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Responsorium: *Dirigatur* etc. secundo et tertio, sed, hac vice, unum tantum circuitum perficiunt. Intonato vel incepto Responsorio: *Dirigatur* etc. quarto, incipiunt circumire a latere Evangelii. Lotis et abstersis ab Episcopo manibus, Crucifer et Ceroferarii se conferunt ante Episcopum, ibique consistunt dum benedicit tobaleas aliaque Altarium ornamenta; quibus benedictis, procedunt ad abacum, ibique consistunt usque ad: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* vel usque ad publicationem Indulgentiae inclusive, si Episcopus, completo Ritu, benedictionem impertiat.

Articulus X

De Thuriferario deque Acolytho in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2995. — I. - De Thuriferario. — Dum Episcopus benedicit coementum, Thuriferarius accedit ad Sacristiam, sumit thuribulum cum navicula et se confert ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae. Absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus* etc., thuribulum Episcopo praesentat. In Processione praecedit immediate SS. Reliquias, et cum ad Altare pervenerit consistit apud SS. Reliquias, versus Altare. Postquam Episcopus SS. Reliquias in sepulcro reposuerit, Thuriferarius se gerit ut sub n. 2965, sed dum dicitur Psalmus 86: *Fundamenta* etc., suo loco consistit et, omnibus Crucibus e gossypio cerato accensis, thuribulum a Sacerdote recipit, ac postea se gerit ut sub eodem numero.

II. - De Acolytho. — Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., Acolythus sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali, ad Faldistorium pergit; postquam Diaconus Crucem e lance sumpserit, defert eamdem lancem ad abacum.

Litaniis Sanctorum absolutis, Acolythus sumit ex abaco lancem cum sale et se confert ad dexteram Diaconi; immisso sali in aquam, reponit super abacum lancem ac sumit tabellam n. 1 signatam; absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., se confert in cornu Evangelii, suppedaneum conscendit, tabulamque porrigit Subdiacono a quo recipit, aspersionibus ab Episcopo super mensam peractis, et defert ad abacum ex quo sumit tabellam signatam n. 2; iterum ad sinistram se confert Subdiaconi, cui tabellam tradit et ab eo recipit, intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc. Quum Episcopus redit in medium Altaris, aspersione peracta, rursus Subdiacono porrigit tabellam et ita deinceps se gerit donec Episcopus septies intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Asperges me* etc., dein ad abacum defert tabellam.

Dum Episcopus ante Altare dedicandum recitat Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., sumit ex abaco tabellas signatas n. 3, 4, 5 et 6; Oratione completa, Subdiacono tradit tabellam n. 3 a quo recipit, unctionibus peractis; eamdem tabulam porrigit Subdiacono postquam Episcopus conversus fuerit ad Altare cum SS. Reliquiis, eamque recipit, intonata vel incepta Antiphona: *Sub Altare*

Dei sedes etc. Postquam Episcopus thurificaverit SS. Reliquias in sepulcro occlusas, porrigit Subdiacono tabellam n. 4, a quo recipit postquam Episcopus inceperit Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc. Completa Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., tradit Subdiacono tabellam n. 5, a quo recipit postquam Episcopus signaverit s. Chrismate super tabulam et sepulcrum in modum Crucis et statim porrigit tabellam n. 6, a quo recipit, imposito ac benedicto incenso; dein tradit tabellam n. 7, eamque recipit postquam Episcopus cantaverit, vel dixerit: *Stetit Angelus* etc.

Sedente Episcopo in Throno vel in Faldistorio, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 8 (quae est eadem n. 6 signata), eamque recipit post impositionem et benedictionem incensi, deinde se confert ad cornu Evangelii; postquam Episcopus thurificaverit mensam in medio et in quatuor angulis, tradit Subdiacono tabellam signatam n. 9 (quae est eadem signata n. 6 etc.); qua recepta, porrigit illam signatam n. 10, et, intonato, vel incepto Responsorio: *Dirigatur* etc., eam recipit. Altari thurificato, Subdiacono tradit tabellam n. II eamque recipit, intonata Antiphona: *Erexit Iacob* etc., statimque tradit tabellam n. 12.

Peractis unctionibus, Acolythus recipit tabellam n. 12 et eidem porrigit tabellam n. 13 (quae eadem est signata n. 6 etc.); qua recepta, tradit tabellam n. 14 (quae eadem est signata n. 10 etc.) quam recipit postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Responsorium: *Dirigatur* etc.

Intonata Antiphona: *Mane surgens* etc., Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 15 (eadem est n. 12 etc.) eamque recipit, unctionibus peractis, et tradit tabellam n. 16 (eadem est n. 6 etc.); qua recepta, statim porrigit tabellam n. 17 (eadem est n. 10 etc.), et eam recipit, intonato Responsorio: *Dirigatur* etc.

Postquam Episcopus intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Unxit te Deus* etc., Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 18 (eadem est n. 12 etc.), quam recipit, unctionibus peractis, et porrigit tabellam n. 19 (eadem est n. 6 etc.); qua recepta, porrigit tabellam n. 20 (eadem est n. 10 etc.) quam recipit intonato vel incepto Responsorio: *Dirigatur* etc.

Peruncta tota mensa Oleis sacris, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 21, eamque recipit post intonationem Antiphonae: *Ecce odor* etc.

Dum Episcopus format Cruces granis incensi, Acolythus sumit ex abaco gossypium ceratum et expedite accendit Cruces e gossypio cerato granis superimpositas.

Post Orationem: *Maiestatem tuam* etc., porrigit Subdiacono tabellam n. 22, eamque recipit postquam Episcopus inunxerit conjunctiones mensae.

Acolythus una cum Ministro aquae benedictae extendit super Altare chrismate et tobaleas; collocat candelabra cum cereis, candelas accendit.

Quum Episcopus ad Altare accedit, absoluto Psalmo 62: *Deus, Deus meus* etc., Acolythus et ipse ad Altare accedit et Subdiacono tradit tabellam n. 23, a quo recipit postquam Episcopus tertio intonaverit, vel inceperit, Antiphonam: *Omnis terra* etc.

Articulus XI.

De Ministro aquae benedictae, de Clerico primo et secundo deque Clericis intorticia gestaturis in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2996. — I. - De Ministro aquae benedictae. — Minister, ad nutum Caeremoniarii, sumit vasculum cum aspersorio et procedit cum ceteris ad Episcopum associandum; aspersione peracta, defert vasculum ad abacum prope Altare dedicandum.

Postquam Episcopus dixerit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., Minister extrahit parvum vasculum aquae sacratae, illud defert ad Altare et consistit ad Diaconi dexteram; aspersionibus super mensam ab Episcopo peractis, effundit in vasculum aquam sacratam, dein vasculum ipsum et aspersorium sumit, ad Altare revertitur et consistit ad dexteram Diaconi, dum Episcopus Altare aspergit.

Aspersionibus peractis, Minister defert ad abacum vasculum cum aspersorio, et, postquam Episcopus benedixerit coementum, residuum aquae sacratae effundit ad basim stipitis Altaris. Si vero multa aquae copia supersit, tunc effundit exiguam quantitatem; residuum, completa Functione, in Sacrarium effundit.

Effusa aqua ad basim stipitis Altaris, Minister procedit cum ceteris ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Minister, dum Episcopus dicit Orationem: *Deus, qui in omni* etc., sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis; completa Oratione, suppedaneum conscendit, Diacono vasculum porrigit, a quo recipit postquam Episcopus inunxerit sepulcrum in quatuor angulis, dein descendit et consistit in cornu Epistolae. Thurificatis SS. Reliquiis, Minister iterum suppedaneum conscendit, Diacono tradit vasculuni

quod recipit, inuncto sepulcri operculo, ac postea de Altari descendit et in cornu Epistolae consistit. Absoluta Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., rursus Altare ascendit, Diacono porrigit vasculum s. Chrismatis, a quo recipit, postquam Episcopus signaverit mensam ac sepulcrum, dein vasculum ad abacum defert.

Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Erexit* etc., Minister sumit ex abaco vasculum Olei Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossypio et accedit ad dexteram Diaconi, cui porrigit vasculum et ab eodem recipit postquam Episcopus signaverit quinque Cruces super mensam; iterum vasculum Diacono tradit, intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Mane surgens* etc. Signatis ab Episcopo aliis quinque Crucibus super mensam, recipit a Diacono vasculum, quod super abacum deponit.

Post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod* etc., Minister sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis et illud tradit Diacono, a quo recipit postquam Episcopus signaverit quinque Cruces super mensam, deinde deponit vasculum super abacum, ex quo sumit ampullam Olei Catechumenorum et ampullam s. Chrismatis. Antiphona: *Sanctificavit* etc. ab Episcopo intonata, vel incepta, porrigit ampullas Diacono; ampullas recipit postquam Episcopus sacra Olea super mensam effuderit.

Dum Episcopus recitat Orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., sumit ex abaco vasculum aquae benedictae; granis thuris aspersis, deponit vasculum super abacum ex quo, intonata, vel incepta Antiphona: *Confirma* etc., sumit vasculum s. Chrismatis et se ad dexteram Diaconi confert. Peractis unctionibus ad coniunctiones mensae, deponit vasculum super abacum, ex quo sumit vasculum aquae benedictae et se ad dexteram Diaconi confert, lotis et abstersis ab Episcopo manibus.

Postquam Episcopus asperserit tobaleas et alia Altaris ornamenta, Minister defert vasculum ad abacum, dein una cum Acolytho extendit super Altare chrismate et tobaleas ac postea collocat Crucem.

II. - De Clerico primo et secundo. — Hi Clerici, statuta hora, accedunt ad Sacristiam et adiuvant Ministros sacros in sumendis sacris vestibus; ad nutum Caeremoniarii, procedunt cum iisdem Ministris ad Altare dedicandum et apud abacum consistunt.

Quum Episcopus pervenerit ad Faldistorium, Clerici a Caeremoniario paramenta accipiunt et ante Episcopum se conferunt.

Quum vero Episcopus, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., surgit, transferunt Faldistorium in medium Presbyterium, quod

amovent, absolutis Litaniis Sanctorum, deinde Clericus primus collocat super pavimentum pulvinum longe ab Altari quinque aut sex passus, et postquam Episcopus tertio decantaverit, vel recitaverit: Deus, *in adiutorium* etc., e pavimento pulvinum tollit et reponit pristino in loco.

Dum Episcopus incipit Altare aspergere, Clericus primus et secundus, nisi adsint Clerici intorticia gestaturi, ad Sacristiam se conferunt, ibique adiuvant Presbyteros in sumendis sacris paramentis.

in Processione, nisi intorticia deferant, incedunt post Cantores, si adsint, alias post Cruciferum et Ceroferarios.

Postquam Episcopus sumpserit Capsulam cum SS. Reliquiis, Clerici accipiunt Feretrum de manibus quatuor Presbyterorum illudque in Sacristiam deferunt, ac postea, nisi adsint Clerici qui intorticia detulerunt, adiuvant Presbyteros in deponendis sacris paramentis, et ad Altare revertuntur.

Dum recitatur Oratio: *Dirigatur oratio* etc., nisi Episcopus uti possit Throno et Thronus sit erectus, collocant Faldistorium ante infimum Altaris gradum, versus Epistolae latus, dein sumunt concham et accedunt ad Altare. Positis a Clericis in sacro ordine constitutis spongiis ac mantilibus in concha, deferunt concham apud abacum. Quum Episcopus ad Altare procedit, Clerici Faldistorium amovent.

Dum Episcopus recitat invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Clericus primus sumit ex abaco lancem cum granis thuris et accedit ad Episcopum; aspersis granis thuris, se confert ad Altare et consistit ad dexteram Diaconi; interim Clericus secundus sumit ex abaco lancem cum Crucibus e gossypio cerato, accedit ad Altare et consistit ad dexteram Clerici primi.

Postquam Clerici deposuerint lances super abacum, statuunt Faldistorium in medio Presbyterio et ante illud Clericus primus pulvinum collocat.

Combustis candelis et thure, Clericus primus defert ad Altare lancem, alter ligneas spatulas; ambo spatulis colligunt cineres et eradunt ceram ac in lance utrumque ponunt, dein Clericus primus infundit in concham.

Ambo, extensis super Altare tobaleis, collocant candelabra cum cereis.

111. - De Clericis intorticia gestaturis. — Clerici quatuor se gerunt ut sub n. 2968, II notavimus, sed ad Sacristiam procedunt, dum Episcopus incipit Altare aspergere.

Articulus XII.

De Clero deque Cantoribus in consecratione Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione.

2997. — Statuta hora, Clerus et Cantores accedunt ad Sacristiam, ibique induunt superpelliceum. Innuente Caeremoniario, procedunt ad Episcopum associandum; cum ille pervenerit, si Ordinarius loci, omnes, exceptis Canonicis Ecclesiae Cathedralis, genuflexionem faciunt, alias se ei inclinant. Quum Episcopus in Faldistorio sedet, omnes ad latera eiusdem Faldistorii subsistunt.

Incepta ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., omnes prosequuntur recitare, absque cantu et pausatim, Psalmos Poenitentiales, quorum recitatione completa, Episcopus tantum repetit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Adesto* etc., Cantores eam prosequuntur et, absoluta Oratione: *Actiones nostras* etc., omnes genuflectunt; duo Cantores, innuente Caeremoniario, incipiunt canere Litanias Sanctorum, quibus adstantes respondent.

Si nomina Sanctorum quorum Reliquiae in Altari clauduntur et nomen Sancti in cuius honorem Altare dedicatur adsint in Litaniis, repetuntur; si vero eorum nomina in Litaniis non inveniuntur, tunc invocantur bis, iuxta ordinem hierarchicum, ante Versiculum omnibus communem v. g.: *Omnes Sancti Martyres; Omnes Sancti Pontifices et Confessores* etc.

Si Altare dedicatur Beatae Mariae Virgini, sub quovis titulo, repetitur Versiculus: *Sancta Maria;* si cuidam Mysterio de vita aut de Passione Christi, repetitur Versiculus: *Fili Redemptor mundi Deus;* si Spiritui Sancto: *Spiritus Sancte Deus;* si Deo uni ac trino: *Sancta Trinitas unus Deus.*

Decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Cantores abrumpunt cantum, quem reassumunt postquam Episcopus in Faldistorio iterum genuflexerit.

Completis Litaniis, omnes surgunt et, decantatis ab Episcopo verbis: *Deus, in adiutorium* etc., Cantores respondent: *Domine, ad adiuvandum* etc., et pariter respondent: *Sicut erat* etc., ad: *Gloria Patri* etc. Id faciunt secundo ac tertio efferentes vocem hemitonio singulis vicibus. Omnes genuflectunt et surgunt quando Episcopus genuflectit ac surgit. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Introibo ad Altare* etc. Cantores prosequuntur, dein intonant Psalmum 42:

Iudica me, Deus etc. In fine Psalmi non dicitur: *Gloria Patri* etc., sed Antiphona repetitur.

Postquam Episcopus Antiphonam: *Asperges me* etc., post Orationem: *Singulare illud* etc. intonaverit, Cantores eam prosequuntur cum tribus primis Versiculis Psalmi 50: *Miserere* etc.; iterum ab Episcopo intonatam Antiphonam: *Asperges me* etc. prosequuntur cum tribus sequentibus Versiculis Psalmi, et ita se gerunt in reliquis aspersionibus, sed post sextam aspersionem, decantata Antiphona: *Asperges me* etc., subiungunt duos ultimos Versiculos Psalmi et non addunt: *Gloria Patri* etc.

Benedicto coemento, omnes procedunt, innuente Caeremoniario, post Crucem ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; extra Sacellum subsistunt et se distribuunt in duas alas, facie ad invicem conversa. Absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc., Sacellum ingrediuntur.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Cum iucunditate* etc. Cantores prosequuntur; in Processione canunt reliquas Antiphonas ut in Pontificali Romano.

Quum Processio pervenerit ad Altare dedicandum, omnes disponuntur in semicirculum circa Altare, Dignioribus prope Episcopum stantibus; postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Exultabunt* etc., Cantores eam prosequuntur, dein canunt Psalmum 149: *Cantate Domino* etc., et 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc., absque: *Gloria Patri* etc. Post Psalmos repetunt Antiphonam: *Exaltabunt* etc. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., Cantores eam prosequuntur; pariter prosequuntur Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., postquam ab Episcopo intonata fuerit; canunt etiam Antiphonam: *Corpora Sanctorum* etc. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Stetit Angelus* etc. Cantores prosequuntur et ita prosequuntur Responsorium: *Dirigatur* etc., postquam intonatum fuerit ab Episcopo. Post intonationem Antiphonae: *Erexit Iacob* etc., Cantores eam prosequuntur cum Psalmo 83: *Quam dilecta* etc., cuius in fine repetitur Antiphona loco: *Gloria Patri* etc., et postquam Episcopus iterum intonaverit Responsorium: *Dirigatur* etc., Cantores illud prosequuntur.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Mane surgens etc.* Cantores eam prosequuntur, dein canunt Psalmum 91: *Bonum est confiteri* etc., absque *Gloria* etc. Intonatum ab Episcopo denuo Responsorium: *Dirigatur* etc. prosequuntur, itemque prosequuntur Antiphonam: *Unxit te Deus* etc., dein canunt Psalmum 44: *Eructavit* etc., pariter absque *Gloria* etc. Postquam Episcopus intonaverit

Responsorium: *Dirigatur* etc., illud prosequuntur et similiter prosequuntur Antiphonam: *Sanctificavit* etc., ac postea canunt Psalmum 45: *Deus noster* etc., absque *Gloria* etc. Post vero cantum Antiphonae: *Ecce odor* etc., canunt Psalmum 86: *Fundamenta* etc., absque *Gloria* etc.

Crucibus e gossypio cerato accensis, Cantores prosequuntur intonatum Versum: *Alleluia. Veni, sancte Spiritus* etc.; a Dominica Septuagesimae ad Pascha omittitur: *Alleluia* ante Versum.

Postquam decantaverint: *Veni, sancte Spiritus* etc., canunt Antiphonas: *Ascendit* etc.; *Stetit Angelus* etc. Ad Praefationem Cantores respondent more solito. Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Confirma hoc Deus* etc. prosequuntur, deinde canunt Psalmum 67: *Exurgat Deus* etc., in cuius fine dicitur: *Gloria Patri* etc., sed Antiphona non repetitur. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc. eam prosequuntur cum reliquis Responsoriis ut in Pontificali, dein canunt Psalmum 62: *Deus, Deus meus* etc. Quo absoluto, prosequuntur intonatam Antiphonam: *Omnis terra* etc.

Si Functio peragatur sine cantu, omnes de Ciero recitant omnia quae Cantores canere debent, sed Litanias Sanctorum Episcopus ipse recitat, omnibus adstantibus respondentibus.

Inceptam ab Episcopo Antiphonam: *Introibo ad Altare* etc. omnes prosequuntur; deinde recitant Psalmum 42: *Iudica me, Deus* etc., et si necesse fuerit, ne Ritus peragatur absque Psalmi recitatione, post primum Versiculum repetitur tota praedicta Antiphona et ita post unumquemque Versiculum. In fine Psalmi non dicitur: *Gloria Patri* etc., sed Antiphona repetitur. Pariter se gerunt cum recitandi sint sequentes Psalmi: 83: *Quam dilecta* etc.; 91: *Bonum est* etc.; 44: *Eructavit cor* etc.; 45: *Deus noster* etc.

Summarium Ritus consecrationis Altaris fixi seu immobilis sine Ecclesiae dedicatione

2998. — Adventus Episcopi ad Ecclesiam. — Aspersio aquae benedictae. — Episcopus, adorato SS. Sacramento, procedit ad Altare dedicandum. — Episcopus, facie ad Altare versa, incipit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. — Lotio Episcopi manuum. — Episcopus assumit paramenta. — Episcopus tantum repetit An-

tiphonam: *Ne reminiscaris* etc. — Episcopus procedit ante Altare et consistit convenienti distantia. — Antiphona: *Adesto;* Oratio: *Actiones nostras* etc. — Si Functio peragatur sine cantu, Episcopus ipse Litanias Sanctorum recitat, adstantibus respondentibus. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit. — Postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc., baculum dimittit, iterum genuflectit. — *Deus, in adiutorium* etc. Episcopus ter canit, vocem elevans secunda et tertia vice.— Benedictio aquae, cinerum et vini. — In suppedaneo Altaris Episcopus incipit Antiphonam: *Introibo* etc., quinque Cruces facit super mensam, aqua sacrata. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (infra, brevitatis causa, notabimus: *O. F. L.).* — Post Orationem: *Singulare illud* etc., incipit Antiphonam: *Asperges me* etc., et septies mensam aspergit. — Post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., Episcopus benedicit coementum. — Processio ad Sacellum SS. Reliquiarum. — Ante Sacelli ingressum: *O. F. L.* — Post Orationem: *Fac nos, quaesumus* etc., impositio et benedictio incensi, absque mitra si Episcopus ipse SS. Reliquias deferat, alias cum mitra. — Episcopus accipit mitram, incepta Antiphona: *Cum iucunditate* etc. — Si SS. Reliquiae deferantur a quatuor Presbyteris, tunc Episcopus, absoluta Oratione: *Fac nos* etc., mitram accipit, imponit et benedicit incensum, dein incipit Antiphonam: *Cum iucunditate* etc.; accepto baculo, procedit. — Processio ad Altare dedicandum. — Depositis SS. Reliquiis super mensam et completis Antiphonis, Episcopus inchoat Antiphonam: *Exultabunt* etc. — Post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., Episcopus s. Chrismate in singulis quatuor angulis parvi sepulcri duplicem unctionem facit. — Si Episcopus ipse SS. Reliquias detulerit, se confert ad mensam; dimissa mitra, sumit ex lance Capsulam et ad Altare revertitur. — Si SS. Reliquiae a Presbyteris delatae fuerint, tunc, unctionibus peractis et dimissa mitra, ex Urna SS. Reliquias sumit, incipit Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., et Capsulam in sepulcro reponit.— Impositio et benedictio incensi. — Episcopus, triplici ductu, SS. Reliquias thurificat. — Episcopus inungit sepulcri operculum in modum Crucis. — Episcopus ponit coementum super sepulcri postem; accepto operculo, intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., claudit sepulcrum et firmat operculum coemento. — Post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., Episcopus s. Chrismate facit duplicem unctionem super Altaris mensam et sepulcrum comprehendens utrumque. — Impositio et benedictio incensi cum formula·. *Ab illo... In nomine Patris* etc. — Intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc., Episcopus

thurificat Altare undique. — Post Orationem: *Dirigatur oratio* etc., Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Clerici duo colligunt spongiis aquam sacratam et Altare mantilibus abstergunt. — Thure benedicto, Episcopus ad Altare revertitur; super eius mensam, in medio et in quatuor angulis, thurificat, nihil dicens, in modum Crucis. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Episcopus ter circuit Altare continue thurificans, dein tradit thuribulum Presbytero. — Episcopus intonat Antiphonam: *Erexit* etc.; quinque duplices unctiones in modum Crucis facit Oleo Catechumenorum super mensam, in medio et in quatuor angulis. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Altare semel circuit thurificans, dein Presbytero tradit thuribulum. — *O. F. L.* — Completa Oratione: *Adsit, Domine* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Mane surgens* etc., ac postea facit quinque Cruces, ut supra, Oleo Catechumenorum. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus, intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Altare thurificat, dein thuribulum tradit Presbytero. — *O. F. L.* — Post Orationes: *Adesto, Domine* etc., et: *Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod* etc., Episcopus incipit Antiphonam: *Unxit te Deus* etc., dein s. Chrismate alias quinque unctiones, ut supra, facit. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Episcopus thurificat Altare procedens ad suam sinistram, dein thuribulum Presbytero tradit. — *O. F. L.* — Post Orationem: *Descendat, quaesumus* etc., Episcopus incipit Antiphonam: *Sanctificavit* etc., dein effundit super mensam s. Chrisma et Oleum Catechumenorum coniunctim. — Lotio Episcopi manuum. — Episcopus incipit Antiphonam: *Ecce odor* etc. — Absoluto Psalmo 86: *Fundamenta* etc., absque: *Gloria* etc., Episcopus dicit: *Lapidem hunc* etc., ac postea incipit Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc. — Episcopus recitat: *Dei Patris omnipotentis* etc., mitram dimittit et benedicit thus super Altare cremandum. — Episcopus format quinque Cruces granis thuris, scilicet in medio mensae et in quatuor angulis, dein granis Cruces e gossypio cerato superimponit. — Clericus, dum Episcopus ad Faldistorium procedit, accendit Cruces e gossypio cerato. — Omnibus Crucibus accensis, Episcopus, genuflexus in Faldistorio, absque pileolo, incipit Antiphonam: *Alleluia* (non vero a Septuagesima ad Pascha) *Veni, sancte* etc. — Absoluto Versiculo, Episcopus reassumit pileolum, surgit. — Immediate post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., *O. F. L.* — Oratio: *Deus omnipotens* etc. — Praefatio. — Absoluta Praefatione, Episcopus ascendit suppe-

daneumet incipit Antiphonam: *Confirma* etc. — Stans Episcopus s. Chrismate Crucem signat in media parte anteriori stipitis. — Absoluta Oratione: *Maiestatem tuam* etc., Episcopus s. Chrismate inungit conjunctiones mensae stipiti in quatuor angulis. — Post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc., Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium, ibique lavat manus. — Clerici in s. Ordine constituti abstergunt Altare. — Benedictio tobalearum aliorumque Altaris ornamentorum. — Episcopus ad Altare conversus incipit Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc. — Altari ornato, Episcopus imponit et benedicit incensum. — Episcopus in suppedaneo incipit Antiphonam: *Omnis terra* etc., thurificat super Altaris mensam in modum Crucis; iterum incipit praedictam Antiphonam; Altare ut prius thurificat.— Episcopus, incepta praedicta Antiphona tertia vice, thurificat, ut supra, ac postea Diacono thuribulum tradit. — Episcopus post Orationes: *Descendat* etc., et: *Omnipotens* etc., dicit: *Dominus vobiscum,* et: *Benedicamus Domino.*

CAPUT IX.

DE PLURIUM ALTARIUM FIXORUM SEU IMMOBILIUM CONSECRATIONE

Articulus I.

De expositione SS. Reliquiarum pridie vespere.

2999. — Pro expositione SS. Reliquiarum praeparatur Sacellum in ipsa Ecclesia in qua consecranda sunt Altaria, vel etiam expositio haec fieri potest in Sacristia, vel in aliquo decenti loco ipsi Ecclesiae proximo.

Omnia parantur ut sub n. 2908, sed incensi granorum numerus correspondeat triplici numero Capsularum.

Ne confusio oriatur, opus est distinguere aliquo signo tum opercula sepulcrorum, tum Capsulas ad reponendas Reliquias in singulis Altaribus, tum chartulas continentes SS. Reliquias, tum nersamenas.

Functio peragitur ut sub n. 2909.

Articulus II.

De iis quae praeparanda sunt pro plurium Altarium consecratione.

3000. — 1. — In Sacello in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Super infimum Altaris gradum collocatur in medio pulvinus albi coloris.

Si Sacellum sit extra Ecclesiam et SS. Reliquiae deferantur a Sacerdotibus, tunc in loco convenienti parantur: quatuor planetae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus; thuribulum cum navicula; quatuor intorticia.

2. — In media Ecclesia.

A) — Si Altaria consecranda exstant tam in latere RESPONDENTI CORNU EVANGELII QUAM IN LATERE RESPONDENTI cornu Epistolae.

I. - Faldistorium ita collocatur ut Episcopus sedens, renes ad Ecclesiae portam vertat; ad latera Faldistorii statuuntur duo scabella nuda.

Ad sinistram Faldistorii, scilicet ad latus respondens cornu Evangelii Altaris maioris, praeparatur mensa, alba tobalea contecta, et super illam collocantur quatuor candelabra cum cereis.

Ad dexteram Faldistorii, scilicet ad latus respondens cornu Epistolae, parantur duo abaci, alba tobalea contecti.

II. - Super abacum versus Altare maius. — Collocantur: paramenta albi coloris pro Episcopo, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, formale in lance; mitra auriphrygiata; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; medulla panis et mali medici in lance; Pontificale Romanum; scotula cum candela; vascula Olei Catechumenorum et s. Chrismatis in lance; ampullae argenteae plenae praedictis s. Oleis, copia sufficienti cunctis Altaribus, pariter in lance; gossypium solutum; opercula sepulcrorum SS. Reliquiarum; quinque Cruces e gossypio cerato pro unoquoque Altari consecrando, pariter in lance: oportet quatuor capita Crucium iam arsa sint ut faciliter accendi possint; aliquantulum gossypium ceratum; spatulae ligneae, spongiae, manutergia e tela rudi sufficienti numero pro omnibus Altaribus consecrandis; vasculum ad hauriendam aquam pro aspersionibus Altarium; parvum vasculum ad hauriendam aquam pro quinque aspersionibus tantum super Altarium mensas;

aspersorium ex hyssopo; parva patera; trulla; tabellae cum formulis ut sub n. 2973 notavimus; formula Indulgentiae,

III. - Apud abacum. — Baculus pastoralis; hasta cum gossypio cerato; concha in qua reponentur quae purificanda vel in Sacrarium iniicienda.

IV. - Super alterum abacum. — Disponuntur quae benedicenda sunt, scilicet: vas amplum seu concha decens cum aqua; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris, pariter in lance; ampulla, vel exigua phiala, plena vini in pelvicula; pro unoquoque Altari, viginti quinque thuris grana aequalia et levigata ut superimponi possit Crux e gossypio cerato; copia sufficiens gypsi triti in lance cretacea; chrismale et tobaleae pro omnibus Altaribus consecrandis; disponuntur etiam vel supra abacum, vel prope illum: Crux, candelabra aliaque Altarium ornamenta.

B) — Si inter Altaria consecranda exstat etiam Altare maius, tunc servari potest dispositio ut sub n. 2974 vel etiam ut sub sequenti numero.

C) — Si omnia Altaria consecranda extant in eadem linea, tunc Faldistorium collocatur ut supra in media Ecclesia, sed ita ut Episcopus sedens convertat faciem ad Altaria consecranda; ad sinistram Faldistorii collocatur mensa in quo deponendum est Feretrum; ad dexteram duo abaci ut supra.

3. — Ad Altare SS. Sacramenti.

Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis vel violacei coloris, iuxta temporum diversitatem.

4. — In Sacristia.

Super mensam: stola diaconalis albi coloris; duo amictus ac totidem albae et cingula; vimpae pro Ministris mitrae et baculi.

Si pro translatione SS. Reliquiarum utatur Feretro, tunc parantur: quatuor planetae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus.

Congruo in loco, thuribuhdn cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; Crux processionalis et duo intorticia; parantur etiam quatuor intorticia, praesertim si translatio SS. Reliquiarum fiat super Feretrum.

Si Episcopus Missam celebret, post Altarium dedicationem, super praecipuam mensam praeparantur: Calix cum purificatorio; Patena,

hostia, palla, corporale in bursa albi coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula; Missale cum legili; Canon Pontificalis.

Haec omnia transferuntur super abacum apud Altare praecipuum nuper consecratum, praeterea super mensam eiusdem Altaris, postquam ornatum fuerit parantur planeta et manipulus albi coloris.

Si Missa de Communi Dedicationis Ecclesiae prohibeatur (v. n. 2991), tunc paramenta missalia erunt coloris Officii.

Si Missa celebratur a Sacerdote, tunc omnia necessaria pro Missae celebratione parantur.

3001. — Dispositio in media Ecclesia si Altaria consecranda non exstant in eadem linea.

w

PORTA ECCLESIAE

F » Faldistorium. — Scamna pro: Diacono, 1; pro Subdiacono, 2. — Λ I – abacus in quo disponuntur res benedicendae. — AII abacus consuetus. — M mensa pro SS. Reliquiis.

Articulus III.

De Episcopo plura Altaria fixa seu immobilia consecrante.

3002. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, accedit ad Ecclesiam et se gerit more solito in aspersione aquae benedictae, ac postea se confert ad Altare SS. Sacramenti, tandem procedit ad Faldistorium vel in media Ecclesia collocatum, vel in Presbyterio, ibique

sedet; si in Presbyterio, humeris ad Altare conversis, si in media Ecclesia et consecrandum sit etiam Altare maius, humeris ad Ecclesiae portam versis, vel si omnia Altaria in eadem exstant linea, facie ad ipsa Altaria conversa.

Ad nutum Caeremoniarii, surgit, detecto capite, et, si in Presbyterio, ad Altare se convertit ac incipit recitare Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. Incepto Psalmo 6: *Domine, ne in furore* etc., si in Presbyterio, ad populum se convertit, et in Faldistorio sedet, alias sedet in Faldistorio, Crucem pectoralem dimittit, dein cappam, vel mozzettam, vel mantellettum; bireto caput tegit et manus lavat. Dimisso bireto, surgit, sumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius; accipit etiam mitram et baculum, dein legit Psalmos Poenitentiales prosequens in recitatione cum Choro. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., Episcopus surgit et si in media Ecclesia consistit in eodem loco, secus, medius inter Diaconum et Subdiaconum, procedit ante Altare subsistens ab ipso convenienti distantia, ibique baculum ac mitram dimittit et intonat Antiphonam: *Adesto, Deus unus omnipotens* etc.; absoluto a Cantoribus Antiphonae cantu, tono feriali, cantat: *Oremus* et Orationem: *Actiones nostras* etc.; qua absoluta, mitram accipit et genuflectit in Faldistorio. Si Functio peragatur absque cantu, Episcopus ipse recitat Litanias, respondentibus Adstantibus, observans, circa nomina Sanctorum invocanda, quod diximus sub n. 2975.

Post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, accipit baculum et eodem tono dicit, vel cantat: *Ut Altaria haec* etc., producens signum Crucis versus Altaria ipsa; postquam tertio decantaverit: *Ut Altaria haec* etc., baculum dimittit iterumque in Faldistorio genuflectit usque ad Litaniarum finem, dein surgit et, si adsit in media Ecclesia, appropinquat se ad Altare primarium consecrandum, mitram dimittit, genuflectit in pulvino ac recitat, vel cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso: *Domine* etc., Episcopus surgit et cantat, vel recitat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et secundo cantat, vel recitat, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, tertio cantat, vel recitat, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat* etc., Episcopus accipit mitram ac baculum, accedit ad abacum ibique baculum dimittit et absolute dicit: *Exorcizo te* etc. In Exorcismo et in sequentibus Orationibus, si desumuntur e Ritu consecrationis Ecclesiae omittit

verba: *Ecclesiae et;* sed dicit: *horum Altarium.* Exorcismo absoluto, mitram dimittit et dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit, exorcizat aquam, dicens: *Exorcizo te* etc.; Exorcismo absoluto, mitram deponit et dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres, dicens: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc.; qua Oratione completa, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cineres tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, cineris et aquae* etc., dein mantili manum abstergit ac statim dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Iesu Christe* etc.; qua Oratione absoluta, accipit ampullam, vel phialam, vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit, dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., qua Oratione completa, mitram accipit ac baculum et accedit ad Altare primarium dedicandum, ante cuius infimum gradum, baculum Ministro tradit, ascendit suppedaneum, ibique incipit Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc., dein intingit pollicem dexterum in vasculo aquae sacratae et signat Crucem in medio mensae, dicens: *Sancti* Φ *ficetur hoc Altare etc.;* ad verba: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *Hi, et Spiritus* Φ *Sancti,* triplex signum efficit super Crucem signatam; ac postea aliam Crucem, se ut supra gerens, signat in angulo posteriori cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae ut in sequenti figura:

Episcopus, quinta Cruce signata, abstergit pollicem, dein se confert in medium suppedanei, descendit de Altari, baculum accipit et accedit ad secundum Altare in quo peragit easdem aspersiones ut in primo; quibus peractis, se confert ad tertium Altare et sic deinceps.

Aspersionibus super omnia Altaria peractis, Episcopus baculum accipit, procedit vel in inediam Ecclesiam, vel in Presbyterium,si ipsum Altare maius sit consecrandum, ibique consistit et, repetita a Cantoribus vel ab Adstantibus Antiphona post ultimum Versiculum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., baculum Ministro tradit, mitram dimittit, cantat, vel dicit: *Oremus;* pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* cantat, vel recitat pluraliter Orationem: *Singulare illud* etc., et ita se gerit in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione completa, Episcopus accipit mitram et accedit ad Altare primum, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Asperges me* etc., qua intonata et aspersorio a Diacono accepto, circuit Altare procedens a dextris suis, illius mensam et stipitem una simul aspergit et redit ad locum ante medium Altaris unde discesserat.

3003. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, incepta Antiphona: *Asperges me* etc., incipit a medio aspergere stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis, et prosequitur aspergere totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, tum latus stipitis in latere Evangelii, dein aspergens partem anteriorem stipitis in eodem latere revertitur in medium.

3004. — Aspersione completa, Episcopus tradit Diacono aspersorium, accipit baculum et procedit ad secundum Altare ante cuius infimum gradum Ministro tradit baculum, suppedaneum conscendit, aspersorium accipit et Altare ut supra aspergit.

Ultimo Altari asperso, Episcopus tradit Diacono aspersorium, a Ministro accipit baculum et revertitur ad primum Altare, ante cuius infimum gradum tradit Ministro baculum, suppedaneum conscendit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Asperges me* etc., retinens mitram, et se ut supra gerit. Hoc fit aliis quinque vicibus.

Septima aspersione super ultimum Altare peracta, Episcopus tradit Diacono aspersorium; accepto baculo, procedit vel ad mediam Ecclesiam, vel ad Altare maius, ibique tradit Ministro baculum, mitram dimittit et dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui es visibilium* etc. pluraliter; qua Oratione absoluta, si maltha facienda sit, mitram accipit, procedit ad abacum, ibique admiscet sabulum calci ac mixturae aquam sacratam

superfundit et facit maltham seu coementum, dein, dimissa mitra, illud benedicit. Si locum calcis et sabuli, quae a Pontificali Romano indicantur, adhibeatur gypsum, coementum vel quid simile (D. 4165 ad 1), Episcopus, absoluta Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc., stans benedicit gypsum vel coementum non infusum in aquam sacratam et in casu Oratio pro benedictione immutanda est (/. *c.).* Coemento benedicto, Episcopus accipit mitram et baculum, procedit ad locum in quo expositae sunt SS. Reliquiae; quo cum pervenerit, et priusquam ingrediatur, deponit baculum et mitram atque cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate,* cantat, vel recitat: *Aufer a nobis* etc.; qua Oratione absoluta, accipit mitram ac baculum, Sacellum ingreditur, ante SS. Reliquias consistit, et tradit Ministro baculum; dimissa mitra, cantat vel recitat: *Oremus. Fac nos, quaesumus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit, imponit et benedicit incensum, more solito, ac postea incipit Antiphonam: *Cum iucunditateelc.,* baculum accipit et, ad Caeremoniarii nutum, procedit.

Quum Processio pervenerit ad mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium, Episcopus consistit; completis Antiphonis: *Cum iucunditate* etc., *Surgite, Sancti Dei* etc., intonat, vel inchoat Antiphonam: *Exultabunt* etc.; dum ea repetitur, procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum baculum dimittit, suppedaneum conscendit; repetita Antiphona, mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc., qua Oratione completa, mitram accipit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et facit in singulis quatuor angulis parvi sepulcri duplicem unctionem in modum Crucis, scilicet unam ad verbum: *Conse* ✠ *cretur,* alteram ad verbum: *Sancti* ✠ *[icetur* et, producens manu dextera triplex signum Crucis, dicit: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *Hi, et Spiritus* ✠ *Sancti,* dein mitram deponit, se ad populum convertit, reverenter, utraque manu, Capsulam SS. Reliquiarum accipit, se ad Altare convertit et intonans, vel inchoans, Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., Capsulam in parvum sepulcrum reponit.

SS. Reliquiis in parvo sepulcro repositis, more solito, imponit et benedicit incensum; cum profunda reverentia ante et post, triplici ductu, thurificat SS. Reliquias. Tradito Diacono thuribulo, Episcopus mitram accipit, intingit dexterum pollicem in s. Chrismate et inungit partem lapidis seu operculi parvi sepulcri quae spectat internum eiusdem sepulcri, proferens formulam: *Consecretur* etc., faciens duplicem unctionem in modum Crucis ad verba: *Consederetur,* et: *Sancti* ✠ *[icetur,* ac postea, manu dextera, triplex Crucis signum producit dicens: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *Hi,*

et Spiritus ✠ *Sancti,* deinde abstergit gossypio pollicem; trullam cum coeinento accipit, illud ponit super sepulcri postem, cavens ne super Reliquiarum Capsulam coementum defluat. Accepto sepulcri operculo, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., sepulcrum claudit et firmat operculum coeinento. Absoluta Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Episcopus mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, rursus intingit pollicem in s. Chrismate et facit duplicem unctionem super Altaris mensam et parvum sepulcrum comprehendens utrumque ut in figura sequenti:

dicens ad primani unctionem: *Signe* ✠ *tur,* ad secundam: *Sancti-% ficetur;* dicens vero: *In nomine Pa* ✠ *tris* etc., producit, dextera manu, triplex signum Crucis, ac postea gossypio pollicem abstergit, de Altari descendit, baculum accipit et, medius inter Diaconum et Subdiaconum, procedit ad secundum Altare, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, suppedaneum conscendit, mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc., ac postea omnes supra notatas actiones iterat, et ita in ceteris Altaribus, deinde revertitur ad primum Altare, ante cuius infimum gradum Ministro baculum porrigit, suppedaneum ascendit, imponit et benedicit incensum, dicens: *Ab illo benedicaris... In nomine Pa-^ tris, et Fi* ✠ *Hi, et Spiritus* ✠ *Sancti,* producens tria Crucis signa, qua formula semper utetur deinceps.

Deposita mitra, Episcopus intonat, vel inchoat Antiphonam: *Stetit Angelus* etc., mitram iterum accipit, thurificat Altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, deinde Episcopus, retinens thuribulum, de Altari descendit, procedit ad secundum Altare, quod eodem modo ac primum thurificat et ita porro de reliquis. Thurificato ultimo Altari, Episcopus tradit thuribulum Diacono, de Altari descendit et, accepto baculo, procedit ad mediam Eccle-

siam, vel in Presbyterium, ubi, depositis baculo et mitra, cantat, vel recitat: *Oremus. Dirigatur oratio nostra* etc., plurali numero; qua completa, mitram ac baculum accipit et procedit ad Thronum, si Ordinarius et Thronus sit erectus, vel ad Faldistorium in cornu Epistolae, vel in media Ecclesia, collocatum, ibique baculum dimittit, imponit et benedicit incensum, ad nutum Caeremoniarii, ac postea baculum accipit, surgit, ad Altare procedit, ante cuius infimum gradum Ministro baculum tradit, suppedaneum ascendit, thuribulum accipit et, nihil dicens, thurificat in modum Crucis semel tantum super mensam in medio et in quatuor angulis ordine in sequenti figura descripto:

ac postea, retinens thuribulum, de Altari descendit, procedit ad secundum Altare, quod thurificat eodem modo ac primum et ita porro de reliquis.

Ultimo Altari thurificato, Episcopus tradit Diacono thuribulum, dein baculum accipit, procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum Ministro tradit baculum, suppedaneum conscendit, imponit et benedicit incensum; ad Altare conversus intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., et, accepto thuribulo, Altare ter circuit procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul.

3005. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, intonato vel incepto Responsorio: *Dirigatur* etc., incipit a medio thurificare stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis, prosequitur thurificare totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, deinde thurificans partem anteriorem stipitis in eodem latere revertitur in medium; hoc tribus vicibus peragitur.

3006. — Altari thurificato, retinens thuribulum, Episcopus procedit ad secundum Altare, quod ut primum thurificat, dein procedit ad

tertium Altare, etc. Thurificato ultimo Altari, Episcopus tradit thuribulum Presbytero cuius officium est Altaria thurificare, et, accepto baculo, procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, suppedaneum conscendit, ibique in medio stans intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Erexit* etc., ac postea intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et eo facit quinque duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti* ✠ *ficetur*, alteram ad verbum: *Conse-% cretur,* super mensam, scilicet in medio et in quatuor angulis, ordine descripto in sequenti figura:

et producit dextera manu triplex Crucis signum super singulam duplicem unctionem, dicens: *In nomine Pa* ✠ *tris* etc.

Quinque unctionibus peractis, Episcopus pollicem abstergit, de Altari descendit et procedit ad secundum Altare in quo perficit unctiones ut in primo, atque ita porro. Unctionibus super omnia Altaria peractis, Episcopus pollicem abstergit, baculum accipit et procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum Ministro tradit baculum, suppedaneum conscendit, imponit et benedicit incensum; intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., thuribulum accipit, Altare circuit semel tantum, procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul. Si Altare circumiri non possit, Episcopus se gerit ut sub n. 3005 notavimus. Thurificato primo Altari, Episcopus, retinens thuribulum, proceditad secundum Altare, quod ut primum thurificat et ita reliqua Altaria. Ultimo Altari thurificato, tradit Presbytero thuribulum, ac,accepto baculo, postea procedit vel ad mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium, ibique completo Responsorio, baculum Ministro tradit, mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione; *Adsit, Domine* etc. plurali numero absoluta, intonat, vel in-

choat, Antiphonam: *Mane surgens* etc., mitram accipit et, modo supra notato, quinque alias duplices unctiones Oleo Catechumenorum facit; quibus peractis, procedit ad secundum Altare et super ipsum perficit unctiones ut in primo, ac deinceps in reliquis Altaribus. Completis super omnia Altaria unctionibus, Episcopus, se ut supra gerens, revertitur ad primum Altare, suppedaneum conscendit et, dum Antiphona repetitur, imponit ac benedicit incensum, intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., Altare pariter thurificat, ac postea, thuribulum retinens, procedit ad secundum Altare, quod ut primum incensat et sic de reliquis. Thurificato ultimo Altari, Episcopus tradit Presbytero thuribulum, dein, accepto baculo, pergit ad mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium; quo cum pervenerit, et completo Responsorio, Episcopus baculum Ministro tradit, mitram dimittit, cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Adesto, Domine* etc., plurali numero, et responso: *Arnen,* immediate subiungit: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, altaria haec quae* etc., pariter plurali numero. Oratione completa, ascendit suppedaneum primi Altaris et intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Unxit te* etc., mitram accipit, alias quinque unctiones s. Chrismate efficit, modo supra notato; quibus completis, abstergit pollicem gossypio, baculum accipit, de Altari descendit et procedit ad secundum Altare, ubi peragit unctiones ut supra, idemque exsequitur in reliquis Altaribus, dein revertitur ad primum Altare, suppedaneum ascendit, imponit et benedicit incensum, necnon intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., thurificat Altare, sed procedens ad suam sinistram. Altari thurificato, Episcopus, retinens thuribulum, procedit ad secundum Altare, quod incensat ut primum et deinceps id peragit in ceteris Altaribus. Ultimo Altari thurificato, Presbytero thuribulum tradit, mitram ac baculum accipit et revertitur in mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium, ibique, completo Responsorio, dimittit baculum et mitram, cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Descendat* etc., plurali numero, accipit mitram ac baculum et procedit ad primum Altare, baculum Ministro tradit, suppedaneum conscendit; dimissa mitra, intonat vel incipit Antiphonam: *Sanctificavit* etc., mitram accipit, dein, dextera manu ampullam s. Chrismatis, sinistra ampullam Olei Catechumenorum accipit, effundit Olea sacra iunctim super mediani mensam in longitudinem, nullam proferens formulam; tradit Diacono ampullas, palma dexterae manus expandit et illinit sacra Olea super totam mensam diffundens ea prius versus partem posteriorem, dein versus anteriorem, ita ut s. Oleis tota mensa illita sit;

quo facto, abstergit manus gossypio, accipit baculum et procedit ad secundum Altare, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, ascendit et super mensam s. Olea, ut supra, expandit; idemque facit in ceteris Altaribus; abstersis manibus post unctionem mensae ultimi Altaris, Episcopus accipit baculum et procedit in mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium, sedet in Throno, si Ordinarius et Thronus erectus sit, vel in Faldistorio, annulum dimittit, manus lavat et abstergit, annulumque reassumit, dein surgit; si in Throno, procedit in medium Presbyterium et ita se gerit si in Faldistorio in latere Epistolae collocato; si vero in Faldistorio in media Ecclesia, ibi stans intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Ecce odor* etc. Decantato, vel recitato, ultimo Versu Psalmi 86: *Fundamenta* etc., scilicet: *Sicut laetantium* etc., Episcopus immediate pluraliter recitat: *Lapides hos* etc., ac postea intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc.; qua absoluta, recitat plurali numero alteram invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., qua completa, mitram dimittit et dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, aspergit thuris grana, dein mitram ac baculum accipit; si in media Ecclesia, procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, suppedaneum conscendit et quinque granis incensi format Crucem super mediam mensam in ipso unctionis loco et ipsis superimponit Crucem e gossypio cerato. Idem facit in quatuor angulis in ipsis unctionum locis servans eundem ordinem unctionum.

Si thuris grana non sint levigata, ita ut Crucem ceratam sustinere non possint, tunc Episcopus primum ponit Crucem, dein infra ipsam collocat thuris grana; haec est communis praxis plurium locorum; ratio haec commodior et expeditior est atque contraria non est Rubricae Pontificalis Romani.

Impositis Crucibus ceratis thuris granis, Episcopus, accepto baculo, procedit ad secundum Altare, ante cuius infimum gradum Ministro baculum tradit, suppedaneum conscendit, et se ut in primo Altari gerit, et ita deinceps; quo in omnibus Altaribus peracto, procedit vel in mediani Ecclesiam, vel in Presbyterium: omnibus Crucibus accensis, Ministro tradit baculum, mitram ac pileolum dimittit, genuflectit in Faldistorio et intonat, vel inchoat, Versiculum: *Alleluia. Veni, sancte* etc., omittens: *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha. Absoluto Versiculo, Episcopus pileolum accipit, surgit et consistit dum cantantur, vel recitantur, Antiphonae: *Ascendit fumus* etc.; *Stetit Angelus* etc.; qua ultima absoluta, immediate

cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Responso: *Amen,* post Orationem: *Domine sancte, Paler* etc., plurali numero, immediate cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Recitat, vel cantat, Orationem: *Deus omnipotens* etc., plurali numero. Prolatis verbis: *Spiritus Sancti Deus,* prosequitur, plurali numero, in tono Praefationis, si Orationem cantaverit. Praefatione completa, mitram accipit et, si in media Ecclesia, etiam baculum accipit ac procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, suppedaneum ascendit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc., intingit pollicem dexterum in s. Chrismate, stans Crucem signat in media parte anteriori stipitis, dein pollicem abstergit et, accepto baculo, immediate procedit ad secundum Altare in quo, tradito Ministro baculo, efficit unctionem ut in primo, dein idem exsequitur in ceteris Altaribus.

Si Crux posita super stipitem sit metallica, Episcopus unctionem facit in modum Crucis extra praedictam Crucem, scilicet super eam vel sub ea in ipso stipite.

Unctionibus in omnibus Altaribus peractis, Episcopus, accepto baculo, revertitur vel in mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium; decantato, vel recitato Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc., cum *Gloria Patri* etc., baculum et mitram dimittit et dicit pluraliter: *Oremus. Maiestatcm tuam* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit et etiam baculum, si in media Ecclesia, dein procedit ad primum Altare, ante cuius infimum gradum baculum Ministro tradit, suppedaneum ascendit, intingit dexterum pollicem in s. Chrismate et inungit conjunctiones mensae stipiti in quatuor angulis, dicens tantum: *In nomine PafRtris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti.* Inungit primum conjunctionem in angulo posteriori cornu Evangelii, dein in anteriori eiusdem cornu, ac postea in angulo posteriori cornu Epistolae, tandem in angulo anteriori eiusdem cornu; quibus unctionibus peractis, Episcopus abstergit pollicem gossypio, de Altari descendit, accipit baculum et ad secundum Altare procedit, ante cuius infimum gradum Ministro baculum tradit, suppedaneum ascendit et easdem unctiones efficit ut in primo, atque ita de reliquis.

Unctionibus in ultimo Altari peractis, Episcopus pollicem abstergit, baculum accipit et procedit ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique baculum ac mitram dimittit et dicit: *Oremus. Supplices te deprecamur* etc., plurali numero. Oratione completa, Episcopus mitram accipit ac baculum et, si Ordinarius et Thronus erectus sit, ad Thronum procedit, vel ad Faldistorium, ibique Ministro baculum tradit, manus lavat et abstergit.

Ad Caeremoniarii nutum, Episcopus accipit baculum et procedit ad abacum; baculo Ministro tradito ac mitra dimissa, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., ut in Pontificali Romano. Absoluta pluraliter Oratione: *Omnipotens et misericors Deus* etc., aspergit Altarium ornamenta, dein revertitur ad Thronum, vel ad Faldistorium, Ministro baculum tradit ac sedet. Ad nutum Caeremoniarii, surgit, et si in Throno, vel in Faldistorio in latere Epistolae collocato, Episcopus ad Altare se convertit; intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc. Omnibus Altaribus exornatis, Episcopus sedet vel in Throno vel in Faldistorio, imponit ac benedicit incensum, surgit et, accepto baculo, procedit ad primum Altare ante cuius infimum gradum baculum Ministro porrigit; dimissa mitra, reverentiam Cruci facit, suppedaneum conscendit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Omnis terra* etc., dein, accepto thuribulo, Crucem super mensam efficit, deinde, retinens thuribulum, procedit ad secundum Altare; quo cum pervenerit, reverentia Cruci facta, suppedaneum conscendit, thurificat super mensam semel in modum Crucis, et ita dein peragit in ceteris Altaribus.

Ultimo Altari thurificato, Episcopus, retinens thuribulum, revertitur ad primum Altare, Cruci reverentiam peragit, ascendit, tum iterum intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Omnis terra* etc., et rursus thurificat in modum Crucis super mensam; et ita se gerit ut supra. Quum Episcopus reversus fuerit ad primum Altare, tertia vice Antiphonam intonat, vel inchoat, et se ut supra gerit. Ultimo Altari thurificato, Episcopus tradit thuribulum Diacono, mitram et baculum accipit atque procedit in mediam Ecclesiam, vel in Presbyterium, ibique Ministro tradit baculum; dimissa mitra, cantat, vel recitat pluraliter: *Oremus. Descendat* etc., dein: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, altaria haec nomini* etc., qua Oratione completa, cantat, vel recitat: *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.*

Responso: *Deo gratias,* Episcopus se gerit ut diximus sub n. 2985.

Articulus IV.

De Ministris sacris in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3007. — Statuta hora, Ministri sacri se conferunt ad Sacristiam Ecclesiae in qua Altaria consecranda sunt et assumunt amictum, albam, cingulum, Diaconus accipit etiam stolam albi coloris, dein procedunt vel ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique

sedent in scamno apud Faldistorium. Quum Episcopus pervenerit, ambo surgunt et, detecto capite, se ei inclinant, vel genuflectunt. Postquam Episcopus in Faldistorio sederit, Diaconus aufert ei Crucem pectoralem, Subdiaconus mozzettam, vel mantellettum, dein Diaconus accipit a Caeremoniario paramenta iisque, adiuvante Subdiacono, Episcopum induit; accepto ab Episcopo baculo, ambo cum eodem Episcopo Psalmos Poenitentiales prosequuntur in recitatione cum Clero.

Repetita a solo Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris etc.,* Ministri cum Episcopo surgunt et, si in media Ecclesia, Diaconus aufert Episcopo mitram, alias ambo sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias procedunt ad Altare subsistentes ab illo convenienti distantia, ibique Diaconus Episcopo mitram aufert eamque reponit post Orationem: *Actiones nostras* etc., deinde ambo genuflectunt ad latera Faldistorii.

Decantato a Cantoribus, vel dicto ab Episcopo, Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., ambo cum Episcopo surgunt et, sustinentes eius fimbrias pluvialis, iterum genuflectunt, postquam Episcopus tertio dixerit, vel decantaverit: *Ut Altaria haec* etc.

Completis Litaniis, Ministri surgunt; si adsint in media Ecclesia, se cum Episcopo ad primarium Altare appropinquant et Diaconus mitram Episcopo aufert. Ambo genuflectunt et assurgunt, quando Episcopus genuflectit et surgit. Responso a Cantoribus: *Sicut erat* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit, quam aufert post salis Exorcismum. Absoluta Oratione: *Domine Deus* etc., rursus mitram Episcopo imponit eique aufert post aquae Exorcismum. Post Orationem: *Domine Iesu Christe, qui in Cana* etc., Diaconus porrigit Episcopo ampullam vini; qua recepta et absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., mitram Episcopo imponit, dein ambo ad Altare procedunt, et suppedaneum conscendunt. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabulam quam ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc. et dum aspersiones peragit. Incepta Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* etc., Diaconus accipit vasculum aquae sacratae.

Quinque aspersionibus completis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus tradit Acolytho tabellam, dein de Altari ambo descendunt et sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad secundum Altare, suppedaneum conscendunt et se gerunt ut in aspersionibus primi Altaris, dein procedunt ad tertium Altare et ita deinceps.

Aspersionibus super omnia Altaria peractis, procedunt cum Episcopo ad mediani Ecclesiam, vel ad Presbyterium; absoluto Psalmo 42:

Iudicame, Deus etc., Diaconus Episcopo mitram aufert. Decantato,vel dicto, ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus genuflectens cantat vel dicit: *Flectamus genua,* et Subdiaconus surgens cantat vel dicit: *Levate* et ita postea se gerunt in simili casu quod, brevitatis causa, notabimus tantum verbis: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Oratione absoluta, Diaconus imponit ei mitram, ambo cum Episcopo, suppedaneum conscendunt, Subdiaconus tabellam ab Acolytho accipit quam eidem reddit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Asperges me* etc., Diaconus Episcopo aspersorium porrigit; ambo, sustinentes fimbrias pluvialis Episcopi, eum comitantur in aspersione Altaris. Diaconus, receptum aspersorium tradit Ministro aquae benedictae, dein ambo cum Episcopo procedunt ad secundum Altare et ita de reliquis.

Ultimo Altari asperso, revertuntur cum Episcopo ad primum Altare et se gerunt ut in prima aspersione eiusdem Altaris. Hoc fit aliis quinque vicibus.

Septima aspersione super ultimum Altare peracta, procedunt cum Episcopo, vel ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., dein ambo procedunt ad abacum; postquam Episcopus admiscuerit sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfuderit, si id faciendum, Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit, coemento benedicto, dein ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerint, Diaconus, priusquam Episcopus ingrediatur, aufert ei mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Aufer a nobis* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit et ambo cum eodem Episcopo ad Altare procedunt; quo cum pervenerint, Diaconus Episcopo mitram aufert et post Orationem: *Fac nos, quaesumus* etc., mitram Episcopo imponit eique incensum ministrat.

Quum Processio pervenerit vel ad mediani Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ambo consistunt; dum repetitur Antiphona: *Exaltabunt* etc., procedunt cum Episcopo ad primarium Altare, suppedaneum conscendunt et, repetita Antiphona, Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., ac postea accipit vasculum s. Chrismatis, Subdiaconus vero accipit tabellam cum formula unctionis quam ante Episcopum sustinet.

Unctionibus peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus tabellam; Diaconus Episcopo mitram aufert, ambo cum Episcopo ad populum se convertunt, Diaconus aperit Urnam, in qua

SS. Reliquiae exstant; quibus ab Episcopo acceptis, ambo ad Altare se convertunt. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabellam eamque ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., ac postea tabulam Acolytho tradit.

SS. Reliquiis in sepulcro repositis, Diaconus ministrat Episcopo incensum, ac postea thuribulum; post thurificationem, Diaconus imponit Episcopo mitram, accipit vasculum s. Chrismatis et sustinet lapidem parvi sepulcri, Subdiaconus vero accipit tabellam cum formula unctionis, eamque ante Episcopum sustinet et postquam ille intonaverit Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., Acolytho tabellam porrigit.

Deposito super Altare lapide et tradito Clerico vasculo, Diaconus accipit trullam cum coemento, eamque Episcopo porrigit, dein sepulcri operculum porrigit. Tradita Clerico trulla et absoluta Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., accipit vasculum s. Chrismatis, Subdiaconus tabellam.

Unctionibus peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum, Subdiaconus tabellam, deinde de Altari cum Episcopo descendunt et procedunt ad secundum Altare, suppedaneum conscendunt, Diaconus mitram Episcopo aufert et ambo se gerunt ut supra diximus de primo Altari post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc. Omnibus actionibus ut in primo Altari peractis in secundo Altari, procedunt ad tertium et ita de reliquis, deinde revertuntur ad primum Altare, suppedaneum conscendunt, Subdiaconus accipit tabellam quam Acolytho reddit, thure imposito, statim aliam tabellam accipit eamque eidem Acolytho tradit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Stetit Angelus* etc.; Diaconus incensum ministrat, Episcopo mitram aufert quam reponit, intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc., dein thuribulum Episcopo porrigit. Post Altaris incensationem, Diaconus thuribulum non recipit, sed ambo cum Episcopo de Altari descendunt et procedunt ad secundum Altare. Thurificato ultimo Altari, Diaconus thuribulum recipit, dein ambo procedunt vel ad mediam Ecclesiam vel ad Presbyterium, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Dirigatur oratio nostra* etc., dein ambo cum Episcopo procedunt vel ad Thronum vel ad Faldistorium, in media Ecclesia vel in Epistolae latere collocatum, pro re. Ad nutum Caeremoniarii, Diaconus ministrat incensum, dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet, dein cum Episcopo ambo procedunt ad Altare primum, suppedaneum conscendunt, Diaconus Episcopo thuribulum porrigit, quod, thu-

rificato Altari, non recipit, sed ambo procedunt cum Episcopo ad secundum Altare et ita porro de reliquis.

Ultimo Altari thurificato, **Diaconus** thuribulum recipit, ambo cum Episcopo revertuntur ad primum Altare, suppedaneum conscendunt, **Diaconus** incensum ministrat dum **Subdiaconus** tabellam ante Episcopum sustinet; thure imposito, tabellam Acolytho tradit et ab eodem aliam tabulam accipit. Postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Responsorium: *Dirigatur* etc., **Diaconus** eidem porrigit thuribulum, **Subdiaconus** tabellam Acolytho tradit. Altari thurificato, **Diaconus** non recipit thuribulum, sed **ambo** cum Episcopo procedunt ad secundum Altare, dein ad tertium etc. Ultimo Altari thurificato, **Diaconus** aliquantulum recedit ut Episcopus Presbytero, qui thurificationem prosequi debet, thuribulum tradat, tunc ambo cum Episcopo procedunt ad primum Altare, ibique **Diaconus** accipit vasculum Olei Catechumenorum, **Subdiaconus** vero tabellam quam reddit Acolytho intonata Antiphona: *Erexit* etc., dein accipit tabellam cum formula unctionis et ambo se gerunt ut alias.

Unctionibus super omnia Altaria peractis, Ministri cum Episcopo revertuntur ad primum Altare, suppedaneum conscendunt, Diaconus incensum ministrat et ambo ut supra se gerunt. Ultimo Altari thurificato, procedunt ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique, absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., **Diaconus** aufert Episcopo mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Mane surgens* etc., Diaconus imponit ei mitram, **ambo** procedunt cum Episcopo ad Altare primum, suppedaneum conscendunt, **Diaconus** vasculum Olei Catechumenorum accipit, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis, et ambo se gerunt ut alias. Unctionibus peractis, ambo procedunt ad secundum Altare in quo Episcopus perficit unctiones ut in primo, atque ita porro. Unctionibus super omnia Altaria peractis, revertuntur cum Episcopo ad primum Altare, suppedaneum conscendunt, Diaconus ministrat incensum et ambo ut supra se gerunt, sed cum ad Altare revertuntur, intonata Antiphona: *Unxit te* etc., Diaconus accipit vasculum s. Chrismatis.

Ultimo Altari thurificato, **Ministri** cum Episcopo procedunt ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique, completo Responsorio: *Dirigatur* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Descendat* etc., si in media Ecclesia, **Diaconus** Episcopo mitram imponit, **ambo** procedunt ad primum Altare, suppedaneum ascendunt, Diaconus mitram Episcopo aufert, quam imponit, intonata Antiphona: *Sanctificavit* etc.,

dein eidem porrigit ampullam s. Chrismatis et ampullam Olei Catechumenorum; receptas ampullas **Diaconus** Clerico tradit. Dum Episcopus illinit s. Olea super totam mensam, ambo sustinent elatum eius pluviale.

Post mensae unctionem, ambo cum Episcopo procedunt ad secundum Altare, suppedaneum conscendunt et Diaconus Episcopo, ut prius, ampullas sacrorum Oleorum porrigit, dein ambo pariter ut supra se gerunt.

Inuncta mensa ultimi Altaris, **Ministri** cum Episcopo procedunt vel ad Thronum, vel ad Faldistorium, **Diaconus** annulum Episcopo educit, dein mantile ministrat, ac postea annulum inducit. **Subdiaconus** accipit ab Acolytho tabellam quam ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Ecce odor* etc., ac postea eidem Acolytho tabulam tradit.

Innuente Caeremoniario, ambo cum Episcopo ad medium Presbyterium, si Episcopus sederit in Throno, vel in Faldistorio in latere Epistolae collocato, pergunt, alias consistunt in media Ecclesia. Post invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Diaconus mitram Episcopo aufert; absoluta Oratione: *Domine Deus omnipotens* etc., porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto, mitram imponit; ambo cum Episcopo suppedaneum conscendunt, vel procedunt ad primum Altare, Diaconus Episcopo porrigit Crucem e gossypio cerato; impositis Crucibus granis thuris, de Altari ambo descendunt, cum Episcopo procedunt ad secundum Altare, et ita deinceps; quo in omnibus Altaribus peracto, procedunt cum Episcopo ad Faldistorium, vel in media Ecclesia, vel in medio Presbyterio collocatum. Omnibus Crucibus accensis, Diaconus aufert Episcopo mitram ac pileolum; ambo genuflectunt ad Faldistorii latera et, absoluto Versiculo: *Alleluia. Veni, sancte etc.,* Diaconus pileolum Episcopo reponit, dein ambo surgunt. Completa Antiphona: *Stetit Angelus* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Praefationem, Diaconus mitram Episcopo imponit; ambo cum Episcopo procedunt ad primum Altare, suppedaneum conscendunt et intonata, vel incepta Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc., Diaconus accipit vasculum s. Chrismatis; signata Cruce in media parte anteriori stipitis, immediate ambo procedunt cum Episcopo ad secundum Altare, dein ad reliqua Altaria.

Unctionibus ab Episcopo in omnibus Altaribus peractis, **ambo** revertuntur cum Episcopo vel ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert, absoluto Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc., cum: *Gloria* etc., quam iterum im-

ponit post Orationem: *Maiestatem tuam* etc., et ambo cum Episcopo procedunt ad primum Altare, suppedaneum conscendunt, Diaconus accipit vasculum s. Chrismatis, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis. Unctonibus peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum, Subdiaconus tabellam, ambo de Altari descendunt et cum Episcopo ad secundum Altare procedunt et ita de reliquis. Unctionibus in ultimo Altari peractis, procedunt cum Episcopo ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc., dein ambo cum Episcopo procedunt ad Thronum vel ad Faldistorium.

Abstersis ab Episcopo manibus, ad nutum Caeremoniarii, procedunt cum Episcopo ad abacum, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert et post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., porrigit ei aspersorium; quo recepto, Episcopo mitram imponit; ambo cum eodem Episcopo revertuntur vel ad Thronum, vel ad Faldistorium.

Exornatis Altaribus, Diaconus ministrat incensum, ambo cum Episcopo ad Altare primum procedunt, ante cuius infimum gradum Diaconus mitram aufert; ambo, Cruci reverentia vel genuflexione facta, suppedaneum conscendunt, Subdiaconus accipit tabellam et eam ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc. ac postea tabulam Acolytho tradit. Postquam Episcopus intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Omnis terra* etc., Diaconus porrigit ei thuribulum quod, thurificato Altari super mensam in modum Crucis, non recipit, sed ambo cum Episcopo procedunt ad secundum Altare, ante cuius infimum gradum genuflexionem, vel reverentiam, peragunt, dein suppedaneum conscendunt et ita ad reliqua Altaria se gerunt.

Pariter ultimo Altari thurificato, Diaconus non recipit ab Episcopo thuribulum, sed ambo cum eodem Episcopo revertuntur ad primum Altare, Subdiaconus tabellam accipit et se ut supra gerit, dein ambo procedunt cum Episcopo ad reliqua Altaria se ut supra gerentes, et ita se tertia vice gerunt. Ultimo Altari thurificato, Diaconus thuribulum recipit, deinde ambo cum Episcopo procedunt ad mediam Ecclesiam vel ad Presbyterium.

Responso: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* ambo se gerunt ut sub n. 2987, sed Diaconus in formula Indulgentiae loco verborum: *Ecclesiam hanc et Altare hoc,* dicit: *haec Altaria.*

Articulus V.

De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis deque Presbytero Altaria thurificaturo in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3008. — I. - De quatuor Presbyteris Feretrum SS. Reliquiarum gestaturis. — Presbyteri, post quartam aspersionem Altarium, procedunt ad Sacristiam et se gerunt ut sub n. 2988, I notavimus, sed, accepta ab Episcopo Capsula in primo Altari reponenda, reportant Feretrum supra abacum, ibique ut prius consistunt.

Postquam Episcopus duplicem unctionem fecerit super Altaris mensam et sepulcrum, comprehendens .utrumque, Presbyteri Feretrum elevant et, innuente Caeremoniario, procedunt ad secundum Altare, ibique ut in primo se gerunt, et ita in ceteris. Accepta ab Episcopo ultima Capsula in ultimo Altari reponenda, tradunt Clericis Feretrum et ad Sacristiam pergunt, ubi paramenta dimittunt.

II. - **De Presbytero Altaria thurificaturo.** — Presbyter Altaria thurificaturus se gerit ut sub n. 2988, II sed, accepto ab Episcopo thuribulo, procedit ad Altare primum statimque illud thurificare incipit et prosequitur incensare toto unctionum tempore. Quum Episcopus ad secundum Altare pergit et ipse pergit, pariterque Altare thurificat tempore unctionum, atque ita in reliquis.

Peractis super omnia Altaria unctionibus, Presbyter procedit cum ceteris ad primum Altare; dum repetitur Antiphona post Psalmum, suppedaneum conscendit pro incensi ministratione et more solito se gerit sed, Altari thurificato, non recipit ab Episcopo thuribulum, sed procedit cum ceteris ad reliqua Altaria et thuribulum recipit post ultimi Altaris thurificationem, dein procedit ad primum Altare et illud continue thurificat dum Episcopus unctiones peragit, postea cum ceteris ad secundum procedit Altare, et ita deinceps; unctionibus super ultimum Altare peractis, Presbyter cum ceteris ad primum revertitur Altare et dum repetitur Antiphona post Psalmum, suppedaneum conscendit pro incensi ministratione et se ut supra gerit; ultimo Altari thurificato, Presbyter pergit ad primum Altare; quando Episcopus procedit ad secundum Altare et ipse procedit, sicut etiam ad cetera pergit Altaria. Dum repetitur Antiphona: *Unxit* etc., post Psalmum 44: *Eructavit* etc., Presbyter suppedaneum conscendit pro incensi ministratione, et ut supra se gerit. Ultimo Altari ab Episcopo thurificato, Presbyter thuribulum

accipit, procedit ad primum Altare et illud ac reliqua prosequitur continue adolere successive, donec incensum erit accensum super omnia Altaria, dein ad Sacristiam pergit.

Articulus VI.

De Caeremoniario in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3009. — Caeremoniarius se gerit ut in Articulo VI praecedentis Capitis, sed advertat quod Feretrum SS. Reliquiarum deferatur a quatuor Presbyteris.

Postquam Episcopus Capsulam SS. Reliquiarum acceperit, innuit duobus Clericis intorticia deferentibus ut apud Altare consistant, donec Episcopus ipsam Capsulam in sepulcro claudat, dein se ad abacum in quo adest Feretrum pergant, et ipsos praemoneat ut item se gerant in reliquis Altaribus.

Caeremoniarius semper praemoneat Episcopum cum quaedam cantare vel recitare debet plurali numero.

Nihil obligat ut Missa celebretur, completo consecrationis Ritu, super singula Altaria, sed satis est celebrare unam tantum Missam super aliquod ex Altaribus consecratis; decet ut Missa in primario Altari celebretur.

Circa Missae qualitatem vide quod diximus sub n. 2991.

Ut rite et expedite Ritus plurium Altarium consecrationis persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 3014.

Articulus VII.

De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi, de Crucifero deque Ceroferariis in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3010. — 1. - De Ministris libri et candelae. — Hi Ministri se gerunt ut sub n. 2992, sed advertant quod ubi scriptum est: post septimam aspersionem Altaris, legant: post septimam ultimi Altaris aspersionem, et verbis: inunctis conjunctionibus mensae, addant: ultimi Altaris.

II. - De Ministro mitrae. — Hic Minister se gerit ut sub n. 2993, I diximus, sed quando Episcopus transit ab uno ad alterum Altare et mitram non habet, tunc mitram Diacono porrigit et ab eo recipit quando pervenerit ante infimum Altaris gradum, excepto quando Episcopus incedit retinens thuribulum.

III. - De Ministro baculi. — Minister se gerit ut sub n. 2993, II notavimus, sed quando Episcopus transit ab uno ad alterum Altare tradit ei baculum quem recipit quum pervenerit ante infimum Altaris gradum, praeterea quando, si Faldistorium in media Ecclesia, procedit ad Altare primarium, vel ab ultimo Altari ad Faldistorium, vel ad Thronum procedit.

IV. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Hi Ministri se gerunt ut diximus sub n. 2994, praeterea semper praecedunt Episcopum ad Altaria euntem et ab eius redeuntem; apud Altaria consistunt ut in primo Altari.

Articulus VIII.

De Thuriferario in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3011. — Dum Episcopus benedicit coementum, Thuriferarius accedit ad Sacristiam, sumit thuribulum cum navicula et se confert ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae. Absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus* etc., thuribulum Episcopo praesentat. In Processione praecedit immediate SS. Reliquias et, cum vel ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium pervenerit, consistit apud SS. Reliquias, versus Altare.

Postquam Episcopus SS. Reliquias in sepulcro primi Altaris reposuerit, Thuriferarius suppedaneum ascendit et Episcopo praesentat thuribulum; recepta navicula, Diacono tradit thuribulum, quod recipit postquam Episcopus SS. Reliquias thurificaverit et se confert apud abacum in quo collocatum est Feretrum. Et ita se gerit, singulis vicibus, postquam Episcopus SS. Reliquias in sepulcra ceterorum Altarium reposuerit.

Thurificatis SS. Reliquiis in sepulcro ultimi Altaris repositis, Thuriferarius consistit apud Altare, et, cum tempus sit, pergit cum ceteris, incedens ante Crucem, ad Altare primarium, ibique consistit in cornu Epistolae.

Dum Episcopus s. Chrismate conficit unctiones super mensam et parvum sepulcrum, suppedaneum conscendit pro impositione

ac benedictione incensi; intonata ab Episcopo Antiphona: *Stetit Angelus* etc., thuribulum Diacono tradit; Altari thurificato, procedit cum aliis ad reliqua Altaria et thuribulum recipit postquam ultimum Altare thurificatum fuerit.

Abstersis Altaribus, Thuriferarius, innuente Caeremoniario, accedit ad Thronum, vel ad Faldistorium pro incensi impositione et benedictione, dein se confert ad cornu Epistolae primi Altaris; dum Episcopus conscendit suppedaneum, et ipse ascendit atque Diacono thuribulum tradit; cum ceteris procedit ad reliqua Altaria et, postquam ultimum Altare thurificatum fuerit, thuribulum a Diacono recipit, procedit ad primum Altare, incedens ante Crucem; quo cum pervenerit, e latere Epistolae suppedaneum conscendit, iterumque thuribulum Episcopo praesentat pro impositione et benedictione incensi; intonato ab Episcopo Responsorio: *Dirigatur* etc., tradit Diacono thuribulum; cum ceteris procedit ad reliqua Altaria. Dum repetitur Antiphona: *Erexit* etc., Thuriferarius porrigit Sacerdoti, cui munus est thurificare, naviculam a quo recipit postquam Episcopus imposuerit et benedixerit incensum.

Peractis ab Episcopo unctionibus super omnia Altaria, dum canitur Psalmus 91: *Bonum est* etc., Thuriferarius iterum porrigit Sacerdoti naviculam eamque ab eo recipit, imposito et benedicto incenso; et ita se gerit, peractis ab Episcopo unctionibus super omnia Altaria, dum canitur Psalmus 44: *Eructavit* etc.

Omnibus Crucibus e gossypio cerato accensis, Thuriferarius accipit a Sacerdote thuribulum et, omnibus Altaribus exornatis, illud Episcopo, in Faldistorio sedenti, praesentat pro impositione et benedictione incensi. Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Omnis terra* etc., Diacono thuribulum porrigit et ab eo recipit postquam Episcopus tertia vice thurificaverit ultimum Altare, deinde thuribulum et naviculam ad Sacristiam defert.

Articulus IX.

De Acolytho in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3012.— Acolythus se gerit ut sub n. 2995, II notavimus; receptam tabellam n. 1 signatam ad abacum non defert, sed cum ceteris procedit ad secundum Altare, suppedaneum conscendit e latere Evangelii, tabellam Subdiacono tradit a quo recipit, Crucibus aqua sacrata signatis, et ita se gerit in reliquis Altaribus, dein tabellam ad

abacum defert ex quo sumit tabellam signatam n. 2 et iterum se confert ad sinistram Subdiaconi, in suppedaneo primi Altaris, cui tabellam tradit quam recipit, intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc. Cum Episcopus, aspersis ceteris Altaribus, revertitur ad primum Altare, Acolythus suppedaneum conscendit, Subdiacono tabellam ut prius tradit; et ita se gerit, donec Episcopus septies intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Asperges me* etc., ac postea ad abacum defert tabellam.

Dum Episcopus, ante primum Altare dedicandum, recitat Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., sumit ex abaco tabellas n. 3, 4 et 5; Oratione completa, Subdiacono tradit tabellam n. 3, quam recipit, unctionibus peractis; eandem tabellam porrigit Subdiacono postquam Episcopus conversus fuerit ad Altare cum SS. Reliquiis, et eam recipit intonata vel incepta Antiphona: *Sub Altare Dei sedes* etc. Postquam Episcopus thurificaverit SS. Reliquias in sepulcro occlusas, porrigit Subdiacono tabellam n. 4, quam recipit postquam Episcopus inceperit Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc. Completa Oratione: Deus, *qui ex omnium* etc., tradit Subdiacono tabellam n. 5, quam recipit postquam Episcopus signaverit s. Chrismate super tabulam et sepulcrum in modum Crucis, dein cum ceteris procedit ad secundum Altare et se ut in primo gerit, et ita in reliquis, ac postea ad abacum defert tabellas, ex quo sumit tabellas n. 6 et 7, dein se confert ad sinistram Subdiaconi, in suppedaneo primi Altaris? et statim porrigit tabellam n. 6 quam recipit, imposito ac benedicto incenso, dein tradit tabellam n. 7 eamque recipit postquam Episcopus cantaverit, vel dixerit: *Stetit Angelus* etc.

Sedente Episcopo in Throno vel in Faldistorio, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 8 (eadem est n. 6 etc.) eamque recipit post impositionem et benedictionem incensi. Thurificato ab Episcopo ultimo Altari, Acolythus accedit ad primarium Altare, se confert ad sinistram Subdiaconi, in suppedaneo, eique tradit tabellam n. 9 (quae est eadem signata n. 6 etc.) eamque recipit post impositionem et benedictionem incensi. Postquam Episcopus thurificaverit mensam in medio et in quatuor angulis, tradit Subdiacono tabellam signatam n. 10 eamque recipit intonato Responsorio: *Dirigatur* etc.

Quum Episcopus reversus fuerit ad primum Altare, Acolythus Subdiacono tradit tabellam n. 11, eamque recipit, intonata Antipliona: *Erexit* etc., statimque tradit tabellam n. 12, quam recipit, unctionibus super Altare peractis, et cum ceteris se confert ad secundum Altare; quo cum pervenerit, eandem tabellam Subdiacono porrigit et ita deinceps se gerit in reliquis Altaribus.

Quinn Episcopus pervenerit ad primum Altare, Acolythus Subdiacono porrigit tabellam n. 13 (eadem est n. 6 etc.); qua recepta, tradit tabellam n. 14 (eadem est n. 10 etc.), quam recipit postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Responsorium: *Dirigatur* etc.

Intonata Antiphona: *Mane surgens* etc., Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 15 (eadem est n. 12 etc.) eamque recipit, unctionibus peractis, et cum ceteris procedit ad secundum Altare, ibique tradit Subdiacono eandem tabellam et ita deinceps se gerit in reliquis Altaribus.

Quum Episcopus reversus fuerit ad primum Altare, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 16 (eadem est n. 6 etc.); qua recepta, statim porrigit tabellam n. 17 (eadem est n. 10 etc.) et eam recipit, intonato Responsorio: *Dirigatur* etc.

Postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Unxit te Deus etc.*, Acolythus porrigit tabellam n. 18 (eadem est n. 12 etc.), quam recipit unctionibus peractis, dein pergit cum ceteris ad secundum Altare; quo cum pervenerit, eandem tabellam Subdiacono tradit et ita se gerit in reliquis Altaribus.

Quum Episcopus redierit ad primum Altare, Acolythus tradit Subdiacono tabellam n. 19 (eadem est n. 6 etc.); qua recepta, porrigit tabellam n. 20 (eadem est n. 10 etc.) eamque recipit, intonato vel incepto Responsorio: *Dirigatur* etc. Quum Episcopus, peruncta tota mensa ultimi Altaris, pervenerit ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 21, quam recipit post intonationem Antiphonae: *Ecce odor etc.*

Dum Episcopus format Cruces granis incensi in ultimo Altari, Acolythus sumit ex abaco gossypium ceratum et expedite accendit Cruces e gossypio cerato granis superimpositas et hoc peragit dum ceteri Clerici eandem actionem in reliquis Altaribus perficiunt.

Post Orationem: *Maiestatem* etc., porrigit tabellam n. 22 eamque recipit postquam Episcopus inunxerit coniunctiones mensae et cum ceteris procedit ad secundum Altare; quo cum pervenerit, tradit Subdiacono eandem tabellam et ita se gerit in reliquis Altaribus.

Acolythus una cum Ministro aquae benedictae extendit super mensam Altaris primi chrismale, et tobaleas, collocat candelabra cum cereis, atque candelas accendit.

Quum Episcopus ad Altare accedit, absoluto Psalmo 62: *Deus, Deus meus* etc., Acolythus et ipse ad Altare accedit, Subdiacono tradit tabellam n. 23, quam recipit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Omnis terra* etc.; iterum tradit Subdiacono eandem tabel-

lam cum Episcopus reversus fuerit ad Altare; et ita se gerit tertio cum Episcopus redierit ad Altare. Tabellam a Subdiacono receptam ad abacum defert.

Articulus X.

De Ministro aquae benedictae, de Clerico primo et secundo, de Clericis intorticia gestaturis in consecratione plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3013. — I. - De Ministro aquae benedictae. — Minister se gerit ut sub n. 2996, 1, sed postquam Episcopus, aqua sacrata, Cruces signaverit super mensam primi Altaris, procedit cum ceteris ad reliqua Altaria et se ut in primo gerit; Crucibus super mensam ultimi Altaris signatis, effundit in vasculum aquam sacratam, dein vasculum ipsum et aspersorium accipit, ad Altare revertitur et consistit ad dexteram Diaconi, dum Episcopus Altare aspergit; quo asperso, cum ceteris ad reliqua Altaria procedit et se gerit ut in primo.

Septem aspersionibus super omnia Altaria peractis, Minister defert ad abacum vasculum cum aspersorio, et postquam Episcopus benedixerit coementum, residuum aquae sacratae effundit ad basim stipitis uniuscuiusque Altaris, deinde procedit cum ceteris ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., Minister sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis; completa Oratione, suppedaneum conscendit et Diacono vasculum porrigit, a quo recipit postquam Episcopus signaverit mensam et sepulcrum, ac postea procedit ad secundum Altare, ibique ut in primo se gerit, et ita se gerit in reliquis Altaribus, tandem vasculum ad abacum defert.

Intonata vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Erexit* etc., Minister sumit ex abaco vasculum Olei Catechumenorum in lance cum aliquantulo gossypio, accedit ad dexteram Diaconi, cui porrigit vasculum et ab eodem recipit postquam Episcopus quinque Cruces signaverit super mensam, ac postea cum ceteris procedit ad secundum Altare; quo cum pervenerit, tradit Diacono vasculum et se ut in primo Altari gerit et ita in reliquis, deinde ad abacum defert vasculum.

Iterum vasculum Diacono tradit, intonata vel incepta Antiphona: *Mane surgens* etc., et se ut supra gerit, pariter se ut supra gerit post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, altare* etc., sed ex abaco sumit vasculum s. Chrismatis.

Dum Episcopus recitat, vel cantat, Orationem: *Descendat* etc., Minister sumit ex abaco ampullam Olei Catechumenorum et ampullam s. Chrismatis. Antiphona: *Sanctificavit* etc. ab Episcopo intonata, vel incepta, porrigit ampullas Diacono quas recipit postquam Episcopus sacra Olea super mensam effuderit, deinde cum ceteris procedit ad secundum Altare; quo cum pervenerit, ampullas Diacono porrigit et ita se gerit in reliquis, dein ampullas ad abacum defert.

Dum Episcopus recitat Orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., se gerit ut sub n. 2996, I, sed, peractis unctionibus ad coniunctiones mensae primi Altaris, procedit cum ceteris ad secundum Altare; quo cum pervenerit, Diacono vasculum tradit, et ita se in reliquis gerit.

II. - De Clerico primo et secundo. — Hi Clerici se gerunt ut sub n. 2996, II notavimus, sed:

1° Transferunt Faldistorium in medium Presbyterium, quando illud collocatum est ante infimum Altaris gradum in latere Epistolae.

2° Procedunt ad Sacristiam, nisi adsint Clerici intorticia deferentes, post quartani aspersionem omnium Altarium.

3° Accipiunt Feretrum de manibus Presbyteri et ad Sacristiam deferunt, postquam Episcopus acceperit Capsulam SS. Reliquiarum deponendam in sepulcro ultimi Altaris.

4° Sequuntur, deferentes concham, Clericos in sacro ordine constitutos quorum munus est Altaria abstergere.

5° Clericus secundus, Crucibus e gossypio cerato granis thuris impositis in primo Altari, procedit cum ceteris ad reliqua Altaria.

6° Collectis cineribus et erasa cera in primo Altari, ambo se conferunt ad secundum, dein ad cetera Altaria.

7° Collocant super omnia Altaria candelabra cum cereis.

III. - De Clericis intorticia gestaturis. — Clerici quatuor se gerunt ut sub n. 2968, II diximus, sed ad Sacristiam procedunt post quartam aspersionem omnium Altarium.

Si Feretrum collocatum sit super abacum, in media Ecclesia, quando Presbyteri illud ad primum Altare deferunt, Clerici ad latera incedunt et postquam Episcopus acceperit Capsulam reponendam in sepulcro, pariter ad Feretri latera ad abacum revertuntur, sed duo Clerici consistunt ad Altaris latera donec Episcopus clauserit sepulcrum, dein ad abacum pergunt. Et ita omnes Clerici intorticia deferentes se gerunt in repositione SS. Reliquiarum in ceteris Altaribus etiam si Feretrum collocatum sit super abacum in Presbyterio.

Clerus et Cantores se gerunt ut in Articulo XII praecedentis Capitis, sed intonatam vel inceptam ab Episcopo Antiphonam: *Introibo ad Altare* etc. prosequuntur, deinde canunt vel recitant Psalmum 42: *Indica me, Deus* etc., et post unumquemque Versiculum repetitur tota praedicta Antiphona atque in fine Psalmi non dicitur: *Gloria Patri* etc. Pariter se gerunt cum canendi vel recitandi sint sequentes Psalmi: 83: *Quam dilecta* etc.; 91: *Bonum est* etc.; 44: *Eructavit cor* etc.; 45: *Deus noster* etc., ne Ritus peragatur absque cantu vel recitatione Psalmorum.

Summarium Ritus consecrationis plurium Altarium fixorum seu immobilium.

3014. — Adventus Episcopi ad Ecclesiam. — Aspersio aquae benedictae. — Adorato SS. Sacramento, Episcopus procedit ad Faldistorium, vel in media Ecclesia, vel in Presbyterio. — Episcopus incipit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. — Lotio Episcopi manuum. — Episcopus assumit paramenta. — Antiphona: *Ne reminiscaris* etc. repetitur tantum ab Episcopo. — Episcopus procedit ante Altare (si in media Ecclesia consistit in eodem loco) et consistit convenienti distantia. — Antiphona: *Adesto* etc.; Oratio: *Actiones nostras* etc. — Si Functio peragatur sine cantu. Episcopus ipse Litanias Sanctorum recitat, adstantibus respondentibus. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit. — Postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altaria haec* etc., baculum dimittit, iterum genuflectit. — Completis Litaniis, Episcopus, si in media Ecclesia, se appropinquat ad Altare. — *Deus, in adiutorium* etc., Episcopus ter canit, vocem elevans secunda et tertia vice. — Benedictio aquae, cineris et vini. — Si Episcopus in media Ecclesia revertitur ad Altare primum et in suppedaneo incipit Antiphonam: *Introibo* etc., quinque Cruces, aqua sacrata, super mensam facit. — Procedit ad secundum Altare itemque se gerit, dein se ad reliqua Altaria confert. — Procedit ad mediani Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (infra, brevitatis causa, notabimus: *O. F. L·.).* — Post Orationem: *Singulare illud* etc., (si in media Ecclesia procedit ad Altare primum) incipit Antiphonam: *Asperges me* etc., et mensam aspergit. — Aspersis omnibus Altaribus, Episcopus revertitur ad primum, quod secundo aspergit, dein cetera aspergit. — Hoc fit aliis quinque vicibus. — Septima aspersione peracta super ultimum Altare, Episcopus revertitur ad mediam Ec-

clesiam, vel ad Presbyterium. — Post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., Episcopus benedicit coementum. — Processio ad Sacellum SS. Reliquiarum. — Ante Sacelli ingressum: *O. F. L.* — Episcopus post Orationem: *Fac nos, quaesumus* etc., mitram accipit, imponit et benedicit incensum, dein incipit Antiphonam: *Cum iucunditate* etc. — Processio ad inediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — Depositis SS. Reliquiis super abacum et completis Antiphonis, Episcopus inchoat Antiphonam: *Exultabunt* etc. — Absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc., Episcopus s. Chrismate in singulis quatuor angulis parvi sepulcri duplicem unctionem facit. — Dimissa mitra, Episcopus ex Urna SS. Reliquias sumit, incipit Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., et Capsulam in sepulcro reponit.— Impositio et benedictio incensi. — Episcopus, triplici ductu, SS. Reliquias thurificat. — Episcopus inungit sepulcri operculum in modum Crucis. — Episcopus ponit coementum super sepulcri postem. — Accepto operculo, Episcopus intonat Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc., claudit sepulcrum et firmat operculum coemento. — Post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., Episcopus s. Chrismate facit duplicem unctionem super Altaris mensam et sepulcrum comprehendens utrumque. — Episcopus procedit ad secundum Altare. — In suppedaneo cantat, vel recitat: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc. — Omnes actiones, ut in primo Altari, iterat et ita in reliquis Altaribus, dein ad Altare primum revertitur. — Impositio et benedictio incensi cum formula: *Ab illo... In nomine Patrisetc.* — Intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc., Episcopus thurificat Altare undique, dein, retinens thuribulum, procedit ad reliqua Altaria. — Ultimo Altari thurificato, tradit Diacono thuribulum, procedit ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — Post Orationem: *Dirigatur* etc., Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Clerici colligunt spongiis aquam sacratam et Altaria mantilibus abstergunt. — Thure benedicto, ad Altare revertitur, thurificat super eius mensam, in medio et in quatuor angulis, in modum Crucis. — Episcopus, retinens thuribulum, procedit ad cetera Altaria. — Ultimo Altari thurificato, tradit Diacono thuribulum et ad primarium revertitur. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., ter circuit continue thurificans Altare, dein procedit ad reliqua Altaria, retinens thuribulum. — Ultimo Altari thurificato, tradit thuribulum Presbytero et revertitur ad primum Altare. — Intonata Antiphona: *Erexit* etc., Episcopus Oleo Catechumenorum facit quinque duplices unctiones super mensam in medio et in quatuor angulis, dein procedit ad reliqua Altaria et ita se gerit, ac postea ad

primum Altare revertitur. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Episcopus Altare semel circuit thurificans, dein ut supra se gerit. — Ultimo Altari thurificato, procedit ad inediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — *O. F. L.* — Post Orationem: *Adsit, Domine* etc. (si in media Ecclesia, procedit ad Altare primum) ascendit suppedaneum. — Intonata Antiphona: *Mane surgens* etc., se gerit ut post intonationem Antiphonae: *Erexit* etc. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigaturetc.,* se ut supra gerit. — Ultimo Altari thurificato, revertitur ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — *O. F. L.* — Post Orationem: *Adesto, Domine* etc., et: *Omnipotens sempiterne Deus* etc. (si in media Ecclesia procedit ad Altare primum) suppedaneum conscendit. — Intonata Antiphona: *Unxit te* etc., Episcopus s. Chrismate facit quinque Cruces, se ut supra gerens, et ita ad reliqua Altaria, dein ad primum Altare revertitur. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., se ut supra gerit, sed in thurificatione procedit ad suam sinistram. — Ultimo Altari thurificato, procedit ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — *0. F. L.* — Post Orationem: *Descendat* etc. (si in media Ecclesia procedit ad Altare primum) suppedaneum conscendit. — Incepta Antiphona: *Sanctificavit* etc., effundit super mensam s. Chrisma et Oleum Catechumenorum coniunctim, dein procedit ad reliqua Altaria et ut in primo se gerit, ac postea procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Lotio Episcopi manuum. — Si Episcopus sit in Throno, vel in Faldistorio in latere Epistolae collocato, procedit ad medium Presbyterium (alias in eodem loco), intonat Antiphonam: *Eccc odor* etc. — Absoluto Psalmo 86: *Fundamenta* etc., absque *Gloria* etc., Episcopus dicit: *Lapides hos* etc., ac postea incipit Antiphonam: *Aedificavit* etc. — Episcopus recitat: *Dei Patris omnipotentis etc.,* mitram-dimittit et benedicit thus super Altaria cremandum. — Episcopus format quinque Cruces granis thuris, scilicet in medio et in quatuor angulis mensae, dein granis Cruces e gossypio cerato superimponit. — Procedit ad reliqua Altaria et super eorum mensas idem peragit. — Quibus super omnia Altaria peractis, Clericus Cruces e gossypio cerato accendit. — Omnibus Crucibus accensis. Episcopus genuflexus in Faldistorio, absque pileolo, incipit: *Alleluia. Veni, sancte* etc. — A Septuagesima ad Pascha omittitur: *Alleluia.* — Absoluto Versiculo, Episcopus reassumit pileolum, surgit. — Immediate post Orationem: *Domine sancte* etc., *O. F. L.* — Oratio: *Deus omnipotens* etc. — Praefatio. — Absoluta Praefatione, Episcopus (si in media Ecclesia procedit ad Altare primum) ascendit

suppedaneum et incipit Antiphonam: *Confirma hoc* etc. — Stans Episcopus s. Chrismate Crucem signat in media parte anteriori stipitis, dein ad reliqua Altaria procedit et se gerit ut in primo. — Episcopus revertitur ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — Post Orationem: *Maiestatem tuam* etc. (si in media Ecclesia procedit ad Altare primum) suppedaneum conscendit, inungit coniunctiones mensae stipiti in quatuor angulis, dein ad reliqua Altaria procedit et se ut in primo gerit. — Episcopus revertitur ad inediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — Post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc., procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Episcopus lavat manus. — Clerici in s. Ordine constituti abstergunt Altaria. — Benedictio tobalearum aliorumque ornamentorum Altarium. — Episcopus, ad Altare conversus, incipit Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc. — Altaribus exornatis, impositio et benedictio incensi. — Episcopus in suppedaneo primi Altaris incipit Antiphonam: *Omnis terra* etc., thurificat super mensam in modum Crucis. — Retinens thuribulum, Episcopus procedit ad reliqua Altaria eorumque mensas thurificat in modum Crucis. — Pariter, retinens thuribulum, Episcopus revertitur ad primum Altare ibique secundo intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc., et se ut supra gerit; idem tertio peragit. — Ultimo Altari thurificato tradit Diacono thuribulum. — Episcopus procedit ad mediam Ecclesiam, vel ad Presbyterium. — Episcopus post Orationes: *Descendat* etc., et: *Omnipotens* etc., cantat, vel recitat: *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.*

CAPUT X.

DE CONSECRATIONE ALTARIS FIXI SEU IMMOBILIS CUIUS SEPULCRUM SS. RELIQUIARUM EST IN MEDIO CAVITATIS SEU SUMMITATIS STIPITIS

Articulus I.

De expositione SS. Reliquiarum pridie vespere.

3015. — Pro expositione SS. Reliquiarum praeparatur Sacellum in ipsa Ecclesia in qua consecrandum sit Altare, vel etiam expositio haec fieri potest in Sacristia, vel in aliquo decenti loco, ipsi Ecclesiae proximo.

Omnia praeparantur ut sub n. 2908.

Si SS. Reliquiae in Altari reponendae sint exigua ossium fragmenta, tunc paratur Capsula, ut dictum est sub allato numero.

Si vero Corpora aut integrorum ossium Reliquiae sint, tunc paratur Arca plumbea cum operculo in quo nomina Sanctorum incisa sint; Arca collocatur super abacum, alba tobalea contectum, septuaginta et quinque centimetrorum altitudinis ut commode repositio fiat.

Sanctorum Reliquiae advolvuntur et consuuntur separatim in sericeis velis, rubri coloris, quibus apponitur schedula cum nomine Sancti.

SS. Reliquiae collocantur super Urnam aut plures argenteas pelves, si haberi possint, alias super sericea vela rubri coloris et teguntur velo serico pariter rubri coloris.

3016. — Functio peragitur ut notavimus sub n. 2909, sed si SS. Reliquiae includantur in Arca plumbea, Episcopus postquam SS. Reliquias in Arca reposuerit et incluserit grana thuris ac pergamenam, procedit ad Faldistorium ibique sedet.

Conveniens est ut ab aliquo Clerico superimponatur SS. Reliquiis sericeum velum rubri coloris; quo facto, Artifex plumbarius imponit operculum, quod stamno circum obducit, et super stamnum ipsum in pluribus locis Clericus imprimit Episcopi sigillum. Quibus expletis, Arca tegitur velo rubri coloris, tunc Episcopus surgit et Arca ipsa a Sacerdotibus collocatur super Altaris mensam, si capax, alias super abacum in cornu Evangelii.

Articulus II.

De iis quae praeparanda sunt pro Altaris consecratione.

3017. — 1. — In Sacello in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Super infimum Altaris gradum collocatur in medio pulvinus albi coloris. Si Sacellum extra Ecclesiam sit, tunc parantur in aliquo decenti loco: quatuor planctae rubri coloris cum totidem cingulis, albis et amictibus; thuribulum cum navicula; quatuor intorticia.

2. — Ad Altare dedicanduai.

Parantur omnia quae diximus sub n. 2972, 2, sed non collocatur super alterum abacum operculum sepulcri SS. Reliquiarum; mensa vero Altaris, quae fungitur vice dicti operculi, collocatur congruo

in loco intra Presbyterium, si capax, alias extra ipsum, sed proxime; mensa Altaris ita collocatur supra duos canterios, aliquo panno contectos, altitudinis unius metri, ut pars quae respicere debet internum Altaris inungi possit; apud dictam mensam collocantur apta instrumenta ad eam super Altare transferendam.

Ad Altare SS. Sacramenti et in Sacristia omnia quae sub n. 2972, 3 et 4 notavimus.

3018. — Quoniam quibusdam caeremoniis huius Ritus incommodum affert uti Pontificali, praeparantur tabulae quatuordecim ut infra.· Ne tamen confusio oriatur in earum usu, apponatur numerus in capite cuiusque tabulae, iuxta ordinem quo illae adhibentur.

N. 1.

Conse feretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine P3✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

8 *

Sub al-ta- re De- i

N. 2.

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur haec tabula per istam unctionem, et Dei benedictionem. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

N. 3.

Sub al-ta- re De-

N. 4.

Signe ✠ tur, et sancti ✠ ficetur hoc Altare. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

N. 5) 9, 10, 14, 17, 20.

Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

N. 7.

Intro- i- bo

Sancti ✠ ficetur hoc Altare, in honorem Dei omnipotentis, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam sancti *N.* In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

N. 8.

A-sper- ges me

N. 13, 16, 19.

Sancti ℗ ficetur, et conse ℗ cretur lapis iste. In nomine Pa ℗ tris, et Fi ℗ lii, et Spiritus ℗ Sancti, in honorem Dei, et gloriosae Virginis Mariae, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti N. Pax tibi.


N. 22.

Ecce o- dor

N. 23.

in nomine Pa ℗ tris, et Fi ℗ lii, et Spiritus ℗ Sancti.

N. 24.



Omnis ter-ra

Articulus III.

De Episcopo consecrante Altare fixum seu immobile, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3019. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, accedit ad Ecclesiam et se gerit inore solito in aspersione aquae benedictae, ac postea se confert ad Altare SS. Sacramenti, tandem ad Altare dedicandum et in Faldistorio sedet. Ad nutum Caeremoniarii, surgit, detecto capite, ad Altare se convertit et incipit recitare Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. Incepto Psalmo 6: *Domine, ne in furore* etc., se ad populum convertit, in Faldistorio sedet, Crucem pectoralem, cappam, vel mozzettam, vel mantellettum dimittit, bireto caput tegit manusque lavat. Dimisso bireto, sumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius; accipit etiam mitram et baculum, dein legit Psalmos Poenitentiales prosequens in recitatione cum Choro. Repetita Anti-

phona: *Ne reminiscaris* etc., Episcopus surgit et, medius inter Diaconum et Subdiaconum, procedit ante Altare subsistens ab ipso convenienti distantia, ibique baculum ac mitram dimittit et intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Adesto, Deus unus omnipotens* etc.; absoluto a Cantoribus Antiphonae cantu, tono feriali cantat, vel dicit: *Oremus* et Orationem: *Actiones nostras* etc.; qua absoluta, mitram accipit et genuflectit in Faldistorio.

Si Functio peragatur absque cantu, Episcopus ipse recitat Litanias Sanctorum, respondentibus Adstantibus.

Si nomina Sanctorum Martyrum, quorum Reliquiae in sepulcro clauduntur, adsint in Litaniis, repetuntur; si vero eorum nomina in Litaniis non inveniuntur, tunc invocantur bis, iuxta ordinem hierarchicum, ante Versiculum omnibus communem, v. g.: *Omnes Sancti Martyres; Omnes Sancti Pontifices et Confessores* etc.

Si Altare dedicatur Beatae Mariae Virgini sub quovis Titulo, repetitur Versiculus: *Sancta Maria;* si cuidam Mysterio de vita aut de Passione Christi, repetitur Versiculus: *Fili Redemptor mundi Deus;* si Spiritui Sancto, repetitur Versiculus: *Spiritus Sancte Deus;* si Deo uni ac trino, repetitur Versiculus: *Sancta Trinitas unus Deus.*

Post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, accipit baculum et eodem tono dicit, vel cantat, ut in Pontificali: *Ut Altare hoc* etc., producens signum Crucis versus Altare, et postquam tertio decantaverit: *Ut Altare hoc* etc., baculum dimittit iterumque in Faldistorio genuflectit usque ad Litaniarum finem, dein surgit, se appropinquat ad Altare, mitram dimittit, genuflectit in pulvino et recitat, vel cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus, vel ab Adstantibus: *Domine, ad adiuvandum me festina,* Episcopus surgit et cantat, vel recitat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, secundo cantat, vel dicit, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, tertio cantat, vel dicit, elevans hemitonio vocem: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat* etc., Episcopus accipit mitram ac baculum, accedit ad abacum, ibique baculum dimittit et absolute dicit: *Exordio te* etc. In Exorcismo omittit verba: *Ecclesiae et;* quae verba omittuntur etiam in Exorcismo aquae (nam benedictio aquae huius in pluribus editionibus Pontificalis Romani revocari solet ad Ritum Dedicationis Ecclesiae). Exorcismo absoluto, mitram dimittit et dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater* etc., qua Oratione absoluta, mitram accipit et exorcizat aquam dicens:

Exorcizo te etc.; Exorcismo absoluto, mitram deponit et dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres, dicens: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce poenitentibus* etc.; qua Oratione completa, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixti salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, cineris, et aquae* etc., dein mantili abstergit manum ac statim dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine lesu Christe* etc.; qua Oratione absoluta, accipit ampullam, vel phialam, vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit, dicens: *Commixtio vim. salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi orationem meam Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator d conservator* etc., sed omittit verba: *Ecclesiae et* (vide quae supra diximus); qua Oratione completa, si maltha facienda sit, accipit mitram, admiscet sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfundit et facit maltham seu coementum ac postea, dimissa mitra illud benedicit dicens: *Dominus vobiscum. Oremus. Summe Deus* etc

Si loco calcis et sabuli, quae a Pontificali indicantur, adhibeatur gypsum, coementum, vel quid simile (D. 4165 ad 1), Episcopus non ei superfundit aquam sacratam, nam ab actione hac ad tempus in quo utendum est coemento non brevis interponitur mora, interea gypsum obdurescit tamquam lapis. Propterea Episcopus benedicit gypsum non infusum in aquam sacratam, et in casu Oratio pro benedictione immutanda est (/. c.).

Coemento benedicto, Episcopus accipit mitram et baculum, procedit ad locum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerit, priusquam ingrediatur, deponit baculum ac mitram et cantat, vel dicit: *Oremus,* tum pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* cantat, vel recitat, Orationem: *Aufer a nobis* etc., et ita se gerit in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione absoluta, accipit mitram ac baculum et Sacellum ingreditur; baculum Ministro tradit et ante SS. Reliquias consistit. Dimissa mitra, Episcopus dicit, vel cantat: *Oremus. Fac nos. quaesumus Domine* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, imponit et benedicit incensum, dein intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Cum iucunditate* etc., baculum accipit et procedit. Quum

Processio ad Altare dedicandum pervenerit, Episcopus baculum Ministro tradit et consistit in medio ante gradus.

Completis Antiphonis: *Cum iucunditate* etc.; *Surgite, Sancti Dei* etc., Episcopus inchoat, vel intonat, Antiphonam: *Exaltabunt* etc., et, dum ea repetitur, Altare conscendit; qua Antiphona repetita, mitram dimittit et cantat, vel dicit: *Oremus. Deus, qui in omni loco* etc.; Oratione absoluta, mitram accipit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et facit in singulis quatuor angulis internis stipitis Altaris duplicem unctionem in modum Crucis, scilicet unam ad verbum: *Conse feretur,* alteram ad verbum: *Sancti ficctur,* et producens manu dextera triplex signum Crucis dicit: *Innomine Pa % tris, et Fi © lii, et Spiritism Sancti* etc., deinde mitram deponit, se ad populum convertit, reverenter, utraque manu, Arcam SS. Reliquiarum, adjuvantibus sacris Ministris, accipit, se ad Altare convertit et intonans, vel incipiens, Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes etc.,* Arcam in Altari reponit, deinde, more solito, imponit ac benedicit incensum; cum profunda reverentia ante et post, triplici ductu, thurificat SS. Reliquias. Tradito Diacono thuribulo, Episcopus mitram et baculum accipit ac se confert ad locum in quo Altaris mensa collocata est, ibique Ministro tradit baculum, intingit pollicem in s. Chrismate et inungit partem lapidis quae spectat internum Altaris, proferens formulam: *Consecretur* etc., faciens duplicem unctionem in modum Crucis ad verba: *Conse* ✠ *cretur,* et: *Sancti* ✠ *ficetur,* ac postea, manu dextera, triplex Crucis signum producit, dicens: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi- % Hi, et Spiritus Sancti* etc., deinde abstergit gossypio pollicem; accepto baculo, pergit ad Altare, ante cuius infimum gradum, Ministro baculum porrigit, suppedaneum conscendit, trullam cum coercento accipit et ponit exiguam coementi quantitatem super stipitis labrum in quo mensa collocanda est; quo facto, baculum accipit et procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium.

Episcopus, ad nutum Caeremoniarii, accepto baculo, ad Altare revertitur, baculum dimittit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc. Absoluta Antiphona: *Corpora Sanciorum* etc., Episcopus mitram dimittit et dicit, vel cantat: *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, rursus intingit pollicem dexterum in s. Chismate ct facit duplicem mictionem in medio mensae, dicens ad primam unctionem: *Signe* ✠ *tur,* ad secundam: *Sancti* ✠ */icetur etc.,* dicens vero: *In nomine Poetris, et Fi* ✠ *Hi* etc., producit, dextera manu, triplex Crucis signum ac postea gossypio abstergit pollicem, dein imponit et benedicit incensum, dicens: *Ab*

illo benedicaris... In nomine ℣ *artiris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Saucii,* producens tria Crucis signa, qua formula semper deinceps utetur.


Deposita mitra, Episcopus intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Stetit Angélus* etc., mitram iterum accipit et, donec durat Antiphonae cantus, thurificat Altare undique ad dexterum et sinistrum latus ante et desuper. Antiphona absoluta, tradit Diacono thuribulum, mitram dimittit et, stans in medio suppedaneo, cantat vel recitat: *Oremus. Dirigatur oratio nostra* etc., qua completa, mitram accipit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Introibo* oJ *Altare Dei* etc., deinde intingit pollicem dexterum in vasculo aquae sacratae et signat Crucem in medio mensae Altaris, dicens: *Sancti* ✠ *ficetur hoc Altare* etc.; ad verba: *In nomine Paviris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Sancti,* triplex signum efficit super Crucem signatam; ac postea aliam Crucem, se ut supra gerens, signat in angulo posteriori cornu Evangelii, tertiam in angulo anteriori cornu Epistolae, quartam in angulo anteriori cornu Evangelii, quintam in angulo posteriori cornu Epistolae ut in sequenti figura:

Episcopus, quinta Cruce signata, abstergit pollicem, dein se confert in medium suppedanei, ibique, repetita a Cantoribus, vel ab Adstantibus, Antiphona post ultimum Versum Psalmi 42: *Iudico me, Deus* etc., mitram dimittit et cantat vel dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Singulare illud* etc. completa, Episcopus intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata, accipit mitram. Aspersorio a Diacono accepto, circuit Altare procedens a dextris suis, illius mensam et stipitem una simul aspergit et redit ad locum, ante medium Altaris, unde discesserat. Completo tertio Versu Psalmi 50: *Miserere* etc., scilicet: *Amplius lava me* etc., Episcopus iterum intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Asperges me* etc., retinens mitram se gerit ut supra. Intonat, vel inchoat, quoque Antiphonam: *Asperges me* etc.; post Ver-

siculos: *Ecce enim in iniquitatibus* etc.; *Auditui meo* etc.; *Ne proiicias me* etc.; *Libera me* etc.; *Sacrificium Deo* etc. Antiphona incepta vel intonata, circuit Altare et illud ut supra aspergit.

3020. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, intonata Antiphona: *Asperges me* etc., incipit a medio aspergere stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis, et prosequitur aspergere totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, tum latus stipitis in latere Evangelii, dein aspergens partem anteriorem stipitis in eodem latere revertitur in medium.

3021. — Septem Altaris aspersionibus absolutis et decantato a Cantoribus vel recitato ab Adstantibus ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere* etc., Episcopus mitram dimittit et ante medium Altaris cantat, vel dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui es visibilium* etc.; qua Oratione absoluta, mitram et baculum accipit, de Altari descendit et procedit ad Thronum, si Ordinarius et Thronus sit erectus, vel ad Faldistorium, in cornu Epistolae collocatum, ibique baculum dimittit, imponit et benedicit incensum, ad nutum Caeremoniarii; ac postea baculum accipit, surgit, ad Altare procedit, ante cuius infimum gradum baculum dimittit, suppedaneum conscendit, thuribulum accipit et, nihil dicens, thurificat in modum Crucis super mensam, semel tantum, in medio et in quatuor angulis ordine in sequenti figura signato:



ac postea thuribulum Diacono tradit; iterum imponit et benedicit incensum; ad Altare conversus intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc.; accepto thuribulo, Altare ter circuit procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul.

3022. — Si Altare circumiri non possit, tunc Episcopus, intonato, vel inchoato, Responsorio: *Dirigatur* etc., incipit a medio thurificare stipitem in latere Epistolae, dein latus stipitis, et prosequitur

thurificare totam mensam procedens a latere Epistolae ad latus Evangelii, deinde thurificans partem anteriorem stipitis in eodem latere revertitur in medium; hoc tribus vicibus peragitur.

3023. — Altari thurificato, tradit thuribulum Presbytero qui thurificationem prosequi debet; stans in medio suppedaneo intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Erexit* etc., ac postea intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum, facit quinque duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti-% ficetur,* alteram ad verbum: *Conse* ✠ *cretur,* super mensam, scilicet in medio et in quatuor angulis, ordine descripto in sequenti figura:

2

et producit, dextera manu, triplex Crucis signum super singulam duplicem unctionem dicens: *In nomine Pci* ✠ *tris* etc.

Quinque unctionibus peractis, Episcopus pollicem abstergit et, dum repetitur Antiphona, imponit ac benedicit incensum. Absoluta Antiphona, intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., thuribulum accipit, Altare circuit, semel tantum, procedens ad suam dexteram continue thurificans stipitem et mensam una simul. Si Altare circumiri non possit, se gerit ut sub n. 3022 notavimus.

3024. — Tradito thuribulo Presbytero et absoluto Responsorio, Episcopus mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Adsit, Domine* etc. absoluta, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Mane surgens* etc., mitram accipit et, modo supra notato, quinque alias duplices unctiones Oleo Catechumenorum facit; quibus peractis, incensum imponit ac benedicit, intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., Altare pariter, ut supra, thurificat, ac postea Presbytero thuribulum tradit.

Completo Responsorio, Episcopus mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Adesto,*

Domine etc., et responso: *Anien,* immediate subiungit: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod* etc. Oratione completa, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Unxit te* etc., mitram accipit, alias quinque unctiones s. Chrismate efficit, modo supra notato; quibus peractis, pariter ut supra, imponit et benedicit incensum nec non intonat, vel inchoat, Responsorium: *Dirigatur* etc., thurificat Altare, sed procedens ad suam sinistram.

Tradito Presbytero thuribulo et completo Responsorio, Episcopus mitram dimittit et cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Descendat, quaesumus* etc., intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Sanctificavit* etc., mitram accipit, dein dextera ampullam s. Chrismatis, sinistra ampullam Olei Catechumenorum accipit, effundit Olea iunctim super medium mensae in longitudinem nullam proferens formulam; traditis Diacono ampullis, palma dexterae manus expandit et illinit sacra Olea super totam mensam diffundens ea prius versus partem posteriorem, dein versus anteriorem ita ut sacris Oleis tota mensa illita sit; quo facto, annulum dimittit, manus lavat et abstergit, annulumque recipit ac postea, repetita Antiphona: *Sanctificavit* etc. post Psalmum 45: *Deus noster refugium* etc. intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Ecce odor* etc. Decantato, vel recitato ultimo Versu Psalmi 86: *Fundamenta* etc., scilicet: *Sicut laetantium* etc., Episcopus immediate recitat: *Lapidem hunc, fratres carissimi* etc., ac postea intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc.; qua absoluta, recitat alteram invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.; qua completa, mitram dimittit et, facie cornu Epistolae conversa, dicit: *Domine, exaudi orationem* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus omnipotens* etc., qua Oratione completa, aspergit incensi grana, dein mitram accipit et quinque granis incensi format Crucem super mediam mensam in ipso unctionis loco et ipsis superimponit Crucem e gossypio cerato; idem facit in quatuor angulis, in ipsis unctionum locis, servans eumdem ordinem unctionum. Si grana incensi non sint ita levigata, ut Crucem ceratam sustinere possint, tunc Episcopus primum ponit Crucem, dein infra ipsam collocat incensi grana; haec est communis praxis plurium locorum; ratio haec commodior et expeditior est, nec contraria est Rubricae Pontificalis Romani.

3025. — Dum Clericus Cruces accendit, Episcopus, accepto baculo, procedit ad Faldistorium, in medio Presbyterio collocatum, ibique Ministro tradit baculum; omnibus Crucibus accensis, mitram et pileolum dimittit, genuflectit in Faldistorio et intonat Versiculum:

Alleluia. Veni, sancte Spiritus etc., omittens: *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha. Absoluto Versiculo, Episcopus pileolum accipit, surgit et consistit dum canuntur, vel recitantur Antiphonae: *Ascendit fumus* etc.; *Stetit Angelus* etc.; qua ultima Antiphona absoluta, immediate cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levait.* Responso: *Arnen,* post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., immediate cantat, vel recitat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Prolatis verbis: *Spiritus Sancti Deus,* prosequitur in tono Praefationis, si Orationem cantaverit. Praefatione completa, mitram accipit, suppedaneum ascendit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc., intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et stans Crucem signat in media parte anterioris stipitis, dein pollicem abstergit.

Si Crux posita super stipitem sit metallica, Episcopus unctionem facit in modum Crucis extra praedictam Crucem, scilicet supeream, vel sub ea, in ipso stipite. Decantato vel recitato Psalmo 67: *Exurgai Deus etc.,* cum: *Gloria Patri* etc., Episcopus mitram dimittit et dicit: *Oremus. Maiestatem tuam* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit, intingit dexterum pollicem in s. Chrismate et inungit conjunctiones mensae stipiti in quatuor angulis, dicens tantum: *In nomine Pa Φ tris, et Fi Φ lii, et Spiritus Φ Sancti.* Inungit primum conjunctionem in angulo posteriori cornu Evangelii, dein in anteriori eiusdem cornu, ac postea in angulo posteriori cornu Epistolae, tandem in angulo anteriori eiusdem cornu; quibus unctionibus peractis, Episcopus abstergit pollicem gossypio, de Altari descendit, mitram dimittit et, ante eiusdem Altaris gradum, dicit: *Oremus. Supplices te deprecamur* etc. Oratione completa, Episcopus mitram accipit ac baculum et, si Ordinarius et Thronus erectus sit, ad Thronum procedit, ibique baculum Ministro tradit, manusque lavat et abstergit; si vero Ordinarius non sit, tunc procedit ad Faldistorium in cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum collocatum.

Ad nutum Caeremoniarii, Episcopus accipit baculum et procedit ad abacum; baculo Ministro tradito ac mitra dimissa, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., ut in Pontificali Romano. Absoluta Oratione: *Omnipotens et misericors Deus* etc., aspergit Altaris ornamenta, deinde, mitra ac baculo acceptis, revertitur ad Thronum, vel ad Faldistorium, et sedet. Ad nutum Caeremoniarii, surgit et ad Altare conversus intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Circumdate, Levitaetic.*

Altari ornato, Episcopus sedet vel in Throno vel in Faldistorio, imponit ac benedicit incensum, surgit et, accepto baculo, procedit ante infimum Altaris gradum, Ministro baculum tradit; dimissa

mitra et Cruci reverentia facta, suppedaneum conscendit, intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Omnis terra* etc., dein, accepto thuribulo, Crucem super mensam efficit; tunc iterum intonat, vel inchoat, Antiphonam: *Omnis terra* etc., et rursus thurificat in modum Crucis supermensam; itemque tertia vice Antiphonam inchoat, vel intonat, et thurificat eodem modo mensam ac postea Diacono thuribulum tradit; quo facto, cantat vel recitat: *Oremus. Descendat* etc., dein: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini* etc.; qua Oratione completa, cantat vel recitat: *Dominus vobiscum. Benedicemus Domino.*

Responso: *Deo gratias,* Episcopus se gerit ut sub n. 2985 notavimus.

Articulus IV.

De Ministris sacris in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3026. — Statuta hora, Ministri sacri se conferunt ad Sacristiam Ecclesiae in qua Altare consecrandum et assumunt amictum, albam, cingulum, Diaconus accipit etiam stolam albi coloris, dein ambo procedunt ad Altare dedicandum et apud Faldistorium sedent in scamno, tecto capite. Quum Episcopus pervenerit, surgunt, detecto capite, se ei inclinant, vel genuflectunt. Postquam Episcopus in Faldistorio sederit, Diaconus aufert ei Crucem pectoralem, Subdiaconus mozzettam vel mantellettum, dein Diaconus accipit a Caeremoniario paramenta eisque, adiuvante Subdiacono, Episcopum induit; accepto ab Episcopo baculo, ambo legunt cum eodem Episcopo Psalmos Poenitentiales prosequentes in recitatione cum Clero.

Repetita a solo Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., ambo surgunt et, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Altare subsistentes ab illo convenienti distantia, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert eamque reponit post Orationem: *Actiones nostras* etc., dein ambo genuflectunt ad latera Faldistorii.

Decantato a Cantoribus, vel dicto ab Episcopo Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., ambo cum Episcopo surgunt, et sustinentes eius pluvialis fimbrias, iterum genuflectunt postquam Episcopus tertio dixerit vel decantaverit: *Ut Altare hoc* etc. Completis Litaniis surgunt, se appropinquant cum Episcopo ad Altare, Diaconus mitram ei aufert. Ambo genuflectunt et assurgunt quando Episcopus genuflectit et assurgit. Responso a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc.,

Diaconus Episcopo mitram imponit, eique aufert post salis Exorcismum. Absoluta Oratione: *Domine Deus* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit eique aufert post aquae Exorcismum. Post Orationem: *Domine Iesu Christe, qui in Cana* etc., Diaconus porrigit Episcopo ampullam vini; qua recepta et absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., si maltha facienda est, Diaconus imponit Episcopo mitram eamque aufert postquam Episcopus admiscuerit sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfuderit, si id faciendum. Coemento benedicto, Diaconus mitram Episcopo imponit, dein ambo sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias procedunt ad Sacellum in quo SS. Reliquiae expositae sunt; quo cum pervenerint, Diaconus, priusquam Episcopus ingrediatur, aufert ei mitram. Decantato, vel dicto, ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus, genuflectens cantat, vel dicit: *Flectamus genua,* et Subdiaconus surgens cantat, vel dicit: *Levate,* ac postea ita se gerunt in simili casu, quod brevitatis causa nuntiabimus tantum verbis: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Aufer a nobis* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit et ambo cum eodem Episcopo ad Altare procedunt; quo cum pervenerint, Diaconus Episcopo mitram aufert quam post Orationem: *Fac nos, quaesumus Domine* etc., ei imponit et incensum ministrat.

Quum Processio ad Altare dedicandum pervenerit, ambo consistunt ad Episcopi latera, ante infimum gradum; dum repetitur Antiphona: *Exaltabunt* etc., Altare conscendunt et, repetita Antiphona, Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., ac postea accipit vasculum s. Chrismatis, Subdiaconus vero accipit tabellam cum formula unctionis, quam ante Episcopum sustinet.

Unctionibus peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus tabellam, dein Diaconus mitram Episcopo aufert, ambo cum eodem Episcopo versus populum se convertunt, Diaconus amovet ab Arca plumbea velum sericeum, dein ambo adiuvant Episcopum Arcam accipientem; cum eo ad Altare se convertunt et pariter eum adiuvant dum Arcani intra Altare reponit, interim Subdiaconus accipit ab Acolytho tabulam quam eidem reddit, intonato Responsorio: *Sub Altare Dei* etc.; Arca reposita, Diaconus ministrat ei incensum ac postea thuribulum. SS. Reliquiis thurificatis, Diaconus imponit Episcopo mitram et ambo procedunt cum eodem ad locum quo Altaris mensa collocata est, ibique Diaconus accipit vasculum s. Chrismatis, Subdiaconus vero tabellam cum formula unctionis quam sustinet ante Episcopum. Unctionibus

peractis, Diaconus tradit Clerico vasculum, Subdiaconus tabellam et ambo cum Episcopo ad Altare revertuntur. Diaconus accipit trullam cum coemento, eamque Episcopo porrigit. Postquam Episcopus coenrentum super stipitis labrum posuerit, Diaconus recipit trullam ac postea ambo cum Episcopo procedunt ad Thronum, vel ad Faldistorium, ibique sedent ad Episcopi latera.

Innuente Caeremoniario, ambo cum Episcopo ad Altare revertuntur, ibique Diaconus mitram ei aufert, Subdiaconus accipit tabellam, quam ante Episcopum sustinet; Antiphona intonata ab Episcopo, tradit tabellam Acolytho. Absoluta Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., accipit vasculum s. Chrismatis, Subdiaconus tabellam; unctionibus peractis, Subdiaconus tradit Acolytho tabellam et ab eodem aliam tabulam accipit, Diaconus porrigit Clerico vasculum dein Diaconus ministrat incensum, dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet quam reddit Acolytho, imposito ac benedicto incenso. Diaconus receptam naviculam Thuriferario tradit, ac postea mitram Episcopo aufert quam reponit intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc., dein Episcopo ministrat thuribulum et post Altaris mensae thurificationem aufert Episcopo mitram, quam reponit post Orationem: *Dirigatur* etc. Intonata ab Episcopo Antiphona: *Introibo ad Altare* etc., Diaconus accipit vasculum aquae sacratae, et Subdiaconus tabellam cum formula aspersionis quam ante Episcopum sustinet.

Quinque aspersionibus completis, Diaconus tradit Clerico vasculum et Subdiaconus Acolytho porrigit tabellam. Absoluto Psalmo 42: *Indica me, Deus* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Singulare illud* etc., Subdiaconus tabellam accipit quam Acolytho reddit intonata Antiphona: *Asperges me* etc. Quum Episcopus in medium Altare revertitur recipit tabulam et ita deinceps se gerit donec Episcopus septies intonaverit vel inceperit Antiphonam: *Asperges me* etc.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., mitram ei Diaconus imponit, deinde aspersorium porrigit; ambo sustinent eius pluvialis fimbrias et Episcopum in septem Altaris aspersionibus comitantur; quibus absolutis et decantato a Cantoribus ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere etc.,* Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc.; ambo procedunt cum eo ad Thronum vel ad Faldistorium.

Innuente Caeremoniario, Diaconus ministrat incensum, dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet, dein cum Episcopo ambo

ad Altare revertuntur et suppedaneum conscendunt; Diaconus Episcopo thuribulum porrigit; thurificato Altari, iterum Diaconus ministrat incensum dum Subdiaconus tabellam ante Episcopum sustinet; thure imposito tabulam Acolytho tradit et ab eodem aliam tabellam accipit et postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Responsorium: *Dirigatur* etc., Diaconus thuribulum eidem porrigit. Subdiaconus tabellam Acolytho tradit Altari thurificato, Diaconus non recipit ab Episcopo thuribulum, sed aliquantulum recedit ut Episcopus Sacerdoti, qui thurificationem prosequi debet, thuribulum tradat; tunc Diaconus accipit vasculum Olei Catechumenorum, Subdiaconus vero tabellam accipit quam reddit Acolytho intonata Antiphona: *Erexit* etc., dein accipit tabellam cum formula unctionis et ambo se gerunt ut alias.

Quinque unctionibus peractis, Diaconus et Subdiaconus ad incensi impositionem et benedictionem, ad intonationem Responsorii: *Dirigatur* etc., nec non ad Altaris thurificationem se ut supra gerunt. Absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., Diaconus aufert Episcopo mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata, vel incepta ab Episcopo Antiphona: *Mane surgens* etc., Diaconus imponit ei mitram, accipit vasculum Olei Catechumenorum, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis.

Peractis unctionibus, Diaconus et Subdiaconus ad incensi impositionem et benedictionem et ad reliqua se ut supra diximus gerunt. Diaconus postquam absolutum fuerit Responsorium: *Dirigatur* etc., Episcopo mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata, vel incepta Antiphona: *Unxit te* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit et accipit vasculum s. Chrismatis, dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis. Unctionibus peractis, Diaconus et Subdiaconus ad impositionem et benedictionem incensi ed ad reliqua se gerunt ut supra notavimus. Completo Responsorio: *Dirigatur* etc., Diaconus mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Antiphonam: *Sanctificavit* etc., Diaconus mitram ei imponit, dein eidem porrigit ampullam s. Chrismatis et ampullam Olei Catechumenorum; receptas ampullas Diaconus Clerico tradit. Dum Episcopus illinit sacra Olea super totam mensam, ambo sustinent elatum eius pluviale. Post mensae unctionem, Diaconus educit annulum Episcopo, dein mantile ministrat ac postea annulum inducit. Subdiaconus accipit ab Acolytho tabellam quam ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Ecce odor* etc., ac postea eidem Acolytho tradit eam.

Post invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Diaconus Episcopo mitram aufert; completa Oratione: *Domine Deus omnipotens* etc., porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto, imponit mitram, dein eidem porrigit Crucem e gossypio cerato ac postea ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium in medio Presbyterio collocatum. Omnibus Crucibus accensis, Diaconus aufert Episcopo mitram ac pileolum; ambo genuflectunt ad Faldistorii latera, et, absoluto Versiculo: *Alleluia. Veni, sancte* etc., Diaconus pileolum Episcopo reponit, dein ambo surgunt. Completa Antiphona: *Stetit Angelus* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Praefationem, Diaconus mitram Episcopo imponit; ambo cum Episcopo suppedaneum conscendunt et, intonata, vel incepta, ab Episcopo Antiphona: *Confirma* etc., Diaconus accipit vasculum s. Chrismatis; unctione peracta, tradit Clerico vasculum; Episcopo mitram aufert absoluto Psalmo 67: *Exurgat Deus* etc., cum *Gloria* etc., quam iterum imponit post Orationem: *Maiestatem tuam* etc., et accipit iterum vasculum s. Chrismatis dum Subdiaconus accipit tabellam cum formula unctionis.

Peractis unctionibus, Diaconus tradit Clerico vasculum, Subdiaconus tabellam, ambo cum Episcopo de Altari descendunt, et Diaconus mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Supplices te deprecamur* etc. Ambo cum Episcopo procedunt ad Thronum, vel ad Faldistorium. Abstersis ab Episcopo manibus, innuente Caeremoniario, procedunt ad abacum, ibique Diaconus Episcopo mitram aufert et post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., porrigit ei aspersorium; quo recepto, Episcopo mitram imponit et ambo cum Episcopo revertuntur ad Thronum, vel ad Faldistorium.

Altari ornato, Diaconus ministrat incensum, ambo cum Episcopo ad Altare procedunt, ante cuius infimum gradum, Diaconus Episcopo mitram aufert; ambo, Cruci reverentia vel genuflexione facta, suppedaneum conscendunt. Subdiaconus accipit tabellam quam ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc.; tabulam Acolytho tradit intonata vel incepta Antiphona tertia vice. Postquam Episcopus intonaverit, vel inceperit, Antiphonam: *Omnis terra etc.,* Diaconus porrigit ei thuribulum, quod recipit postquam Episcopus, tertia vice, intonata, vel incepta Antiphona: *Omnis terra* etc., Altare thurificaverit super mensam in modum Crucis.

Responso a Choro vel ab Adstantibus: *Deo gratias,* post: *Benedicamus Domino,* se gerunt ut sub n. 2987 notavimus.

Articulus V.

De quatuor Presbyteris Feretrum vel Arcani SS. Reliquiarum gestaturis deque Presbytero Altare thurificaturo in consecrationi Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3027. — I. - De quatuor Presbyteris Feretrum vel Arcam gestaturis. — Presbyteri designati, completis Litaniis procedunt ad Sacristiam, assumunt paramenta, deinde se conferunt ad Sacellum, in quo expositae sunt SS. Reliquiae, ibique sistunt duo in cornu Evangelii, duo in cornu Epistolae.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Cum iucunditate* etc., sumunt Feretrum, vel Arcam, et procedunt ad Altare dedicandum; quo cum pervenerint, deponunt Feretrum, vel Arcam, super abacum in cornu Evangelii et ad eius latera consistunt, donec Episcopus inunxerit angulos internos stipitis Altaris; tunc Feretrum, vel Arcam, elevant, suppedaneum conscendunt, et, accepta ab Episcopo Urna, vel Arca, tradunt Feretrum duobus Clericis, ac postea de Altari descendunt et pergunt ad locum quo collocata est Altaris mensa, ibique consistunt.

Quum Episcopus, posito coeinento supra labrum stipitis, procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium, quatuor Presbyteri, dum Coementarii vel Lapidarii attollunt mensam, apponunt manum ad quatuor angulos eiusdem mensae, et manum amovent quando mensa composita est super stipitem, ac postea se ad Sacristiam conferunt, ubi sacra paramenta deponunt.

II. - De Presbytero Altare thurificaturo. — Presbyter se gerit ut diximus sub n. 2988, II.

Articulus VI.

De Caeremoniario in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3028. — Caeremoniarius se gerit ut in Articulo VI Capitis VIII huius Sectionis, sed advertat:

1. - Episcopus post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., facit maltham, si facienda, et benedicit coementum, dein procedit ad Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

II. - In Processione ad Altare dedicandum servetur ordo Rescriptus sub n. 2958.

III. - SS. Reliquiis in Altari repositis et thurificatis, Episcopus procedit ad locum in quo collocata est Altaris mensa, et postquam eam inunxerit pergit ad Thronum, vel ad Faldistorium.

IV. - Composita mensa super stipitem, Caeremoniarius innuit Episcopo ut ad Altare se conferat.

V. - Duplicibus unctionibus in media mensa peractis, Episcopus intonat Antiphonam: *Stetit Angelus* etc.; thurificato Altari, Episcopus intonat Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* etc., dein quinque Cruces aqua sacrata super mensam efficit.

VI. - Post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium.

VII. - Absterso Altari, Caeremoniarius innuit Episcopo ut imponat et benedicat incensum.

Ut rite et expedite Ritus Altaris consecrationis persolvatur. Caeremoniarius prae oculis habeat huius Functionis summarium schematica forma redactum sub n. 3033.

Articulus VII.

De Ministris libri et candelae in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3029. — Hi Ministri

accedunt ad Episcopum:

cum ille ad Faldistorium pervenerit;

postquam ille acceperit mitram et baculum;

ab eodem recedunt:

incepta ab Episcopo Antiphona: *Ne reminiscaris* etc.;

repetita Antiphona: *Ne reminiscaris efc.;*

cum Episcopus ante Altare pervenerit et, absoluta Oratione: Actiones nostras etc., si Functio peragatur sine cantu, genuflectunt ante eum;

absoluta Oratione: *Actiones nostras etc., si Functio* peragatur cum cantu;

recitato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus etc., surgunt et* postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc etc., iterum* genuflectunt; completis Litaniis, surgunt;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc., si Functio peragatur cum cantu, alias, absoluta Oratione: *Summe Deus* etc., post benedictionem coementi;

priusquam Episcopus ingrediatur Sacellum, in quo expositae sunt SS. Reliquiae;

post Orationem: *Aufer a nobis* etc.;

quum Episcopus pervenerit ante Reliquias;

absoluta Oratione: *Fac nos, quaesumus* etc.;

quum Episcopus ad Altare pervenerit, depositis super abacum SS. Reliquiis;

si Functio peragatur sine cantu, postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc.;

si Functio peragatur cum cantu, repetita Antiphona: *Exaltabunt* etc.;

repetita Antiphona: *Exultabunl* etc.;

repetita Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc.;

completa Oratione: *Deus, qui ex omnium etc.;*

post cantum Antiphonae: *Stetit Angelus* etc.;

absoluta Oratione: *Dirigatur oratio* etc.;

absoluto Psalmo 42: *Indica me, Deus* etc.;

completa Oratione: *Singulare illud* etc.;

post septimani Altaris aspersionem:

absoluta Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc.

postquam, secundo, tertio et quarto recitatum fuerit Responsorium: *Dirigatur* etc.

Deinde se gerunt ut diximus circa finem n. 2992.

Articulus VIII.

De Ministris mitrae et baculi in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3030. — Quum Episcopus pervenerit ad Altare dedicandum, Ministri pergunt ad Sacristiam, ubi assumunt vmpam ac postea ad Altare revertuntur et a Caeremoniario accipiunt mitram ac baculum.

1. **– De Ministro mitrae,**

Minister mitram Diacono porrigit:

ab eodem recipit:

sumpto ab Episcopo pluviali;

cum Episcopus coram Altari pervenerit;

post Orationem: *Actiones nostras* etc.;

completis Litaniis;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Deus, in adiutorium etc., Gloria Patri etc.;*

absoluto salis Exorcismo;

completa Oratione: *Domine Deus, Pater omnipotens etc.;*

aqua exorcizata;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., si maltha facienda, alias post Orationem: *Summe Deus* etc.;

postquam Episcopus maltham fecerit, si facienda, alias antequam Episcopus ingrediatur Sacellum in quo expositae sunt SS. Reliquiae;

post Orationem: *Aufer a nobis* etc.;

cum Episcopus pervenerit ante SS. Reliquias;

post Orationem: *Fac nos, quaesumus Domine* etc.;

completo Psalmo 150: *Laudati Dominum in sanctis eius* etc,:

absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc.;

postquam Episcopus signaverit stipitem Altaris in quatuor angulis;

SS. Reliquijs thurificatis;

recitata Antiphona: *CorporaSonctorum* etc.;

post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc.;

imposito et benedicto incenso;

incepta Antiphona: *Stetit Angelus* etc.;

repetita Antiphona: *Stetit Angelus etc.;*

incepta Antiphona: *Asperges me* etc.;

septima aspersione absoluta;

completa Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc.;

absoluto Responsorio: *Dirigatur* etc., secundo.

incepta Antiphona: *Mane surgens* etc.

Deinde se gerit ut diximus cir a finem n. 2993, I.

II. - De Ministro baculi.

porrigit Episcopo baculum: Minister ab eodem recipit:

assumptis ab Episcopo paramentis et mitra;

cum Episcopus pervenerit coram Altari;

post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc.;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc.;

responso tertio: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc.;

cum Episcopus ad abacum pervenerit;

coemento benedicto;

antequam Episcopus ingrediatur Sacellum, in quo SS. Reliquiae expositae sunt;

post Orationem: *Aufer a nobis* etc.;

cum Episcopus pervenerit ante SS. Reliquias;

incepta Antiphona: *Cum iucunditate* etc.;

cum ad Altare dedicandum pervenerit;

SS. Reliquiis thurificatis;

cum pervenerit ad locum, in quo Altaris mensa collocata est;

inuncta Altaris mensa;

cum pervenerit ante infimum Altaris gradum;

postquam coementum posuerit super labrum stipitis;

cum pervenerit ad Thronum, vel ad Faldistorium;

ad nutum Caeremoniarii, collocata super stipitem mensa;

cum Episcopus ad Altare pervenerit;

completa Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc.;

cum Episcopus ad Thronum, vd ad Faldistorium pervenerit;

thure imposito ac benedicto, ad Caeremoniarii nutum.

ante infimum Altaris gradum.

Deinde se gerit ut diximus circa finem n. 2993, II.

Articulus IX.

De ceteris Ministris inferioribus in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3031. — 1. **- De Crucifero deque Ceroferariis.** — Crucifer et Ceroferarii se gerunt ut diximus sub n. 2994, sed Altaris aspersiones ab Episcopo perficiuntur postquam SS. Reliquiae iam in Altari repositae fuerunt.

II. - **De Thuriferario.** — Thuriferarius se gerit ut sub n. 2995, I notavimus.

III. - De Acolytho. — Acolythus se gerit ut sub n. 2995,11 diximus, sed, reposita super abacum lance in qua sal erat, non sumit tabellam et se aliis Clericis conformat.

Dum Episcopus canit Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., Acolythus sumit ex abaco tabellas n. 1,2 et se confert in cornu Evangelii, suppedaneum conscendit, tabellam n. 1 Subdiacono porrigit quam recipit, inunctis angulis stipitis. Postquam Episcopus et Ministri conversi fuerint ad Altare, Acolythus porrigit Subdiacono eamdem tabellam quam recipit, intonata Antiphona: *Sub Alton Dei sedes* etc. Quum Episcopus pervenerit ad locum, in quo collocata

est Altaris mensa, tradit Subdiacono tabellam n. 2 quam recipit, inuncta mensa, dein deponit tabellas super abacum ex quo sumit tabellas n. 3,4 et 5; cum Episcopus, collocata super stipitem mensa, ad Altare revertitur, se confert in cornu Evangelii, suppedaneum conscendit et tradit Subdiacono tabulam n. 3, quam recipit postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi* etc. Absoluta Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., porrigit Subdiacono tabellam n. 4, quam recipit postquam signaverit in modum Crucis Altaris mensam in medio, et statim porrigit tabellam n. 5 quam recipit, imposito ac benedicto incenso; dein tradit tabellam n. 6 eamque recipit postquam Episcopus cantaverit: *Stetit Angelus* etc., dein tabellas super abacum reponit. Dum Episcopus cantat Orationem: *Dirigatur oratio nostra etc.,* Acolythus sumit ex abaco tabellam n. 7, se confert in cornu Evangelii, suppedaneum conscendit tabulamque porrigit Subdiacono quam recipit, aspersionibus ab Episcopo super mensam peractis, et defert ad abacum ex quo sumit tabulam signatam n. 8; iterum ad sinistram se confert Subdiaconi cui tabellam tradit eamque recipit, intonata Antiphona: *Asperges me* etc. Quum Episcopus redit in medio Altaris, aspersione peracta, rursus Subdiacono porrigit tabellam et ita deinceps se gerit donec Episcopus septies intonaverit Antiphonam: *Asperges me* etc., dein defert ad abacum tabellam.

Sedente Episcopo in Throno vel in Faldistorio, Acolythus porrigit Subdiacono tabellam n. 9 (quae est eadem signata n. 5 etc.) et se gerit usque ad finem Ritus ut sub n. 2995, II notavimus, mutatis mutandis circa numeros tabellarum.

IV. - De Ministro aquae benedictae. — Minister, ad nutum Caeremoniarii, sumit vasculum cum aspersorio et procedit cum ceteris ad Episcopum associandum; aspersione peracta, defert vasculum ad abacum, prope Altare dedicandum.

Postquam Episcopus dixerit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., Minister extrahit parvum vasculum aquae sacratae et illud super abacum deponit. Benedicto coemento, cum ceteris procedit ad Sacellum, in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Deus, qui in omni* etc., sumit ex abaco vasculum s. Chrismatis; completa Oratione, suppedaneum conscendit, Diacono vasculum porrigit quod recipit postquam Episcopus inunxerit stipitem in quatuor angulis. Thurificatis SS. Reliquiis, procedit ad locum in quo collocata est Altaris mensa, ibique consistit ad dexteram Diaconi eique vasculums. Chrismatis porrigit et

ab eo recipit postquam Episcopus mensam inunxerit in medio, dein defert vasculum ad abacum ex quo iterum illud sumit dum Episcopus dicit Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc.; qua absoluta, Altare ascendit, Diacono porrigit vasculum quod recipit postquam Episcopus signaverit mensam in medio ac postea illud ad abacum defert.

Absoluta Oratione: *Dirigatur oratio nostra* etc., Minister sumit ex abaco parvum vasculum aquae sacratae, suppedaneum conscendit et consistit ad Diaconi dexteram; aspersionibus super mensam ab Episcopo peractis, effundit in vasculum aquam sacratam, dein vasculum ipsum et aspersorium sumit, ad Altare revertitur et consistit ad dexteram Diaconi, dum Episcopus Altare aspergit.

Aspersionibus peractis, Minister defert ad abacum vasculum cum aspersorio.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Erexit* etc., Minister se gerit ut sub n. 2996, I usque ad Ritus finem.

V. - **De Clerico primo et secundo. —** Hi Clerici se gerunt ut diximus sub n. 2996, 11, sed ad Sacristiam se conferunt, si absint Clerici intorticia gestaturi, completis Litaniis Sanctorum.

Si adhibeatur Feretrum, postquam illud in Sacristiam detulerunt, ad Altare revertuntur et, nisi Thronus sit erectus, collocant Faldistorium in cornu Epistolae, sed longe ab Altari.

Dum Episcopus recitat Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., nisi ille Throno uti possit se gerunt ut sub n. 2996, II, postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Dirigatur oratio nostra* etc., et ita se gerunt usque ad finem Ritus.

VI. - De Clericis intorticia gestaturis. — Clerici quatuor se gerunt ut sub n. 2968, II notavimus, sed ad Sacristiam procedunt, completis Litaniis Sanctorum.

Articulus X.

De Clero deque Cantoribus in consecratione Altaris fixi seu immobilis, cuius sepulcrum SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis.

3032. — I. - Cantores et Clerus se gerunt ut sub n. 2997 notavimus, sed

Cantores postquam decantaverunt tertio: *Gloria Patri* etc., et coementum benedictum fuerit, cum Clero et ceteris procedunt ad Sacellum, in quo expositae sunt SS. Reliquiae.

11. - Postquam **Cantores** decantaverunt Antiphonam: *Sub Altare Dei sedes* etc., dum elevatur mensa Altaris, canunt Responsorium: *Vos Sacerdotes et Levitae* etc.

III. - Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Sub Altare Dei audivi etc.* prosequuntur; qua absoluta, canunt etiam Antiphonam: *Corpora Sanctorum* etc.

IV. - Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Stetit Angelus* etc. Cantores pariter prosequuntur et etiam prosequuntur Antiphonam: *Introibo al Altare Dei* etc.

V. - Postquam Episcopus Responsorium: *Dirigatur* etc. intonaverit, Cantores illud prosequuntur et se gerunt ut sub n. 2997.

Summarium Ritus consecrationis Altaris fixi SEU IMMOBILIS, CUIUS SEPULCRUM SS. Reliquiarum est in medio cavitatis seu summitatis stipitis

3033. — Adventus Episcopi ad Ecclesiam. — Aspersio aquae benedictae.—Adorato SS. Sacramento, Episcopus procedit ad Altare dedicandum. — Episcopus, facie ad Altare versa, incipit Antiplionam: *Ne reminiscaris* etc. — Lotio Episcopi manuum. — Episcopus assumit paramenta. — Episcopus tantum repetit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. — Episcopus procedit ad Altare et consistit convenienti distantia. — Antiphona: *Adesto;* Oratio: *Actiones nostras* etc. — Si Functio peragatur sine cantu, Episcopus ipse Litanias Sanctorum recitat, adstantibus respondentibus. — Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit. — Postquam tertio dixerit: *Ut Altare hoc* etc., baculum dimittit, iterumque genuflectit. — *Deus, in adiutorium* etc., Episcopus ter canit, vocem elevans secunda et tertia vice. — Benedictio aquae, cineris et vini. — Post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., Episcopus benedicit coementum. — Processio ad Sacellum SS. Reliquiarum. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (infra brevitatis causa notabimus: *O.F.L.).* -Post Orationem: *Fac nos* etc., Episcopus mitram accipit, imponit et benedicit incensum, dein incipit Antiphonam: *Cum iucunditate* etc. – Processio ad Altare dedicandum. — Depositis Reliquiis super abacum et completis Antiphonis, Episcopus incipit Antiphonam: *Exultabunt* etc. — Post Orationem: *Deus, qui in omni loco* etc., unctio s. Chrismate in quatuor angulis stipitis. — Repositio Arcae

in Altari. — Thurificatio SS. Reliquiarum, triplici ductu. — Episcopus se confert ad locum in quo collocata est Altaris mensa. — Unctio s. Chrismate in medio partis Mensae quae spectat internum Altaris. — Episcopus ad Altare revertitur et super stipitis labrum ponit exiguam coementi quantitatem. — Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Dum Mensa ad Altare transfertur, quatuor Sacerdotes ponunt manum ad eiusdem mensae angulos. — Mensa super stipitem collocata, Episcopus ad Altare revertitur; dimissa mitra, intonat Antiphonam: *Sub Allan Dei sedes* etc. — Absoluta Antiphona: *Corpora Sanctorum* etc., Episcopus mitram dimittit eamque recipit post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc. — Unctio s. Chrismate in media mensa. — Impositio et benedictio incensi cum formula: *Ab illo benedicaris... In nomini Patris* etc. — Intonata Antiphona: *Stetit Angelus* etc., Episcopus thurificat Altare undique.— Post Orationem: *Dirigatur oratio etc.*, Episcopus mitram accipit, intonat Antiphonam: *Introibo ad Allan Dei* etc. — Episcopus facit quinque Cruces aqua sacrata. — *0. F. L.* — Post Orationem: *Singulare illud* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Asperges me* etc.; septies mensam aspergit. — Absoluta Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc., procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Clerici duo colligunt spongiis aquam sacratam et Altare abstergunt mantilibus.— Thure benedicto, Episcopus revertitur ad Altare; super mensam, in medio et in quatuor angulis, thurificat in modum Crucis, nihil dicens.— Impositio et benedictio incensi. —Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Episcopus ter circuit Altare, continue thurificans, dein tradit thuribulum Presbytero. — Episcopus intonat Antiphonam: *Erexit* etc.; quinque duplices unctiones in modum Crucis facit Oleo Catechumenorum super mensam in medio et in quatuor angulis. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Altare semel circuit thurificans, ut prius, dein Presbytero tradit thuribulum. — *0. F. L.* — Completa Oratione: *Adsit, Domine* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Mane surgens* etc., ac postea facit quinque Cruces ut supra Oleo Catechumenorum. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus, intonato Respohsorio: *Dirigatur* etc., Altare thurificat ac postea thuribulum tradit Presbytero. — *O. F. L.* — Post Orationes: *Adesto, Domine* etc., et: *Omnipotens sempiterne* etc., Episcopus incipit Antiphonam: *Unxit te Deus* etc., dein s. Chrismate alias quinque unctiones, ut supra, facit. — Impositio et benedictio incensi. — Intonato Responsorio: *Dirigatur* etc., Episcopus thurificat Altare procedens ad suam sinistram, dein thuribulum Presbytero tradit. –

0. F. L. — Post Orationem: *Descendat, quaesumus* etc., Episcopus incipit Antiphonam: *Sanctificavit* etc., dein effundit super mensam s. Chrisma et Oleum Catechumenorum coniunctim. — Lotio Episcopi manuum. — Episcopus incipit Antiphonam: *Ecce odor* etc. — Absoluto Psalmo 86: *Fundamenta* etc., absque: *Gloria* etc., Episcopus dicit: *Lapidem hunc* etc., ac postea incipit Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc. — Episcopus recitat: *Dei Patris omnipotentis* etc., mitram dimittit et benedicit thus super Altare cremandum. — Episcopus format quinque Cruces granis thuris, scilicet in medio mensae et in quatuor angulis, dein granis Cruces e gossypio cerato superimponit. — Clericus, dum Episcopus ad Faldistorium procedit, accendit Cruces e gossypio cerato. — Omnibus Crucibus accensis, Episcopus, genuflexus in Faldistorio, absque pileolo, incipit Antiphonam: *Alleluia* (non vero a Septuagesima ad Pascha) *Veni, sancte* etc. — Absoluto Versiculo, Episcopus reassumit pileolum, surgit. — Immediate post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., *O. F. L.* — Oratio: *Deus omnipotens* etc. — Praefatio. — Absoluta Praefatione, Episcopus ascendit suppedaneum et incipit Antiphonam: *Confirma* etc. — Stans Episcopus s. Chrismate Crucem signat in media parte anteriori stipitis. — Absoluta Oratione: *Maiestatem tuam* etc., Episcopus s. Chrismate inungit coniunctiones mensae stipiti in quatuor angulis. — Post Orationem: *Supplices te depecamur* etc., Episcopus procedit ad Thronum, vel ad Faldistorium. — Lotio manuum. — Clerici in s. ordine constituti abstergunt Altare. — Benedictio tobalearum aliorumque Altaris ornamentorum. — Episcopus, ad Altare conversus, incipit Antiphonam: *Circumdate, Levitae* etc. — Altari ornato, Episcopus imponit et benedicit incensum. — Episcopus in suppedaneo incipit Antiphonam: *Omnis terra* etc., thurificat super Altaris mensam in modum Crucis; iterum incipit praedictam Antiphonam; Altare ut prius thurificat. — Episcopus, incepta praedicta Antiphona tertia vice, thurificat ut supra ac postea Diacono thuribulum tradit. — Episcopus post Orationes: *Descendat* etc., et: *Omnipotens* etc., dicit: *Dominus vobiscum,* et: *Benedicamus Domino.*

CAPUT XI.

DE CONSECRATIONE ALTARIUM EXECRATORUM

Articulus I.

De consecratione Altaris fixi seu immobilis quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulae seu mensae a stipite.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

3034. — I. - Ad Altare consecrandum. — Super abacum: stola albi coloris; vasculum s. Chrismatis in lance et aliquantulum gossypii soluti; liber continens formulam consecrationis; scotula; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance.

II. - In cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum. — Faldistorium cum pulvinis et tegumento albi coloris.

III. - In Sacristia. — Super mensam: superpellicea pro Assistentibus; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

IV. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genunexorium cum strato et pulvinis viridis, vel violacei, coloris, iuxta temporum diversitatem.

2. — In Functione.

3035. — Episcopus, statuta hora, accedit ad Ecclesiam et se gerit more solito in aspersione aquae benedictae, dein procedit ad Altare SS. Sacramenti, ac postea ad Altare consecrandum; quo cum pervenerit, accedit ad Faldistorium ubi Crucem pectoralem, mozzettam, vel mantellettum dimittit, manus lavat, reassumit Crucem pectoralem et accipit stolam, dein procedit ad Altare, suppedaneum conscendit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et inungit in modum Crucis coniunctiones mensae cum stipite, in quatuor angulis, quasi illos coniungens, ad singulas Cruces dicens: *In nomine Pa* ✠ *tris* etc. Quibus peractis et absterso pollice, dicit: *Oremus. Maiestatem* etc., producens signum Crucis versus Altare ad verba: *bene* ✠ *dicere,* et: *sancti* ✠ *ficare.*

Oratione absoluta et responso: *Anien,* dicit: *Oremus. Supplices te deprecamur* etc., producens pariter signum Crucis ad verbum: *bene* ✠ *dictione;* qua Oratione completa, ad Faldistorium revertitur,

stolam et Crucem pectoralem dimittit, manus lavat et abstergit, reassumit mozzettam, vel mantellettum, et Crucem pectoralem, atque ab Ecclesia discedit.

Articulus II.

De consecratione Altaris quod amisit consecrationem sive ob enormem fractionem, sive ob SS. Deliquiarum amotionem, sive ob amotionem, vel fractionem, operculi sepulcri.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

3036. — I. - In cornu Evangelii Altaris consecrandi praeparatur parvus abacus, alba tobalea contectus, et super illum statuuntur duo candelabra cum cereis quorum in medio, in lance argentea, collocatur Capsula cum SS. Reliquiis et aliis in ea inclusis; Capsula tegitur serico velo rubri coloris.

II. - In cornu Epistolae praeparatur alter abacus, pariter alba tobalea contectus, et super illum disponuntur: stola albi coloris; vas seu concha decens cum aqua; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris pariter in lance; ampulla plena vini in pelvicula; aliquantulum gypsi triti in lance cretacea; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; liber continens formulam consecrationis; scotula cum candela; vasculum s. Chrismatis in lance; gossypium solutum; operculum sepulcri SS. Reliquiarum; trulla.

III. - Ante infimum Altaris gradum versus Epistolae latus. — Faldistorium cum pulvinis et tegumento albi coloris.

IV. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis, vel violacei, coloris, iuxta temporum diversitatem.

V. - In Sacristia. — Super consuetam mensam: superpellicea pro Assistentibus; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

2. — In Functione.

3037. — Statuta hora, Episcopus accedit ad Ecclesiam et se more solito gerit. Facta brevi oratione super infimum Altaris gradum, accedit ad Faldistorium ubi, dimissis Cruce pectorali et mozzetta, vel mantelletto, manus lavat et abstergit, dein reassumit Crucem pectoralem, accipit stolam ac postea se confert ad abacum et absolute dicit: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua com-

pleta, exorcizat aquam dicens: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres dicens: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc.; qua Oratione completa, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cineres in modum Crucis, tribus vicibus, dicens: *Commixtio salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem ac cinerem; quo facto, accipit pugilium huius mixturae et iniicit in aquam tribus vicibus dicens: *Commixtio salis, cineris et aquae* etc., dein mantili abstergit manum ac statim dicit: *Domine, exaudi etc. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Iesu Christe* etc.; qua absoluta Oratione, accipit ampullam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; qua Oratione completa, admiscet sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfundit, facit maltham seu coementum, ac postea illud benedicit. Si loco calcis et sabuli adhibeatur gypsum, coementum vel quid simile (D. 4165 ad 1), Oratio pro benedictione immutanda est (*l. c.*).

Benedicto coemento, Episcopus accedit ad Altare, suppedaneum conscendit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et facit in singulis angulis parvi sepulcri duplicem unctionem in modum Crucis, scilicet unam ad verbum: *Conse* Φ *cretur,* alteram ad verbum: *Sancti* Φ *flcetur* et producens, manu dextera, triplex signum Crucis dicit: *In nomine* **Paviris,** *et* **Fi** Φ *lii, et* **Spiritus** Φ *Sancti. Pax huic domui;* deinde reverenter, utraque manu, accipit Capsulam SS. Reliquiarum, quam in parvo Sepulcro reponit ac postea intingit dexterum pollicem in s. Chrismate et inungit partem mediam tabulae parvi sepulcri, quae spectat internum eiusdem sepulcri, proferens formulam: *Consecretur* etc., faciens duplicem unctionem in modum Crucis ad verba: *Conse* Φ *cretur,* et: *Sancti - flcetur,* ac postea, manu dextera, triplex Crucis signum producit, dicens: *In nomine Pa* Φ *tris, et* **Fi** Φ *lii, et* **Spiritus** Φ *Sancti. Pax tibi,* deinde abstergit gossypio pollicem, trullam cum coemento accipit, illud ponit super sepulcri postem, cavens ne supra Reliquias coementum defluat; sepulcrum claudit et firmat operculum coemento, deinde dicit: *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione completa, rursus intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et facit duplicem unctionem in modum Crucis super Altaris mensam et parvum sepulcrum, comprehendens utrumque, ut in sequenti figura:

Caput XU. - De soleiniii consecratione Altaris portatilis 455

dicens ad primam unctionem: *Signe* Φ *fur* etc., ad secundam: *Saudi* Φ *ficetur* etc., dicens vero: *in nomine Pa* Φ *tris* etc., producit dextera manu triplex Crucis signum, ac postea revertitur ad Faldistorium, ubi stolam nec non Crucem pectoralem dimittit, lavat et abstergit manus, reassumit mozzettam, vel mantellettum, et Crucem pectoralem, atque de Ecclesia discedit.

CAPUT XII.

DE CONSECRATIONE ALTARIS PORTATILIS SOLEMNITER PERAGENDA IN ECCLESIA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3038. — I. - Ad Altare maius. — Altare instruitur pallio albi coloris et super eius gradus sternitur tapetum.

Super Altaris mensam collocatur tabula lignea instar eiusdem mensae, in cuius medio foramen adsit ut Altare portatile poni queat; et ita aptatur ut Petra sacra collocanda aliquantulum emineat. Tabula tegitur tobaleis praescriptis a Rubricis.

Super Altare ponuntur sex candelabra quorum in medio collocatur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus vel SS. Reliquiae.

Super Altaris mensam disponuntur paramenta pro Episcopo, scilicet: pluviale et stola albi coloris, cingulum, alba, amictus; formale in lance; in cornu Epistolae: mitra auriphrygiata.

II. - Apud Altare in cornu Evangelii. — Baculus pastoralis.

III. - Super infimum Altaris gradum, in medio. — Collocatur pulvinus albi coloris.

IV. In cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum.– Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

V. - In medio Presbyterio. — Statuitur mensa, tela rudi pluries conduplicata tecta, et super telam hanc sternitur alba tobalea.

Super mensam collocatur Altare portatile, seu Petra sacra.

VI. - In cornu Evangelii. — Praeparatur parva mensa, alba tobalea contecta.

Super mensam hanc statuuntur duo candelabra cum cereis, quorum in medio ponitur lanx argentea continens in chartulis distinctis SS. Reliquias; in lance collocantur etiam tria thuris grana, et lanx tegitur velo serico rubri coloris.

VII. - Super consuetum abacum. — Collocantur: vas seu concha decens cum aqua; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris pariter in lance; ampulla plena vini in pelvicula; in lance, viginti quinque incensi grana aequalia et levigata ut superimponi possint Cruces e gossypio cerato; aliquantulum gypsi in lance cretacea; trulla pro coemento; quinque Cruces exiguae e subtili gossypio cerato; lanx pro Cruce pectorali; spatulae ad eradendum incensum et ceram; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; medulla panis et mali medici in lance; Pontificale Romanum; scotula cum candela; vasculum Olei Catechumenorum et s. Chrismatis in lance; ampullae argenteae plenae praedictis s. Oleis, pariter in lance; gossypium solutum; operculum sepulcri SS. Reliquiarum; aspersorium ex hyssopo; vasculum ad hauriendam aquam pro aspersionibus Altaris portatilis; parvum vasculum ad hauriendam aquam pro quinque aspersionibus tantum supra Petram sacram; tabellae cum formulis ut infra.

VIII. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam, si Episcopus celebret Missam post consecrationem Altaris, praeparantur: Calix cum purificatorio, patena, hostia, palla, corporale in bursa albi coloris; ampullae vini et aquae in pelvicula; campanula, Missale cum legili; Canon Pontificalis.

Haec omnia transferuntur super abacum quando ea, quae ad Ritum consecrationis adhibita fuerunt, deferri possunt in Sacristiam.

Praeterea parantur planeta et manipulum, albi coloris, quae super Altaris mensam transferuntur postquam collocata fuerit Petra sacra.

Si Missa de Communi Ecclesiae Dedicationis prohibeatur (v. n. 2991), tunc paramenta missalia erunt coloris Officii.

Si Missa vero celebretur a Sacerdote, tunc parantur omnia necessaria pro Missae celebratione.

Super alias mensas disponuntur superpellicea pro Assistentibus; vinipae duae.

Congruo in loco: vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula.

IX. - Ad Altare SS. Sacramenti. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis, vel violacei coloris, iuxta temporum diversitatem.

3039. — Quoniam quibusdam caeremoniis huius Ritus incommodum affert uti Pontificali, praeparantur Tabulae quinque ut infra. Ne tamen confusio oriatur in earum usu, apponatur numerus in capite cuiusque Tabulae iuxta ordinem quo illae adhibentur.

N. 1, 5, 7, 9.

Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur haec tabula. In nomine Pa © tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.


N. 2.

A-sper- ges me

N. 3, 6, 8, 10.

Di- ri-ga-tur

N. 4.



N. 11.

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

3040. — Dispositio ad Altare maius.

o

ni

A – abacus. — F = Faldistorium. — M = mensa in qua collocatur Altare portatiie. — m — mensa in qua ponitur lanx continens SS. Reliquias.

Articulus 11.

De Episcopo solemniter consecrante Altare portatiie in Ecclesia.

3041. — Statuta hora, Episcopus accedit ad Ecclesiam et se gerit more solito; brevi oratione facta super infimum Altaris gradum, procedit ad Faldistorium ibique dimittit Crucem pectoralem, mozzettam, vel mantellettum, lavat et abstergit manus, dein assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius, ac postea accipit mitram. Ad nutum Caeremoniarii Episcopus accipit baculum pastoralem et se confert ante mensam in medio Presbyterio collocatam; tradito Ministro baculo, retinens mitram, absolute dicit: *Deum omnipotentem* etc. Responso: *Arnen,* mitram dimittit, genuflectit in pulvino et cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus, vel ab Assistentibus: *Domine, ad adiuvandum me festina,* Epi-

scopus surgit et cantat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, secundo cantat, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, tertio cantat, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., ac se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat* etc., Episcopus accipit mitram et baculum, accedit ad abacum, ibique baculum Ministro tradit ac dicit: *Exorcizo te* etc. In Exorcismo et in sequentibus Orationibus, si desumuntur e Ritu consecrationis Ecclesiae, omittit verba: *Ecclesiae et,* sed dicit: *huius Altaris.* Exorcismo absoluto, mitram dimittit et dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit et exorcizat aquam, dicens: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, mitram deponit et dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres dicens: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc.; qua Oratione absoluta, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem, tribus vicibus, in modum Crucis dicens: *Commixtio salis, et cineris* etc., dum eadem manu miscet salem ac cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam, tribus vicibus, in modum Crucis dicens: *Commixtio salis, cineris et aquae* etc., dein mantili abstergit manus ac statim dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine iesu Christe* etc.; qua Oratione completa, accipit ampullam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; qua Oratione absoluta, mitram ac baculum accipit, procedit ad mensam in qua collocatum est Altare portatiie, ibique Ministro tradit baculum, dein intingit pollicem dexterum in vasculo aquae sacratae et signat duplicem Crucem in medio Altaris, dicens: *Sancti* Φ *fleetur* etc. et *Conse* Φ *cretur* etc.; ad verba: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti* Episcopus triplex signum efficit super Crucem signatam; ac postea aliam Crucem, se ut supra gerens, signat in angulo posteriori respondente sinistrae suae, tertiam in angulo anteriori respondente dexterae suae, quartam in angulo anteriori respondente sinistrae suae, quintam in angulo posteriori respondente dexterae suae, ut in sequenti figura:

Episcopus, quinta Cruce signata, abstergit pollicem, dein intonat Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata, accipit aspersorium a primo Assistente, circuit mensam tribus vicibus procedens a dextris suis et aspergit Altare; interim prosequitur cum suis Assistentibus Antiphonam, dein recitat Psalmum 50: *Miserere* etc., absque: *Gloria Patri* etc.; tertia aspersione peracta, et repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc., absque: *Gloria* etc., mitram dimittit et dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui es visibilium* etc.; qua Oratione completa, si maltha facienda sit, mitram et baculum accipit, procedit ad abacum, ibique tradito Ministro baculo, admiscet sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfundit et facit maltham seu coementum ac postea, dimissa mitra, illud benedicit ritu praescripto pro consecratione Altaris fixi (D. 3726 ad 1), scilicet dicens: *Dominus vobiscum. Oremus. Summe Deus* etc. Si loco calcis et sabuli adhibeatur gypsum, coementum vel quid simile (D.4165 ad 1), Episcopus benedicit gypsum vel coementum non infusum in aquam sacratam et in casu Oratio pro benedictione immutanda est (/. c.).

Coemento benedicto, Episcopus mitram ac baculum accipit, se ante mensam confert, baculum ac mitram dimittit, imponit et benedicit incensum, mitram accipit; thuribulo a primo Assistente accepto, incipit Antiphonam: *Dirigatur* etc.; dum Cantores eam prosequuntur ter adolet Altare per circuitum, incipiens a dextris suis et sequens methodum quae servatur in oblatorum thurificatione ad Missam, scilicet ut in sequenti figura:

Quamvis in figura circuli circa Altare portatile sint inter se distantes, id ex necessitate factum est, tamen fieri debent in eadem linea et loco.

Episcopus, thurificato Altari, tradit thuribulum Presbytero qui Purificationem prosequi debet, dein incipit Antiphonam: *Erexit Iacob* etc., ac postea intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et facit quinque duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti* Φ *ficetur,* alteram ad verbum: *Conse* Φ *cretur,* super Altare scilicet in medio et in quatuor angulis, ordine descripto in sequenti figura:

et producit dextera manu triplex Crucis signum super singulam duplicem unctionem, dicens: *in nomine Pa* Φ *tris* etc.

Quinque unctionibus peractis, Episcopus pollicem abstergit; dum repetitur Antiphona: *Erexit etc.* imponit et benedicit incensum; qua repetita, intonat Antiphonam: *Dirigatur etc.,* thuribulum accipit, Altare semel tantum per circuitum thurificat.

Tradito thuribulo Presbytero et absoluta Antiphona, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus;* tum, pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo Assistente: *Levate,* cantat Orationem: *Adsit, Domine* etc.; et ita se gerit in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione absoluta, intonat Antiphonam: *Mane surgens* etc., mitram accipit, et, modo supra notato, quinque alias duplices unctiones Oleo Catechumenorum facit; quibus peractis, incensum imponit ac benedicit, intonat Antiphonam: *Dirigatur* etc., et Altare pariter semel thurificat, ut supra, ac postea thuribulum Presbytero tradit.

Completa Antiphona, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Adesto, Domine* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Unxit* etc., mitram accipit, alias quinque unctiones s. Chrismate efficit, modo supra notato; quibus peractis, pariter ut supra imponit ac benedicit incensum, necnon intonat Antiphonam: *Dirigatur* etc., et thurificat Altare. Tradito thuribulo necnon completa Antiphona, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Exaudi nos* etc., mitram accipit, deinde intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et inungit intra sepulcrum in modum Crucis ad verba: *Conse fleretur,* et: *Sancti ficetur;* dum vero dicit: *In nomine Pa* Φ *fris* etc., producit triplex signum Crucis; dicto: *Pax hui: domui,* abstergit pollicem, mitram dimittit, reverenter accipit SS. Reliquias easque in sepulcro reponit, addit tria incensi grana; dein trullam cum coemento accipit, illinit super labrum sepulcri Altaris, cavens ne super SS. Reliquias coementum defluat, et firmat operculum coemento, ac postea dicit: *Oremus. Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione completa, intonat Antiphonam: *Ecce odor* etc., mitram accipit, dein dextera manu ampullam s. Chrismatis, sinistra ampullam Olei Catechumenorum accipit,effundit parvam copiam eorum iunctim super medium lapidem, nullam proferens formulam; traditis primo Assistenti ampullis, palma dexterae manus expandit et illinit Olea sacra super totum lapidem; quo facto, annulum dimittit, manus lavat et abstergit, annulumque reassumit, ac postea retinens mitram, decantato, vel recitato, ultimo Versu Psalmi 86: *Fundamenta* etc., scilicet: *Sicut laetantium* etc., Episcopus imnie-

diate recitat: *Lapidem hunc, fratres carissimi* etc., dein intonat Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc.; qua absoluta, recitat alteram invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.; qua completa, mitram dimittit et dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus omnipotens* etc.; qua Oratione completa, aspergit incensi grana, dein mitram accipit et quinque granis incensi format Crucem super medium lapidem, in ipso unctionis loco, et ipsis superimponit Crucem e gossypio cerato. Idem facit in quatuor angulis, in ipsis unctionum locis, servans eundem ordinem unctionum. Si grana incensi non sint ita levigata, ut Crucem ceratam sustinere possint, tunc Episcopus primum ponit Crucem, dein infra ipsam collocat incensi grana; haec est praxis plurium locorum; ratio haec commodior et expeditior est, nec contraria est Rubricae Pontificalis Romani.

Dum Clericus Cruces accendit, Episcopus, accepto baculo, procedit ad Faldistorium, ante mensam collocatum, ibique Ministro tradit baculum; omnibus Crucibus accensis, mitram et pileolum dimittit, genuflectit in Faldistorio et intonat Versiculum: *Alleluia. Veni, sancte Spiritus* etc., omittens: *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha. Absoluto Versiculo, Episcopus pileolum accipit, surgit et consistit dum canuntur, vel recitantur, Antiphonae: *Ascendit fumus* etc., *Stetit Angelus* etc.; qua ultima Antiphona absoluta, statim cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Responso: *Arnen* post Orationem: *Huius Altaris* etc., immediate cantat: *Oremus. Supplices* etc., et prolatis verbis: *Spiritus Sancti Deus,* prosequitur in tono Praefationis; completa, intonat Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc., mitram accipit, quam dimittit, completo Antiphonae cantu, et dicit: *Oremus. Quaesumus, omnipotens Deus* etc., deinde imponit ac benedicit incensum, mitram accipit, intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc.; accepto thuribulo, Crucem super Altare efficit, ac postea primo Assistenti thuribulum tradit; quo facto, mitram dimittit, cantat: *Oremus. Descendat* etc. Qua Oratione completa, mitram et baculum accipit atque procedit ad Faldistorium.

3042. — Si Episcopus Missam celebret, tradit Ministro baculum, sedet in Faldistorio, legit Psalmos et preces in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus, recitat: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit, assumit planetam tantum, non vero omnia paramenta pontificalia (D. 3437 ad 1), procedit ad Altare,

medius inter Assistentes, et se gerit more solito ut in Missae celebratione.

Articulus III.

De duobus Assistentibus Episcopo solemniter consecranti Altare portatile in Ecclesia.

3043. — Duo Assistentes, statuta hora, se conferunt ad Sacristiam Ecclesiae in qua peragenda est consecratio, assumunt superpelliceum et, si Canonici, assumunt prius rocchettum. Innuente Caeremoniario, procedunt ad Ecclesiae fores et ad aspersionem aquae benedictae, si Canonici non genuflectunt; aspersione peracta, sequuntur Episcopum si uti Cruce potest, alias eum praecedunt ad Altare SS. Sacramenti.

Quum ad Altare maius pervenerint, genuflectunt ad Episcopi latera super infimum Altaris gradum; brevi oratione facta, cum eodem Episcopo ad Faldistorium procedunt, Assistens primus aufert Episcopo Crucem pectoralem, alter mozzettam, vel mantellettum tollit, dein primus biretum cum osculis porrigit et extendit mantile super eius genua ac ministrat manutergium. Assistentes cum aliquam rem Episcopo porrigunt, deosculari debent prius rem dein manum seu annulum Episcopi; si vero ab eo aliquam rem accipiunt, prius eius manum seu annulum, deinde rem acceptam deosculari debent. Dignior a Caeremoniario paramenta accipit eisque, altero Assistente adiuvante, induit Episcopum; ad Caeremoniarii nutum, ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, cum eo se conferunt ante mensam in qua collocatum est Altare portatile.

Absoluta invitatione ad orationem: *Deum omnipotentem* etc., Assistens secundus aufert mitram Episcopo, ambo genuflectunt et assurgunt, quando Episcopus genuflectit et surgit. Responso a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc., dignior mitram Episcopo imponit, quam alter aufert post salis Exorcismum. Absoluta Oratione: *Domine Deus* etc., dignior mitram Episcopo imponit quam alter aufert post aquae Exorcismum. Post Orationem: *Domine Iesu Christe* etc., primus Assistens porrigit Episcopo ampullam vini; absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., mitram Episcopo imponit, deinde ambo ad mensam revertuntur cum Episcopo; primus Assistens accipit vasculum aquae sacratae, alter vero sumit ex mensa tabellam signatam n. 1, quam ante Episcopum sustinet.

Quinque aspersionibus super Altare completis, dignior tradit Clerico vasculum, alter deponit super mensam tabellam et sumit

tabellam signatam n. 2 quam reponit intonata Antiphona: *Asperges nie* etc. Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., mitram primus Assistens ei imponit, deinde aspersorium porrigit; ambo sustinent pluvialis fimbrias Episcopi cumque in tribus Altaris aspersionibus comitantur; quibus absolutis et decantato a Cantoribus ultimo Versiculo Psalmi 50: *Miserere* etc., Assistens secundus mitram Episcopo aufert, quam dignior reponit post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc.; deinde ambo cum Episcopo ad abacum procedunt; ibique Assistens secundus antequam Episcopus dicat: *Dominus vobiscum* etc. ei aufert mitram. Coemento benedicto, Assistens primus mitram Episcopo imponit; ambo cum eodem Episcopo ante mensam se conferunt, ibique Assistens secundus mitram Episcopo aufert et dignior incensum ministrat, mitram Episcopo imponit eique thuribulum porrigit quod, thurificato Altari non recipit, sed aliquantulum recedit ut Episcopus Presbytero, qui thurificationem prosequi debet, thuribulum tradat; accepto ab Episcopo thuribulo, Assistens secundus sumit tabellam signatam n. 3 eamque ante Episcopum sustinet dum intonat Antiphonam: *Dirigatur* etc. Dignior thurificato Altari accipit vasculum Olei Catechumenorum, alter vero tabellam signatam n. 4 quam reponit intonata Antiphona: *Erexit* etc. ac postea sumit tabellam signatam n. 5 (eadem est n. 1 etc.) et se ambo ut alias gerunt.

Quinque unctionibus peractis, Assistens primus, deposito vasculo, incensum ministrat et ambo ad intonationem Antiphonae nec non ad Altaris thurificationem se ut supra gerunt; absoluta Antiphona: *Dirigatur* etc., secundus Assistens mitram Episcopo aufert. Decantato ab Episcopo: *Oremus,* primus Assistens genuflectens cantat: *Flectamus genua* et alter surgens cantat: *Levate,* et ita se gerunt in simili casu, quod brevitatis causa nuntiabimus tantum verbis: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Mane surgens* etc., Assistens primus imponit ei mitram, accipit vasculum Olei Catechumenorum, dum alter accipit tabellam cum formula unctionis, signata n. 7 (eadem est n. 1 etc.).

Peractis unctionibus, ad incensi ministrationem et ad reliqua ambo se gerunt ut supra notavimus. Postquam absoluta fuerit Antiphona: *Dirigatur* etc., secundus Assistens mitram aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Intonata Antiphona: *Unxit te* etc., Assistens primus mitram Episcopo imponit, accipit vasculum s. Chrismatis, dum alter accipit tabellam cum formula unctionis signata n. 9 (eadem est n. 1 etc.). Peractis unctionibus, ambo se gerunt ut

supra diximus. Completa Antiphona: *Dirigatur* etc., Assistens secundus mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate*

Completa Oratione: *Exaudi nos* etc., Assistens primus mitram Episcopo imponit, dein accipit vasculum s. Chrismatis, alter vero tabellam signatam n. 11 cum formula unctionis et se gerunt ambo utaliasac postea secundus Assistens mitram Episcopo aufert. Interim dignior,nisi adsit Sacerdos, se confert ad abacum in cornu Evangelii, reverenter utraque manu accipit lancem cum SS. Reliquiis, quam ad mensam defert, super eandem deponit, et amovet sericum velum; acceptis ab Episcopo tribus thuris granis, lancem tradit Clerico a quo accipii trullam cum coemento eamque Episcopo porrigit. Intonata ab Episcopo Antiphona: *Ecce odor* etc., mitram eidem imponit, dein porrigit ampullam s. Chrismatis et ampullam Olei Catechumenorum; receptas ab Episcopo ampullas, Assistens primus Clerico tradit. Dum Episcopus illinit sacra Olea super totum Altare, ambo sustinent elatum eius pluviale. Post Altaris unctionem, Assistens primus educit annulum Episcopo, dein mantile ministrat ac postea annulum inducit.

Post invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., secundus Assistens mitram Episcopo aufert; completa Orationi *Domine Deus omnipotens* etc., porrigit Episcopo aspersorium; quo recepto, imponit mitram, dein porrigit Crucem e gossypio cerato, ac postea ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium ante eandem mensam collocatum. Omnibus Crucibus accensis, secundus Assistens Episcopo mitram et pileolum aufert; ambo genuflectunt ad Faldistorii latera et, absoluto Versiculo: *Alleluia. Veni, sancte* etc., Assistens primus pileolum Episcopo reponit, dein ambo surgunt. Completa Antiphona: *Stetit Angelus* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Praefationem, Assistens primus mitram Episcopo imponit, quam alter aufert, completa Antiphona: *Confirma* etc. Post Orationem: *Quaesumus, omnipotens Deus* etc., dignior incensum Episcopo ministrat, ei mitram imponit, dein thuribulum porrigit; thurificato Altari, secundus Assistens mitram Episcopo aufert, quam dignior reponit post Orationem: *Descendat, quaesumus* etc., ac postea ambo cum eodem Episcopo procedunt ad Faldistorium.

3044. — Si Episcopus Missam celebrat, tunc ambo ad eius latera consistunt ct cum eo alternatim recitant Psalmos in Missae praeparatione.

Ad manuum lotionem dignior extendit super genua Episcopi mantile ac postea manutergium ministrat.

Lotis et abstersis ab Episcopo manibus, secundus Assistens

mitram ei aufert, dein ambo adiuvant eum in deponendo pluviali et in assumenda planeta, ac postea se gerunt ut in assistentia Missae privatae (v. n. 1077).

Si vero Episcopus non celebret, sed Missae assistat, tunc cum ille advenerit ad Faldistorium, **Assistens secundus** ei mitram aufert, ambo eum adiuvant in deponendis paramentis sacris et in reassumendis mozzetta, vel mantelletto, et Cruce pectorali, dein eum comitantur ad Faldistorium, in medio Presbyterio collocatum, ac postea se conferunt ad sua loca in Choro. Missa absoluta, Episcopum comitantur ad Ecclesiae fores sicut etiam comitantur, dimissis paramentis, si Missae non assistat.

Articulus IV.

De Presbytero Altare thurificaturo in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia.

3045.— Presbyter, superpelliceo indutus, thurificato prima vice ab Episcopo Altari, ad nutum Caeremoniarii, accedit ad eundem Episcopum, thuribulum recipit, deosculans prius manum dein thuribulum, ac postea se confert ad latus mensae respondens cornu Epistolae Altaris et prosequitur adolere Altare eodem modo quo Chorus incensatur in transeundo, sed non abscedens de loco suo.

Dum repetitur Antiphona: *Erexit Iacob* etc., Presbyter accipit a Thuriferario naviculam, accedit ad Episcopum; receptam a primo Assistente naviculam Presbyter Thuriferario tradit ac postea thuribulum Episcopo porrigit, prius deosculans thuribulum dein eiusdem Episcopi manum. Recepto ab Episcopo thuribulo, se ut supra gerit. Accedit iterum ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi, dum repetitur Antiphona: *Mane surgens* etc., post Psalmum 91: *Bonum est* etc., et Antiphona: *Unxit te* etc., post Psalmum 44: *Eructavit* etc., et se ut supra gerit singulis vicibus. Dum Episcopus procedit ad Faldistorium, Crucibus e gossypio cerato accensis, Presbyter tradit thuribulum Thuriferario.

Articulus V.

De Caeremoniario in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia.

3046. — Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius cum nunciatur Episcopi adventus, signum dat eum associandi, et fit more solito aspersio aquae benedictae. Facta brevi oratione ad Altare SS. Sacramenti, omnes procedunt ad Altare maius.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., Caeremoniarius praemoneat duos Clericos ut colligant spongiis aquam sacratam quae in Altare supererit, ipsumque Altare abstergant et mantilibus e tela rudi exsiccent. Curet etiam ut gossypium quo Episcopus absterget unctiones et pollicem in concha ponatur.

Quamvis in Pontificali Romano sub Titulo « *De Altaris portatilis consecratione* » nusquam mentio fiat de coementi benedictione, tamen ex Responso S. R. C. diei 10 Maii 1890 (D. 3726, ad 1) coementum benedicendum est ritu pro Altaris fixi consecratione praescripto.

Caeremoniarius, coeinento benedicto, Episcopo innuit ut imponat et benedicat incensum; innuit quoque Presbytero designato ad prosequendam thurificationem Altaris ut ad mensam accedat

Decantata ab Episcopo Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., Caeremoniarius praemoneat duos Assistentes ut elatum sustineant pluviale Episcopi cum ille expandit et illinit Olea sacra super Altare.

Completa Oratione: *Exaudi nos, Deus noster* etc., Caeremoniarius praemoneat Ministrum aquae benedictae ut effundat aliquantulum aquae super gypsum et illud trulla misceat; deinde invitat Sacerdotem, si adsit, vel Assistentem primum ut transferat SS. Reliquias ex parva mensa ad mensam in quo collocatum est Altare portable. Caeremoniarius innuit Acolytho ut duos cereos super parvam mensam in cornu Evangelii collocatos exstinguat.

Ante Versiculum: *Alleluia. Veni, sancte* etc., si Altaris consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimae et Festum Paschatis, omittitur: *Alleluia.*

Curet etiam Caeremoniarius ut post Orationem: *Descendat, quaesumus* etc., duo Clerici, in sacro ordine constituti, diligenter spongiis colligant sacra Olea super Petram sacram diffusa eamque mantilibus abstergant, ac postea Acolythus et Minister aquae benedictae illam transferant super Altaris maioris mensam et eam in tabulae ligneae foramine aptent.

3047. — In die dedicationis Altaris dicitur Missa ut in Ecclesiae dedicatione cum Orationibus quae post eamdem Missam inveniuntur in Missali; sed, si Officium occurrat Missas votivas pro re gravi excludens (v. n. 1515), tunc dicitur Missa diei, cum commemoratione sub unica conclusione, dedicationis Altaris.

Ut rite et expedite Ritus Altaris portatilis consecrationis persolvatur, Caeremoniarius prae oculis habeat Summarium huius Functionis schematica forma redactum sub n. 3052.

Articulus VI.

De Ministris libri et candelae in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia.

3048. — Hi Ministri

accedunt ad Episcopum:	ab eo recedunt:
cum ille pervenerit ad mensam, in qua collocatum est Altare portatile;	
	postquam tertio dixerit: *Gloria Patri* etc.;
cum Episcopus ad abacum pervenerit;	
	absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;
repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.;	
	completa Oratione: *Summe Deus* etc.;
postquam secundo et tertio decantata fuerit Antiphona: *Dirigatur* etc.;	
	intonatis respective ab Episcopo Antiphonis: *Mane surgens* etc. et: *Unxit te* etc.;
postquam, quarta vice, decantata fuerit Antiphona: *Dirigatur* etc.;	
	absoluta Oratione: *Exaudi nos* etc.;
firmato Sepulcri operculo;	
	intonata Antiphona: *Ecce odor* etc.;
lotis et abstersis ab Episcopo manibus;	
	thuris granis benedictis;

accensis omnibus Crucibus c gossypio cerato;

absoluta Oratione: *Quaesumus, omnipotens Deus* etc.;

imposito et benedicto incenso;

intonata Antiphona: *Omnis terra* etc.;

dimissa ab Episcopo mitra, post Altaris thurificationem.

completa Oratione: *Descendat* etc.

Articulus VII.

De Ministris mitrae et baculi in consecratione Altaris portatilis solemniter peragenda in Ecclesia.

3049. — Quum Episcopus pervenerit ad Altare maius, lii Ministri pergunt ad Sacristiam, ubi assumunt vimpam, dein ad Altare revertuntur; a Caeremoniario mitram et baculum accipiunt.

I. - De Ministro mitrae. — Minister

primo Assistenti mitram porrigit:

sumpto ab Episcopo pluviali;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Deus, in adiutorium* etc., *Gloria Patri* etc.;

completa Oratione: *Domine Deus, Pater omnipotens, qui* etc.;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;

post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc.;

a secundo Assistente recipit:

absoluta invitatione ad orationem: *Deum omnipotentem* etc.;

absoluto salis Exorcismo;

aqua exorcizata;

repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.;

ante benedictionem coementi;

coercento benedicto;

imposito ac benedicto incenso;

intonatis respective Antiphonis: *Mane surgens* etc.; *Unxit te* etc., et completa Oratione: *Exaudi nos* etc.;

intonata Antiphona: *Ecce odor* etc.;

aspersis thuris granis;

intonata Antiphona: *Confirma hoc* etc.;

imposito ac benedicto incenso;

absoluta Oratione: *Descendat* etc.

II. - De Ministro baculi. —

baculum Episcopo porrigit:

assumptis ab Episcopo paramentis et mitra;

postquam Episcopus dixerit tertio: *Deus, in adiutorium* etc.; *Gloria Patri etc.;*

çum Episcopus ante mensam pervenerit;

absoluto secunda, tertia et quarta vice cantu Antiphonae: *Dirigatur* etc.;

post unctionem intra sepulcrum;

completa invitatione ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.;

omnibus Crucibus e gossypio cerato accensis;

completo cantu Antiphonae: *Confirma hoc* etc.;

thurificato Altari;

cum pervenerit ad Faldistorium, nisi Missam celebret; quo in casu, lotis et abstersis manibus.

Minister

ab eo recipit:

cum pervenerit coram mensa;

cum Episcopus ad abacum pervenerit;

dost Orationem: *Omnipotens sempiterne Dens, creator* etc.;

cum Episcopus ad mensam pervenerit;

completa Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc.;

cum ad abacum pervenerit;

benedicto coemento;

cum ad mensam pervenerit;

absoluta Oratione: *Descendat* etc.

cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit.

Articulus VIII.

De ceteris Ministris inferioribus in consecratione Altaris portalilis solemniter peragenda in Ecclesia.

3050. — L - **De Thuriferario. —** Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., Tliuriferarius accedit ad Sacristiam, thuribulum ac naviculam accipit et revertitur ad Altare maius. Absoluta Oratione: *Deus, qui es visibilium* etc., accedit ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi, dein tradit thuribulum Assistenti primo, sed, thurificato Altari, thuribulum non recipit.

Dum repetuntur respective Antiphonae: *Erexit Iacob* etc., *Mane surgens* etc., et: *Unxit te* etc., Tliuriferarius naviculam porrigit Presbytero cuius munus thurificare est, a quo recipit, imposito ac benedicto incenso.

Omnibus Crucibus c gossypio cerato accensis, accipit a Presbytero thuribulum.

Post Orationem: *Quaesumus, omnipotens Deus* etc., Thurifera-rius accedit ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi, dein tradit Assistenti primo thuribulum a quo recipit, Altare thurificato, postea ad Sacristiam procedit.

II. - **De Acolytho. —** Quum Episcopus pervenerit ad Faldistorium, Acolythus sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali et se confert ad sinistram primi Assistentis; reassumpta ab Episcopo Cruce, lancem ad abacum defert.

Postquam Episcopus dixerit Orationem: *Omnipotens sempiterne*

Deus, creator etc., Acolythus sumit ex abaco omnes tabulas cum formulis easque defert ad mensam, super quam reponit in latere respondente cornu Evangelii.

Dum Episcopus Altare thurificat, post Orationem *:Deus, qui es visibilium* etc., Acolythus defert ad mensam pelviculam cum vasculis SS. Oleorum, eamque reponit in latere respondente cornu Epistolae.

Postquam Episcopus inunxerit intra sepulcrum, defert pelviculam cum vasculis SS. Oleorum ad mensam, dein pariter defert tabulas cum formulis ad abacum, ex quo sumit operculum sepulcri et illud ponit super mensam jn latere respondente cornu Epistolae.

Translatis SS. Reliquiis ad mensam, Acolythus extinguit cereos super abacum in cornu Evangelii collocatos, dein ex mensa sumit lancem argenteam et sericum velum rubri coloris, ea ad abacum portat, ac postea ex eodem abaco sumit pelviculam cum ampullis SS. Oleorum, quam ad mensam defert atque reponit in latere respondente Epistolae cornu, dein una cum Ministro aquae benedictae statuit Faldistorium coram mensa.

Dum Episcopus recitat invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc., Acolythus sumit ex abaco lancem cum thuris granis et ad Episcopum accedit; granis aspersis, consistit ad sinistram primi Assistentis et postquam Episcopus iisdem granis formaverit Cruces super Altare, lancem ad abacum defert, ac postea expedite accendit Cruces e gossypio cerato.

Quum Episcopus de Faldistorio surgit, Acolythus una cum Ministro aquae benedictae collocat Faldistorium in cornu Epistolae, ante infimum Altaris gradum. Postquam abstersa fuerit Petra sacra, pariter cum Ministro aquae benedictae eam ad Altare transfert et collocat in foramine ligneae mensae.

Quum Episcopus accedit ad Faldistorium, completo Ritu, Acolythus sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali et accedit ad dexteram primi Assistentis; reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, lancem ad abacum defert.

Si vero Episcopus Missam celebret, Acolythus ad Sacristiam procedit et transfert ad Altare et ad abacum omnia necessaria pro Missae celebratione.

III. - De Ministro aquae benedictae. — Minister, ad Caeremoniarii nutum, sumit vasculum aquae benedictae et cum ceteris procedit ad associandum Episcopum; aspersione peracta, vasculum ad abacum defert.

Quum Episcopus procedit ad Faldistorium, Minister tollit e

gradu Altaris pulvinum et congruo in loco reponit, dein accipit a Caeremoniario paramenta et ad Episcopum accedit.

Absoluta invitatione ad orationem: *Deum omnipotentem* etc., Minister collocat ante Episcopum pulvinum, quem amovet postquam Episcopus tertio dixerit: *Gloria Patri* etc.; absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., Minister extrahit parvum vasculum aquae sacratae, illud defert ad mensam et consistit ad primi Assistentis dexteram; aspersionibus super Altare ab Episcopo peractis, effundit in vasculum aquam sacratam, dein vasculum ipsum et aspersorium sumit, ad mensam revertitur et consistit ad dexteram primi Assistentis; aspersionibus peractis, Minister defert ad abacum vasculum cum aspersorio.

Dum Episcopus dicit Orationem: *Exaudi nos* etc., Minister effundit aliquantulum aquae sacratae super gypsum et illud trulla admiscet ac postea trullam cum coemento defert ad mensam et primo Assistenti tradit, eamque recipit postquam clausum fuerit sepulcrum SS. Reliquiarum et ad abacum defert.

Dum Episcopus recitat Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., Minister una cum Acolytho statuit Faldistorium coram mensa, ante Faldistorium collocat pulvinum. Absoluta Oratione: *Dei Patris omnipotentis* etc., Minister sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad dexteram Acolythi; aspersis thuris granis, defert vasculum ad abacum, ex quo sumit lancem cum Crucibus e gossypio cerato et revertitur ad dexteram Acolythi; Crucibus impositis granis thuris, lancem ad abacum defert.

Quum Episcopus e Faldistorio surgit, Minister e pavimento tollit pulvinum, dein una cum Acolytho collocat Faldistorium in cornu Epistolae, ante infimum Altaris gradum. Combustis Crucibus et thure, Minister ligneis spatulis colligit cinerem et eradit ceram, utrumque in lance ponit ac postea in concham effundit.

Postquam Petra sacra abstersa fuerit, Minister, una cum Acolytho, eam transfert ad Altare et aptat in foramine ligneae mensae.

Quum Episcopus, absoluto Ritu, procedit ad Faldistorium, Minister et ipse accedit atque paramenta a Caeremoniario accipit.

Si vero Episcopus Missam celebret, tunc Minister ex abaco tollit ea quae pro Ritu necessaria fuerunt; cum Episcopus pluviale dimittit illud a Caeremoniario accipit et ad Sacristiam defert.

Articulus IX.

De Cantoribus in consecratione Altaris portatilis solenniter peragenda in Ecclesia.

3051. — Cantores, decantatis ab Episcopo verbis: *Deus, in adiutoriumetc.,* respondent: *Domine,ad adiuvandum* etc.,et pariter respondent: *Sicut erat* etc., post: *Gloria Patri* etc. Id faciunt secundo et tertio efferentes vocem hemitonio singulis vicibus. Omnes surgunt et genuflectunt cum Episcopus genuflectit et surgit.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Asperges me* etc. prosequuntur cum Psalmo 50: *Miserere* etc., sed in fine non dicitur: *Gloria Patri* etc., repetitur vero Antiphona: *Asperges me* etc.

Postquam incepta fuerit ab Episcopo Antiphona: *Dirigatur* etc., eam prosequuntur idemque faciunt secundo, tertio et quarto.

Pariter Cantores prosequuntur Antiphonas: *Erexit* etc.; *Mane surgens* etc.; *Unxit te* etc.; et: *Ecce odor* etc.; quibus absolutis, respective canunt sequentes Psalmos: 83: *Quam dilecta* etc.; 91: *Bonum est* etc.; 45: *Deus noster refugium* etc.; 86: *Fundamenta* etc., in quorum fine non dicitur: *Gloria Patri* etc., sed repetitur congruens Antiphona.

Intonatum ab Episcopo Versum: *Alleluia. Veni, sancte* etc. Cantores prosequuntur; a Dominica in Septuagesima ad Pascha omittitur: *Alleluia.*

Cantores canunt quoque Antiphonas: *Ascendit fumus* etc.; *Stetit Angelus* etc.

Inceptam ab Episcopo, post Praefationem, Antiphonam: *Confirma hoc* etc. Cantores prosequuntur, dein canunt: *Gloria Patri* etc., ac postea Antiphonam repetunt. Et pariter prosequuntur Antiphonam: *Omnis terra* etc., post Orationem: *Quaesumus, omnipotens Deus.*

Summarium Ritus consecrationis Altaris portatilis SOLEMNITER PERAGENDA IN ECCLESIA

3052. — Adventus Episcopi ad Ecclesiam. — Aspersio aquae benedictae. — Adorato SS. Sacramento, Episcopus procedit ad Altare maius. — Lotio Episcopi manuum. — Episcopus assumit paramenta. – Ante mensam Episcopus, retinens mitram, absolute dicit: *Deum omnipotentem* etc. — *Deus, in adiutorium* etc. ter dicit elevans

vocem secunda et tertia vice. — Benedictio aquae, cineris et vini.— Episcopus facit quinque Cruces aqua sacrata super Altare. – Intonata Antiphona: *Asperges me* etc., Episcopus Altare ter aspergit. — Abstersio Altaris. — Post Orationem: *Deus, qui es visibilium* etc., benedictio coementi. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus incipit Antiphonam : *Dirigatur* etc., et ter Altare adolet, inci-piens a dextris suis. — Episcopus incipit Antiphonam: *Erexit etc.,* dein facit quinque Cruces Oleo Catechumenorum. — Impositio et benedictio incensi. — Incepta Antiphona: *Dirigatur* etc., Episcopus thurificat Altare semel tantum per circuitum. — *Oremus. Flectamus genua. Levate* (infra, brevitatis causa, notabimus: *O.F. L.).* — Incepta Antiphona: *Mane surgens* etc., Episcopus facit alias quinque Cruces Oleo Catechumenorum. — Impositio et benedictio incensi. — Episcopus, intonata Antiphona: *Dirigatur* etc., thurificat Altare semel per circuitum. — *O. F. L.* — Incepta Antiphona: *Unxit te* etc., Episcopus facit quinque Cruces s. Chrismate. — Impositio et benedictio incensi. — Incepta Antiphona: *Dirigatur* etc., Episcopus incensat Altare per circuitum. — *0. F. L.* – Episcopus unctionem perficit intra sepulcrum. — Repositis SS. Reliquiis cum tribus thuris granis, Episcopus sepulcrum claudit. – Post Orationem: *Deus, qui ex omnium* etc., Episcopus incipit Antiphonam:Ecce *odor* etc.,dein effundit super Altare s. Chrisma et Oleum Catechumenorum coniunctim. — Abstersis manibus gossypio, Episcopus recitat: *Lapidem hunc* etc., dein incipit Antiphonam: *Aedificavit etc., et* recitat: *Dei Patris* etc. — Benedictio incensi super Altare cremandi. — Episcopus format quinque Cruces thuris granis, quibus superimponit Cruces e gossypio cerato. — Omnibus Crucibus accensis, Episcopus genuflectit in Faldistorio, absque pileolo, incipit Antiphonam: *Alleluia. Veni, sancte* etc. —A Septuagesima ad Pascha omittitur: *Alleluia.* — Absoluto Versiculo, Episcopus reassumit pileolum, surgit. — Completis Antiphonis: *Ascendit fumus etc.,* et: *Stetit Angelus* etc., *O. F. L.* — Post Orationem: *Huius Altaris* etc., per Ministrum abraduntur cineres. — *Oremus. Supplices etc.*— Praefatio. — Antiphona: *Confirma hoc etc.*— *Oremus. Quaesumus, omnipotens* etc. — Impositio et benedictio incensi. — Incepta Antiphona: *Omnis terra* etc., Episcopus thurificat Altare in modum Crucis.— Dimissa mitra, Episcopus subiungit Orationem: *Descendat* etc. — Ad Faldistorium Episcopus manus lavat et paramenta dimittit.

CAPUT XIII.

DE CONSECRATIONE ALTARIS PORTATILIS PRIVATIM PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3053. — Omnia praeparantur ut in Art. I praecedentis Capitis, sed:

I. - Super Altaris mensam non disponuntur paramenta episcopalia; ponitur vero lanx argentea continens SS. Reliquias et tria incensi grana; lanx tegitur serico velo rubri coloris.

II. - Apud abacum non collocatur baculus pastoralis, nec in cornu Evangelii statuitur parva mensa.

III. - Super consuetum abacum ponitur etiam stola albi coloris et mitra auriphrygiata.

IV. - In Sacristia non ponitur vimpa pro Ministro baculi.

3054. — Quoniam quibusdam caeremoniis huius Ritus incommodum affert uti Pontificali, praeparantur Tabulae quatuor ut infra. Ne tamen confusio oriatur in earum usu, apponatur numerus in capite cuiusque Tabulae iuxta ordinem quo illae adhibentur.

Sancti ✠ ficetur, et couse ✠ cretnr haec tabula. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

N. 2, 4, 6, 8.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine.

N. 9.

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

N. 10.

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Articulus 11.

In Functione.

3055. — De Episcopo. — Episcopus se gerit ut in Art. 11 praecedentis Capitis, sed:

I. - Lotis et abstersis manibus, sumit tantum stolam albi coloris et mitram auriphrygiatam; non utitur baculo pastorali.

II. - Nisi adsit numerus sufficiens Clericorum qui recitare valeant vel Antiphonas vel Psalmos dum ipse aliquid peragit, tunc:

a) Ter adolet Altare per circuitum, incipiens a dextris suis dicens, prima vice: *Dirigatur oratio mea;* item adolet secunda vice, dicens: *sicut incensum in conspectu tuo;* tertia vero vice adolet Altare incipiens a sinistris suis dicens: *Domine.*

Quamvis in tabula circuli circa Altare sint inter se distantes, id ex necessitate factum est quia in eadem linea incidi nequeunt verba in quolibet circulo proferenda; ceterum circuli supradicti fieri debent in eadem linea et loco.

In ceteris thurificationibus pariter recitat Antiphonam, dum Altare adolet:

b) Postquam inceperit Antiphonam: *Erexit Iacob* etc., Episcopus prosequitur eam recitare cum Assistentibus et pariter cum iisdem recitat alternatim Psalmum; quo absoluto, repetit Antiphonam, dein facit unctiones. Et ita se gerit, inceptis Antiphonis: *Mane surgens* etc.; *Unxit te* etc.; *Ecce odor* etc.;

c) Post invitationem ad orationem: *Lapidem hunc* etc., recitat cum Assistentibus Antiphonam: *Aedificavit* etc.;

d) Recitat pariter cum Assistentibus Antiphonam: *Alleluia. Veni, sancte* etc., ac utramque Antiphonam: *Ascendit fumus* etc.; *Stetit Angelus* etc.;

e) Post Praefationem, incipit Antiphonam: *Confirma hoc* etc., quam cum Assistentibus prosequitur;

/) Altare adolet, dum recitat Antiphonam: *Omnis terra* etc.;

g) Absoluta Oratione: *Descendat, quaesumus* etc., mitram accipit, procedit ad Faldistorium ubi, dimissis mitra, stola et Cruce pectorali, reassumit mozzettam, vel mantellettum ac Crucem pectoralem, dein de Ecclesia discedit.

3056. — De Cappellanis Episcopo Assistentibus. — Duo Cappellani superpelliceo induti, Episcopo assistunt et si unus tantum adsit, tunc Caeremoniarius fungitur munere primi Cappellani.

Cappellani se gerunt ut diximus de Assistentibus in Art. III praecedentis Capitis, sed si numerus sufficiens Clericorum qui recitare valeant vel Antiphonas vel Psalmos cum aliquid ab Episcopo peragitur non adsit, tunc:

I. - Cappellanus secundus, accepto ab Episcopo thuribulo, sumit ex mensa tabellam, quam ante Episcopum Altare thurificantem sustinet.

II. - Inceptam ab Episcopo Antiphonam: *Erexit Iacob* etc. Cappellani prosequuntur et cum Episcopo alternatim recitant Psalmum; quo absoluto, Antiphonam repetunt, dein Cappellanus primus accipit vasculum Olei, alter tabulam cum formula unctionis. Et ita ambo se gerunt, inceptis Antiphonis: *Mane surgens* etc.; *Unxit te* etc. (Cappellanus primus sumit vasculum s. Chrismatis); *Ecce odor* etc., (pariter sumit vasculum s. Chrismatis).

III. - Cappellani recitant quoque cum Episcopo:

a) post 'invitationem ad orationem: *Lapidem hunc* etc., Antiphonam: *Aedificavit* etc.;

b) Antiphonas: *Alleluia. Veni, sancte* etc.; *Ascendit fumus etc.; Stetit Angelus* etc.; *Confirma hoc etc.*

3057. — Si Consecratio peragitur vel in Sacristia, vel in aliqua aula, et in eodem loco, Ritu absoluto, Missa celebretur, oportet ut locus iste iam ad hunc usum destinatus sit.

Cubiculum, loco Functionis attiguum, ad Sacristiam aptatur.

In capite loci paratur, nisi adsit, Altare.

Omnia vero parantur ut notavimus in Articulo I huius Capitis.

CAPUT XIV.

DE CONSECRATIONE PLURIUM ALTARIUM PORTATILIUM SOLEMNITER PERAGENDA IN ECCLESIA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3058. — Omnia ut diximus in Art. I Capitis XIII, sed:

I. - In medio Presbyterio, vel in media Ecclesia, statuitur mensa longa et angusta, vel plures statuuntur mensae quae comungi possunt ut in sequenti figura:

Figura [5] “ Altare portatilc. — Figura operculum sepulcri.

Mensa contegitur tela rudi pluries complicata et super telam hanc sternitur alba tobalea.

Altaria disponuntur super mensam, ita ut alterum stet a latere alterius; prope unumquodque Altare ponitur operculum respectivi sepulcri.

II. - In lance argentea ponuntur tot chartulae continentes SS. Reliquias quot Altaria et terna thuris grana pro singulis sepulcris.

III. - Super abacum collocantur quinque et viginti thuris grana cum quinque Crucibus e gossypio cerato pro singulis Altaribus.

Articulus II.

Di Episcopo plura Altaria portatilia solemniter consecrante in Ecclesia.

3059. — Statuta hora, Episcopus accedit ad Ecclesiam et se gerit more solito; brevi oratione facta super infimum Altaris gradum, procedit ad Faldistorium, ibique dimittit Crucem pectoralem, mozzettam, vel mantellettum, lavat et abstergit manus, assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius, dein accipit mitram. Ad nutum Caeremoniarii, accipit baculum pastoralem et se confert ante mensam in medio Presbyterio collocatam, vel in media Ecclesia; tradito Ministro baculo, Episcopus, retinens mitram, absolute dicit: *Deum omnipotentem* etc., pluraliter. Responso: *Arnen,* mitram dimittit et genuflectit in pulvino, recitat, vel cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso: *Domine, ad adiuvandum me /estina,* Episcopus surgit et cantat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, secundo cantat, vel dicit, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit, et tertio cantat, vel dicit, elevans vocem hemitonio: *Deus, in adiutoriumete.,* et pariter se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat etc.,* Episcopus accipit mitram ac baculum, accedit ad abacum, ibique baculum Ministro tradit et dicit: *Exorcizo te* etc. In Exorcismo et in sequentibus Orationibus, si desumantur e Ritu Consecrationis Ecclesiae omittit verba: *Ecclesiae et,* sed dicit: *Horum Altarium.* Exorcismo absoluto, mitram dimittit et dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram accipit et exorcizat aquam dicens: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, mitram deponit et dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens, statutor* etc.; qua Oratione absoluta,

benedicit cineres dicens: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc.; qua Oratione absoluta, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam, tribus vicibus, in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, cineris, et aquae* etc., dein mantili abstergit manum ac statim dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine lesu Christe* etc.; qua Oratione completa, accipit ampullam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit, dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; qua Oratione completa, mitram et baculum accipit, procedit ad mensam, in qua Altaria portatilia collocata sunt, et se confert ante primum Altare, versus sinistram suam; ibique Ministro tradit baculum, dein intingit pollicem dexterum in vasculo aquae sacratae et signat Crucem in medio Altari, dicens: *Sanctificetur... haec tabula;* ad verba: *In nomine* **Pafftris,** *et* **Fiflii,** *et Spiritus* **fi** *Sancti,* triplex signum Crucis efficit super Crucem signatam, ac postea aliam Crucem, se ut supra gerens, signat in angulo posteriori respondente sinistrae suae, tertiam in angulo anteriori dexterae suae respondente, quartani in angulo anteriori respondente sinistrae suae, quintani in angulo posteriori, respondente dexterae suae, ut in sequenti figura:

Deinde Episcopus se confert ante secundum Altare et easdem aspersiones super illud efficit, et ita deinceps super singula reliqua Altaria.

Episcopus, quinta Cruce signata super ultimum Altare, abstergit pollicem, dein se confert in medium ante mensam, intonat Anti-

phonam: *Asperges me* etc., se confert ante primum Altare et ter illud aspergit per circuitum, nempe incipiens in medio versus pectus suum et pergens a dextris suis, dein redit ad medium Altaris per sinistram suam ut in sequenti figura:

Quae aspersio tribus vicibus super singula Altaria facienda est, et non sufficit ut Episcopus aspergat tribus vicibus tantum in circuitu omnium Altarium simul consecrandorum tanquam simul iunctorum in unum (D. 4031 ad 1).

Asperso primo Altari, Episcopus se ante secundum Altare confert et easdem aspersiones super illud facit et ita deinceps super reliqua Altaria.

Dum Episcopus Altaria aspergit, prosequitur cum suis Assistentibus Antiphonam, dein alternatim cum iisdem recitat Psalmum 50: *Miserere* etc., absque *Gloria* etc., ita pausatim ut aspersio persolvatur cum recitatione Psalmi. Repetita Antiphona, Episcopus se confert ad medium ante mensam, mitram dimittit et dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui es visibilium* etc., pluraliter; qua Oratione completa, si maltha facienda sit, mitram accipit, procedit ad abacum, ibique admiscet sabulum calci et mixturae aquam sacratam superfundit et facit maltham seu coementum, ac postea, dimissa mitra, illud benedicit ritu praescripto pro consecratione Altaris fixi (D. 3726 ad 1), scilicet dicens: *Dominus vobiscum. Oremus. Summe Deus* etc. Si loco calcis et sabuli quae a Pontificali Romano indicantur, adhibeatur gypsum, coementum, vel quid simile (D. 4165 ad 1), Episcopus benedicit gypsum, vel coementum non infusum in aquam sacratam et in casu Oratio pro benedictione immutanda est (/. *c.).*

Coemento benedicto, Episcopus imponit et benedicit incensum, mitram accipit, se confert ad primum Altare, quod super mensam collocatum est in angulo respondente Evangelii cornu; quo cum pervenerit, thuribulum a primo Assistente accipit, statim incipit Antiphonam: *Dirigatur etc., et* dum Cantores.eam prosequuntur, ter adolet Altare per circuitum incipiens a dextris suis et sequens methodum quae servatur in Oblatorum thurificatione ad Missam solemnem, scilicet ut in sequenti figura:

Quamvis circuli circa Altare portatile sint inter se distantes, id ex necessitate factum est, tamen fieri debent in eadem linea et loco.

3060. — Thurificato Altari, Episcopus procedit ante secundum Altare idemque facit et ita in reliquis Altaribus.

Episcopus potest thurificare tribus vicibus tantum in circuitu omnium Altarium tanquam simul junctorum in unum (D. 4031 ad I) et in casu, mitra accepta, post impositionem et benedictionem incensi, se confert ad mediam mensam; si numerus Altarium dispar sit, consistit ante Altare quod in medio collocatum est, alias ante Altare quod extat versus dexteram suam, ibique, accepto thuribulo a primo Assistente, inchoat Antiphonam: *Dirigatur* etc., et dum Cantores eam prosequuntur circuit mensam bis procedens per suam dexteram continue thurificans Altaria. Quum secunda vice per-

venerit ante Altare a quo thurificationem inceperit, iterum mensam circuit thurificans, sed procedit per sinistram suam, ut m sequenti figura:

Thurificato ultimo Altari, vel, completo tertio mensae circuitu. Episcopus tradit thuribulum Presbytero et incipit Antiphonam: *Erexit* etc., ac postea se confert ante primum Altare, intingit pollicem dexterum in Oleo Catechumenorum et facit quinque duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus unam ad verbum: *Sancti fleetur,* alteram ad verbum: *Conse* φ *oretur,* super Altare, scilicet in medio et in quatuor angulis, ordine descripto in sequenti figura:

et producit dextera manu triplex Crucis signum super singulas duplices unctiones dicens: *In nomine Pa ^tris* etc.

Unctionibus peractis super primum Altare, Episcopus se confert ante secundum et easdem perficit unctiones et ita se gerit in reliquis Altaribus.

Unctionibus super ultimum Altare completis, Episcopus abstergit pollicem et se confert ante mediam mensam, imponit et benedicit incensum. Absoluta Antiphona: *Erexit* etc., intonat Antiphonam: *Dirigatur* etc., et se gerit ut notavimus pro prima thurificatione, sed Altare semel tantum per circuitum thurificat, vel circuit una vice tantum mensam procedens per suam dexteram.

Tradito thuribulo Presbytero et absoluta Antiphona, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus,* tum pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo: *Levate,* cantat, plurali numero, Orationem: *Adsit* etc., et ita se gerit in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione completa, Episcopus intonat Antiphonam: *Mane surgens* etc., mitram accipit, et, modo supra notato, quinque alias duplices unctiones Oleo Catechumenorum facit super omnia Altaria, se ut supra gerens; quibus peractis, incensum imponit et benedicit, inchoat Antiphonam: *Dirigatur* etc., et Altaria pariter thurificat ut supra, ac postea Presbytero thuribulum tradit.

Completa Antiphona, Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta plurali numero Oratione: *Adesto, Domine* etc., Episcopus intonat Antiphonam: *Unxit* etc., mitram accipit, alias quinque unctiones s. Chrismate efficit, modo supra notato; quibus peractis, pariter ut supra imponit ac benedicit incensum, intonat Antiphonam: *Dirigatur* etc., Altaria thurificat. Tradito thuribulo et completa Antiphona, Episcopus mitram dimittit, dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Exaudi nos* etc., pluraliter, Episcopus mitram accipit, deinde intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et inungit intra sepulcrum singulorum Altarium in modum Crucis ad verba: *Conse* ✠ *crctur,* et: *Sancti ^[icetur;* dum vero dicit: *In nomine Paviris* etc., producit triplex signum Crucis. Omnibus unctionibus peractis, Episcopus abstergit pollicem, mitram dimittit, reverenter accipit SS. Reliquias easque in sepulcro primi Altaris reponit, addit tria incensi grana, dein trullam cum cocmento accipit et illud illinit super labium sepulcri primi Altaris cavens ne super SS. Reliquias coementum defluat et firmat operculum coeinento, dein se confert ante secundum Altare et idem perficit, sed « satis est ut Episcopus liniat coemento labium sepulcri unius Arae, et dum ipse prosequitur in sacrarum Reliquiarum

repositione, assistentes Sacerdotes lituram et cuiusque sepulcri clausuram peragant » (D. 3726 ad 2).

Omnibus sepulcris clausis, Episcopus dicit: *Oremus. Deus, qui a omnium* etc.; qua Oratione completa, intonat Antiphonam: *Ecce odor* etc., mitram accipit, dein se confert ante primum Altare ibique a digniore Assistente accipit dextera ampullam s. Chrismatis et sinistra ampullam Olei Catechumenorum, effundit parvam copiam eorum iunctim super medium lapidem primi Altaris, nullam proferens formulam, deinde se confert ante secundum Altare, idemque perficit et ita in reliquis Altaribus. Effusis sacris Oleis super omnia Altaria, Episcopus tradit ampullas primo Assistenti, dein revertitur ad primum Altare et palma dexterae manus extendit et illinit Olea sacra super totum Altare; idemque successive in reliquis peragit, ac postea annulum dimittit, manus lavat et abstergit, annulumque reassumit. Retinens mitram, Episcopus, decantato vel recitato ultimo Versu Psalmi 86: *Fundamenta* etc., scilicet: *Sicut laetantium* etc., immediate recitat: *Lapides hos, fratres carissimi etc.,* dein intonat Antiphonam: *Aedificavit Moyses* etc.; qua absoluta, recitat pluraliter alteram invitationem ad orationem: *Dei Patris omnipotentis* etc.; ac postea mitram dimittit et dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus omnipotens* etc.; qua Oratione completa, aspergit incensi grana, mitram accipit, se confert ante primum Altare et quinque granis incensi format Crucem super medium Altare in ipso unctionis loco et ipsis superimponit Crucem e gossypio cerato. Idem facit in quatuor angulis in ipsis unctionum locis, servans eundem ordinem unctionum, dein se confert ante secundum Altare et idem facit ac postea in reliquis.

Episcopus, in his Crucibus efformandis et in Crucibus e gossypio cerato thuris granis superimponendis, potest adiuvari a Sacerdotibus (D. 4244 ad 4).

Si grana incensi non sint ita levigata, ut Crucem ceratam sustinere possint, tunc Episcopus primum ponit Crucem, dein infra ipsam collocat incensi grana; haec est praxis plurium locorum: ratio haec commodior et expeditior est, nec contraria est Rubricae Pontificalis Romani.

Dum Clericus Cruces accendit, Episcopus, accepto baculo, procedit ad Faldistorium, ante mensam collocatum, ibique Ministro tradit baculum; omnibus Crucibus accensis, mitram et pileolum dimittit, genuflectit in Faldistorio et intonat Versiculum: *Alleluia. Veni, sancte* etc., omittens *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha, Absoluto Versiculo, Episcopus pileolum accipit, surgit et consistit

dum canuntur Antiphonae: *Ascendit fumus* etc., *Stetit Angelus* etc.; qua ultima Antiphona completa, immediate cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Responso: *Arnen,* post Orationem: *Horum Altarium etc.,* statim cantat numero plurali: *Oremus. Supplices* etc., et, prolatis verbis: *Spiritus Sancti Deus,* prosequitur pluraliter in tono Praefationis; qua completa, intonat Antiphonam: *Confirma hoc* etc., mitram accipit, quam dimittit, completo Antiphonae cantu, et dicit: *Oremus. Quaesumus, omnipotens Deus* etc., ac postea imponit et benedicit incensum, mitram accipit, intonat Antiphonam: *Omnis terra* etc.; accepto thuribulo, Crucem super singula Altaria efficit, incipiens ab Altari primo; thurificato ultimo Altari, Episcopus thuribultim primo Assistenti tradit, se ante mediam mensam confert, mitram dimittit et pluraliter cantat: *Oremus. Descendat* etc., qua Oratione completa, mitram ac baculum accipit et ad Faldistorium procedit.

3061. — Si Episcopus Missam celebret, tradito Ministro baculo, sedet in Faldistorio et legit Psalmos et Preces in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus, recitat: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit, assumit planctam tantum, non vero omnia paramenta pontificalia (D. 3437 ad 1), procedit ad Altare, medius inter Assistentes, et se more solito gerit ut in Missae celebratione.

Articulus III.

De quibusdam variationibus circa Assistentes et Ministros inferiores in consecratione plurium Altarium portatilium solemniter peragenda in Ecclesia.

3062. — Quoniam Ritus consecrationis plurium Altarium portatilium parum differt a Ritu consecrationis unius Altaris portatilis, praesertim circa ea quae respiciunt et Assistentes et Ministros inferiores, hic referimus tantum variationes:

I. - Presbyter Altaria thurificaturus, procedens per suam dexteram Altaria thurificat eodem modo quo incensatur Chorus in transeundo.

II. - Sacerdotes, iam designati, postquam Episcopus reposuerit SS. Reliquias cum tribus thuris granis in singulis sepulcris, excepto

primo, lituram et cuiusque sepulcri clausuram peragere possunt (D. 3726 ad 2).

III. - Sacerdotes etiam adiuvare Episcopum possunt in efformandis Crucibus ex thuris granis et in superponendis iisdem granis Crucibus e gossypio cerato (D. 4244 ad 4).

IV. - Caeremoniarius praemoneat praesertim Ministros libri, candelae, mitrae et baculi circa paucas variationes quae occurrunt in Ritu persolvendo.

3063. — Si Ritus privatim persolvatur, servantur omnia quae in Capite hoc tradidimus, exceptç quod Episcopus assumit tantum stolam albi coloris et mitram, sed baculo non utitur. Ne Ritus nimis protrahatur, oportet adsint Clerici qui recitare valeant Psalmos et Antiphonas, dum Episcopus aliquid peragit.

CAPUT XV.

DE BENEDICTIONE NOVAE ECCLESIAE SEU ORATORII PUBLICI AB EPISCOPO SOLEMNITER IMPERTIENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3064. — 1. - Ecclesia expoliata sit quocumque ornamento, itemque omnia Altaria.

Prope unumquodque Altare praeparantur: Crux, candelabra cum cereis, tobaleae.

II. - Ad Altare maius. — In medio Presbyterio, super parvum tapetum statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

Congruo in loco: Crux, candelabra cum cereis, vascula cum floribus vel Reliquiae Sanctorum, nisi prohibeantur (v. n. 562, IV), pallium coloris Officii, tapetum.

Iii. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta episcopalia, scilicet: pluviale et stola albi coloris, cingulum, alba, amictus, formale in lance, mitra auriphrygiata, baculus pastoralis.

Super alias mensas: supcrpellicea pro Assistentibus; duae vimpae; vasculum aquae benedictae cum aspersorio ex hyssopo; Rituale Romanum; scotula cum candela; lanx pro Cruce pectorali.

Si Episcopus Missam celebret, parantur planeta ac manipulus, et etiam stola, nisi Missae color sit albus; Canon Pontificalis; Missale; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance. Haec omnia, Ritu benedictionis absoluto, transferenda sunt ad Altare maius et ad abacum.

Si Missa sive solemnis, sive privata, a Sacerdote celebratur, parantur omnia necessaria pro re.

Corani praecipua mensa, super tapetum, collocatur vel Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris, vel sedes cameralis.

Congruo in loco: Crux processionalis et duo intorticia.

Articulus II.

De Episcopo in solernni benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici.

3065. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, procedit ad Sacristiam novae Ecclesiae benedicendae et se confert ad Faldistorium, ibique dimittit Crucem pectoralem, mozzettani, vel mantellettum, assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius, et mitram. Ad nutum Caeremoniarii, accipit baculum pastoralem et procedit, medius inter Assistentes, ad Ecclesiae ianuam; quo cum pervenerit, Ministro tradit baculum, mitram dimittit et absolute incipit Orationem: *Actiones nostras* etc.; qua absoluta et responso: *Arnen,* inchoat Antiphonam: *Asperges me* etc., mitram accipit, dein a primo Assistente aspersorium accipit, circuit Ecclesiam, procedens a dextris suis, et ambulans muros aspergit versus summitatem et versus fundamenta, dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

3066. — Si nihilominus ob aliquod loci impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequit, Episcopus se gerat meliori modo quo possit (D. 3852). Igitur cum ad impedimentum pervenerit, Episcopus abrumpit aspersiones, ad sinistram transit et ex eo loco ubi aspersio resumi possit, prosequitur circuitionem a dextris suis ad sinistram usque ad Ecclesiae portam; quo cum pervenerit, tradit primo Assistenti aspersorium.

3067. — Repetita Antiphona: *Asperges me* etc., Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus;* pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo Assistente: *levate,* cantat Orationem: *Domine Deus, qui licet* etc. Et ita se gerit in simili casu quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus yiua. Levate.* Si vero Ecclesia non benedicatur in honorem alicuius Sancti, tunc in Oratione omittitur: *Et beati.*

Completa Oratione, Episcopus accipit mitram et baculum; inceptis a Cantoribus Litaniis Sanctorum, medius inter Assistentes, Ecclesiam ingreditur et procedit ad Altare maius; quo cum pervenerit, Ministro tradit baculum ac genuflectit in Faldistorio. Decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit, baculum accipit et, stans versus Altare, benedicit Ecclesiam, dicens: *Ut hanc Ecclesiam* etc., ut in Rituali Romano, dein baculum dimittit, iterumque genuflectit.

Absolutis Litaniis, Episcopus surgit, mitram dimittit. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Praeveniat nos* etc. absoluta, Episcopus genuflectit in pulvino et, se signans, cantat: *Deus, in adiutorium meum intende;* responso a Cantoribus: *Domine, ad adiuvandum me festina,* ipse stans canit: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancio,* pariter responso a Cantoribus: *Sicut erat* etc., stans dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., Episcopus incipit Antiphonam: *Benedic, Domine* etc., dein mitram ac baculum accipit, se confert ad parietem retro Altaris maioris, ibique dimittit baculum, aspersorium accipit, aspergit parietes in parte superiori et inferiori, inchoans aspersionem a sinistris suis, dicens: *Asperges me* etc., ut supra. Peracta parietum aspersione, Episcopus tradit aspersorium primo Assistenti, baculum accipit, ante Altare revertitur, ibique Ministro baculum tradit. Completo Psalmi cantu et repetita Antiphona, Episcopus mitram dimittit et dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione completa, mitram et baculum accipit atque procedit ad Faldistorium.

3068. — Si Episcopus Missam celebret, tradito Ministro baculo, legit Psalmos et Preces in Missae praeparatione; repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris parainentis indutus, recitat: *Kyrie, eleison* etc., Versiculos et Orationes; quibus completis, manus lavat et abstergit, mitram ac pluviale dimittit, assumit planetam, dein procedit ad Altare, medius inter Assistentes, et se more solito gerit ut in Missae celebratione.

Articulus III.

De duobus Assistentibus Episcopo solemniter benedicenti novam Ecclesiam seu Oratorium publicum.

3069. — Duo Assistentes, statuta hora se conferunt ad Sacristiam Ecclesiae benedicendae et assumunt superpelliceum, si Canonici assumunt prius rocchettum. Quum Episcopus advenerit, se ei inclinant, vel genuflectunt, et se conferunt ad Faldistorii latera. Assistentes se gerunt ut diximus sub n. 2531, sed, ad Caeremoniarii nutum, procedunt ad Ecclesiae portam; quo cum pervenerint, Assistens secundus mitram Episcopo aufert, quam primus reponit, intonata Antiphona: *Asperges me* etc., dein tradit Episcopo aspersorium; ambo sustinent pluvialis fimbrias Episcopi et eundem comitantur in parietum aspersione. Quum reversi fuerint ante Ecclesiae portam, Assistens primus recipit aspersorium; repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., alter Episcopo mitram aufert. Decantato ab Episcopo: *Oremus,* Assistens primus, genuflectens cantat: *Flectamus genua,* et secundus, surgens: *Levate,* et ita se gerunt in simili casu quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Completa Oratione: *Domine Deus, qui licet etc.,* Assistens primus imponit Episcopo mitram et ambo, sustinentes pluvialis eiusdem Episcopi fimbrias, Ecclesiam ingrediuntur, ad Altare maius procedunt et genuflectunt ad Faldistorii latera.

Completo Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., ambo cum Episcopo surgunt et postquam ab eodem Episcopo decantatus fuerit Versiculus: *Ut hanc Ecclesiam* etc., iterum genuflectunt ut prius; rursus surgunt, completis Litaniis, et Assistens secundus mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Benedic, Domine* etc., Assistens primus mitram ei imponit; ambo, sustinentes eius pluvialis fimbrias, se conferunt ad parietem retro Altaris maioris, ibique Assistens primus porrigit Episcopo aspersorium. dein ambo eum comitantur in aspersione parietum; qua peracta, Assistens primus aspersorium recipit, ac postea ambo cum Episcopo se conferunt ante Altare maius.

Repetita a Cantoribus Antiphona: *Benedic* etc., Assistens secundus aufert Episcopo mitram. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Deus, qui loca* etc., Assistens primus mitram Episcopo imponit, ac postea ambo cum eodem Episcopo ad Faldistorium procedunt et se gerunt ut tradidimus sub n. 2549.

Articulus IV.

Oi Caeremoniario deque Cautoribus in benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici solemniter ab Episcopo impertienda.

3070. — De Caeremoniario. — Assumptis ab Episcopo paramentis et accepto baculo, Caeremoniarius signum dat procedendi d Ecclesiae ianuam, si possibile, per externum, sequenti ordine:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios intorticia sustinentes;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Episcopus, medius inter Assistentes;
5. Ministri mitrae et baculi;
6. Ministri libri et candelae;
7. Familiares Episcopi.

3071. — Missa celebretur, more votivo solemni, de Sancto, vel de Mysterio in cuius honorem Ecclesia benedicta fuit, dummodo non occurrat dies Missas votivas pro re gravi excludens (v. n. 1515), quo in casu in Missa diei additur Commemoratio Titularis sub unica conclusione cum Oratione Missae exceptis diebus enumeratis sub n. 1515 (Addit, et Variat, in Rubr. Missal. Tit. III, η. 9).

3072. — De Cantoribus. — Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Asperges me* etc. Cantores prosequuntur, dein canunt Psalmum 50: *Miserere* etc., cum *Gloria Patri* etc., postea repetunt Antiphonam.

Duo Cantores, absoluta Oratione: *Domine Deus, qui licet* etc., incipiunt Litanias Sanctorum et cum ad Altare maius pervenerint omnes genuflectunt. Decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Cantores abrumpunt cantum, quem réassumant postquam Episcopus inFaldistorio genuflexerit, decantato Versiculo: *Ut hanc Ecclesiam* etc.

Litaniis absolutis omnes surgunt et postquam Episcopus decantaverit: *Deus, in adiutorium* etc., respondent: *Domine, ad adiuvandum* etc., et post: *Gloria Patri* etc., respondent: *Sicut erat* etc.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Benedic, Domine* etc. proquuntur, dein canunt sequentes Psalmos: 119: *Ad Dominum cum 'dbularer* etc., 120: *Levavi oculos meos* etc., 121: *Laetatus sum* etc., in quorum fine dicunt: *Gloria Patri* etc.

Articulus V.

De Ministris inferioribus in benedictione novae Ecclesiae seu Oratorii publici solemniter ab Episcopo impertienda.

3073. — I. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Crucifer et Ceroferarii, ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad Ecclesiae portam

et consistunt in limine, humeris ad Altare versis et Crucifixi imagine ad Episcopum versa.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., Crucifer et Ceroferarii praecedunt Episcopum in aspersione, procedentes per latus dexterum portae, et cum ad eamdem portam reversi fuerint, consistunt ut prius.

Inceptis a Cantoribus Litaniis Sanctorum, Ecclesiam ingrediuntur et ad Altare maius procedunt; quo cum pervenerint, consistunt in Evangelii cornu. Incepta ab Episcopo Antiphona: *Benedic* etc., se conferunt ad parietem retro Altaris maioris et praecedunt Episcopum in parietum aspersione, procedentes per cornu Evangelii; cum reversi fuerint ad locum a quo Episcopus aspergere inceperit, se conferunt ad Evangelii cornu et consistunt ut prius. Completa Oratione: *Deus, qui loca* etc., ad Sacristiam pergunt; depositis Cruce et intorticiis, si Episcopus Missam celebret transferunt omnia necessaria ad Altare et ad abacum.

II. - **De Ministris libri et candelae.** — Hi ministri

accedunt ad Episcopum:	ab eo recedunt:
quando ad Ecclesiae portam pervenerint;	intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;
repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.;	post Orationem: *Domine Deus, qui licet* etc.;
decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc.;	postquam Episcopus decantaverit Versiculum: *Ut hanc Ecclesiam* etc.;
absolutis Litaniis;	completa Oratione: *Deus, qui loca* etc.
cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, si Missam celebret.	

III. - **De Ministro mitrae,**

primo Assistenti mitram porrigit:

assumpto ab Episcopo pluviali;

intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;

completa Oratione: *Domine Deus, qui licet* etc.;

incepta Antiphona: *Benedic, Domine* etc.;

post Orationem: *Deus, qui loca* etc.

IV. - **De Ministro baculi. —**

Episcopo baculum porrigit:

accepta mitra;

absoluta Oratione: *Domine Deus, qui licet* etc.;

decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc.;

intonata Antiphona: *Benedic, Domine* etc.;

completa aspersione parietum;

post Orationem: *Deus, qui loca etc.*

Hic Minister

a secundo recipit:

cum pervenerit ad Ecclesiae portam;

repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.;

absolutis Litaniis;

repetita a Cantoribus Antiphona: *Benedic, Domine* etc., post Psalmum 121: *Laetatus sum etc.*

Minister

ab eo recipit:

cum ad Ecclesiae portam pervenerit;

cum ad Faldistorium pervenerit;

postquam Episcopus decantaverit Versiculum: *Ut hanc Ecclesiam* etc.;

cum Episcopus pervenerit ad parietem retro Altaris maioris;

cum pervenerit ante Altare maius;

cum ad Faldistorium pervenerit.

V. - De Acolytho. — Acolythus cum Episcopus advenerit in Sacristiam, sumit ex mensa lancem pro Cruce pectorali et se confert ad dexteram primi Assistentis; reassumpta ab Episcopo Cruce, defert lancem ad abacum, prope Altare maius, dein ad Sacristiam revertitur; cum Episcopus procedit ad Ecclesiae portam, ipse una cum Ministro de aqua benedicta transfert Faldistorium ad Altare maius et illud statuit super tapetum, in medio Presbyterio.

Completis Litaniis Sanctorum, pariter cum Ministro aquae benedictae transfert Faldistorium ad cornu Epistolae et illud collocat ante infimum Altaris gradum.

Absoluta Oratione: *Praeveniat nos* etc., Acolythus collocat ante Episcopum pulvinum, quem tollit cum Episcopus surgit, decantatis verbis: *Deus, in adiutorium* etc.

Si Episcopus Missam celebret, Acolythus, dum Episcopus ipse parietes intra Ecclesiam aspergit, procedit ad Sacristiam, sumit Canonem Pontificalem et defert illum ad abacum. Absoluta Oratione: *Deus, qui loca* etc., si Episcopus Missam non celebret sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali, procedit ad Faldistorium ibique consistit ad dexteram primi Assistentis; reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, lancem ad abacum defert et, postquam Altare ornatum fuerit, accendit cereos.

Si Episcopus Missam celebret, tunc Acolythus adiuvat Sacristain in ornando Altari, dein cereos accendit.

VI. - De Ministro aquae benedictae. — Minister, cum Episcopus ad Sacristiam pervenerit, accedit ad mensam praecipuam, a Caeremoniario paramenta Episcopi accipit et se ante eundem Episcopum confert. Dum Episcopus ad Ecclesiae portam procedit, Minister una cum Acolytho transfert ad Altare maius Faldistorium et illud statuit in medio Presbyterio super tapetum, dein ad Sacristiam revertitur, sumit vasculum aquae benedictae -cum aspersorio et se confert ad Ecclesiae portam, ibique consistit ad dexteram primi Assistentis et etiam ad eiusdem dexteram incedit dum Episcopus parietes aspergit. Quum ad Altare maius pervenerit, deponit vasculum super abacum.

Litaniis Sanctorum absolutis, Minister una cum Acolytho transfert Faldistorium ad Epistolae cornu et illud statuit ante infimum Altaris gradum.

Dum Episcopus cantat Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., sumit ex abaco vasculum aquae benedictae, accedit ad dexteram primi Assistentis et pariter ad eiusdem dexteram incedit, dum Episcopus parietes intra Ecclesiam aspergit.

Peracta aspersione, Minister vasculum cum aspersorio ad Satisfiam defert, deinde ad Altare revertitur et, absoluta Oratione: *Dius, qui loca* etc., adiuvat Sacristain in ornando Altari.

CAPUT XVI.

DE NONNULLIS INSTRUCTIONIBUS QUAE OBSERVARI POSSUNT ANTEQUAM ECCLESIA AD PROFANOS USUS REDUCATUR VEL DESTRUATUR

3074. — Quando Ecclesia ad profanos usus reducenda est, vel destruenda, sequentia iuxta instructiones quae habentur in *Actis Ecclesiae Mediolanensis* (P. I, pg. 135) et consilia a probatis Auctoribus data, observari possunt:

I. - Si in Ecclesia habeantur Sanctorum Corpora, vel Reliquiae, aliquot diebus ante profanationem, diligenter ab eorum loculis amoveri debent a Sacerdote, superpelliceo et stola rubri coloris induto, recitatis antea (vel si adest Clerus, decantatis) Antiphona et Oratione pro unoquoque Sancto cuius habetur Corpus, vel insignis Reliquia; et, instituta processione, ad locum aptum deferantur, cum Hymnis et Canticis, ut in Rituali Romano praescribitur.

Eo in loco diligenter recognoscenda sunt Corpora ipsa, vel Reliquiae, utrum sigilla sint intacta, etc. Si autem nihil obstat, in novam Ecclesiam, solemni Processione, sunt deferenda.

II. - Deinde unus vel plures Sacerdotes, si multa extant Altaria, ad eorum profanationem procedant, hoc modo:

a) superpelliceo et stola violacei coloris indutus Sacerdos, comitante Clerico qui ei inserviat, ad gradus Altaris profanandi ;enuflexus tacitus oret et Antiphonam cum Oratione in honorem Sancti cui dicatum est Altare devote recitet;

b) Altare ipsum denudet, complicatis tobaleis et remotis mnibus ornamentis; tunc, adhibitis operariis, mensam Altaris amoveat et amotam suis manibus lavet et abstergat, aquam in sacrario postea effundat;

c) sepulcrum mensae caute aperiat, et Reliquias contentas extrahat, atque obsignatas in loco apto custodiat.

Si vero Altare non sit consecratum sed tantummodo lapidem sacrum, hunc caute evellat, lavet et intactum in Sacristiam deferat.

III. - Tunc, si Ecclesia sit consecrata, duodecim Cruces in parietibus Sacerdos amoveat, adhibito opere fabri murarii, si opus

fuerit; unamquamque Crucem lavet, et postea aquam in Sacrarium effundat; Crucesque in loco apto reponat.

IV. - Si quae sint ossa fidelium inhumata, ea exhumari curet, prius recitato Ps. *De profundis* etc., cum Precibus et Oratione, et in loco sacro denuo sepelienda disponat, comitante Clero et populo, si commode fieri potest.

V. - Itaque ab Ecclesia sic profanata, postea amoveantur Imagines sacrae et omnia ornamenta: et licet in usum profanum converti debeat Ecclesia, nihilominus ex Concilii Tridentini sanctione (Sess. XXI de ref., c. 7) signum Crucis aliquo loco figatur, quod facile amoveri nequeat (Ex Ephem. Liturg., Ann. 1913, pag. 676 et 677).

CAPUT XVII.

DE BENEDICTIONE SOLEMNI COEMETERII AB EPISCOPO ORDINARIO IMPERTIENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3075. — I. - In Coemeterio. — In solo Coemeterii, pridie quam fiat benedictio, defigantur quinque Cruces ligneae ad altitudinem ordinariam hominis aut paullo altiores, videlicet una altior in medio, alia in extremitate Coemeterii ante Crucem mediani, alia in extremitate Coemeterii retro Crucem mediam, tertia in tertia extremitate a dextris et quarta in quarta extremitate Coemeterii a sinistris Crucis mediae.

In culmine cuiusque Crucis et in brachiorum earum extremitatibus infigitur ferrea cuspis. Ante singulas Cruces figitur in terra paxillus ligneus cum tribus foraminibus, in quibus ponuntur candelae.

Mane benedictionis in medio Coemeterio, scilicet ante Crucem maiorem collocatur super tapetum Faldistoriuni cum pulvinis et tegumento albi coloris; ad latera Faldistorii: duo scamna.

Ad sinistram Crucis praeparatur abacus, alba tobalea contectus, et super eum ponuntur: vas amplum plenum aquae mundae; vasculum ad hauriendam aquam; aspergillum ex hyssopo; aliquantulum salis in lance; quindecim candelae; Pontificale Romanum; scotula; manutergium in lance; Formula Indulgentiae.

II. - In Sacello Coemeterii. — Super Altaris mensam collocantur paramenta Episcopi, nempe: amictus, alba, cingulum, stola

cum pluviali albi coloris, formale in lance; in latere Evangelii: mitra auriphrygiata. Apud Altare: baculus pastoralis.

Super abacum: lanx pro Cruce pectorali.

In cornu Epistolae collocatur, parum distans ab infimo Altaris gradu, Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

Super infimum Altaris gradum, in medio, collocatur pulvinus albi coloris.

III. - In Sacristia Sacelli. — Super praecipuam mensam collocantur: duo amictus, totidem albae et cingula, stola diaconalis albi coloris.

Super aliam mensam: superpellicea; duae vimpae pro Ministris mitrae et baculi; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula.

Congruo in loco praeparantur Crux processionalis et duo intorticia.

IV. - Si Episcopus ipse Missam celebret, tunc super Altaris mensam, praeter paramenta supra notata, collocantur: planeta, stola, manipulum, coloris Officii.

Super abacum: Calix cum purificatorio; Patena cum hostia; palla, velum, bursa et intra eam corporale; ampullae aquae et vini in pelvicula; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; Canon Pontificalis; Missale cum legili.

V. - Si Missa celebretur ab aliquo Sacerdote, tunc omnia pro re parantur.

VI. - Si in Coemeterio Sacellum absit, tunc omnia parantur in Ecclesia non longe ab eodem Coemeterio, alias, exceptis necessariis ad Missae celebrationem, parantur in aliquo convenienti loco.

Articulus II.

De Episcopo Ordinario in solemni benedictione Coemeterii.

3076. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, statuta hora, accedit vel ad Sacellum Coemeterii, vel ad Ecclesiam eidem Coemeterio propinquiorem, vel ad alium locum designatum. Si accedat ad Sacellum, vel ad Ecclesiam, se gerit more solito ut alias; facta brevi oratione ante Altare, se confert ad Faldistorium in latere Epistolae collocatum, ubi, depositis Cruce pectorali et mozzetta, assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale et mitram. Ad nutum Caeremoniarii, accepto baculo, surgit et medius inter Ministros sacros procedit ad Coemeterium.

Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, in eo sedet, versis humeris ad Crucem maiorem, et facit ad populum brevem sermonem

de sanctitate et libertate Coemeterii (Ex Rubr. Pontifie. Roman. « *De benedict. Coem.* etc. »).

Impositis candelis iisdemque accensis paxillis ligneis ante singulas Cruces praeparatis, Episcopus baculum Ministro tradit, mitram dimittit, surgit, ad Crucem ligneam se convertit ac dicit: *Oremus. Omnipotens Deus* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit et ante ipsam Crucem accumbit in Faldistorio.

Decantato a Cantoribus Versiculo Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Episcopus surgit; accepto baculo, producit signum Crucis super Coemeterium, dicens ut in Pontificali tribus vicibus: *Ut hoc Coemeterium* etc., dein baculum Ministro tradit iterumque genuflectit. Absolutis Litaniis, Episcopus surgit, accipit baculum et exorcizat salem, dicens: *Adiutorium* etc. *Exorcizo te* etc. Absoluto Exorcismo, sedet, baculum et mitram dimittit, surgit ac, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Immensam clementiam* etc.; Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit, surgit ac postea super aquam absolute dicit: *Exorcizo te* etc.; completo Exorcismo, sedet, baculum ac mitram dimittit, rursus surgit et, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui ad salutem* etc.; Oratione absoluta, accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio* etc., dimittit illuni in aquam in modum Crucis dum profert verba: *In nomine Patris* etc., ac postea abstergit manum et immediate dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, invictae virtutis* etc. Oratione completa, intonat Antiphonam: *Asperges me* etc., dein accipit baculum et procedit ad Crucem quae sita est ante Crucem mediam, ibique accepto aspergillo, incipit a sinistris suis aspergere aquam benedictam super Coemeterium circumiens ipsum et, radens totum murum ambitus, redit ante praedictam Crucem, scilicet quae sita est ante Crucem praecipuam; ibique Diacono tradit aspergillum. Repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., Episcopus tradit Ministro baculum, mitram dimittit et recitat Orationem: *Deus, qui es totius* etc.; qua Oratione completa, imponit et benedicit incensum, dein Cruci reverentiam peragit, eamque triplici ductu thurificat; reverentia peracta et tradito Diacono thuribulo, ab eodem Diacono accipit unam ex tribus candelis et imponit eam in Crucis summitate, alteram imponit in summitate dexteri brachii, tertiam vero in summitate sinistri brachii Crucis, dein mitram et baculum accipit.

Incepta recitatione Psalmi 6: *Domine, ne in furore* etc., Episcopus accipit aspergillum, procedit ad Crucem quae post mediam sita est. recitans cum Ministris Psalmum 6: *Domine, ne in furore* etc.,

et Psalmum 31 : *Beati, quorum* etc., et aspergens Coemeterii solum quo transit. Quum ad dictam Crucem pervenerit, Diacono aspergillum tradit; Psalmorum recitatione completa, baculum Ministro porrigit, mitram dimittit et recitat: *Oremus. Domine sancte* etc., qua completa Oratione, imponit et benedicit incensum, Crucem thurificat eique candelas imponit, ut supra notavimus, dein mitram et baculum accipit.

Incepto Psalmo 37: *Domine, ne in furore* etc., Episcopus accipit aspergillum et prosequens aspergere solum Coemeterii, recitans Psalmum 37, procedit ad Crucem collocatam ad dexteram Crucis principalis. Quo cum pervenerit, aspergillum Diacono tradit et, Psalmi recitatione absoluta, se gerit ut supra, sed recitat: *Oremus. Domine Deus, pastor* etc.

Incepta recitatione Psalmi 101 : *Domine, exaudi orationem* etc., Episcopus, se ut supra gerens, procedit ad Crucem collocatam ad sinistram Crucis principalis, sed recitat Orationem : *Domine Iesu Christe* etc.

Incepta recitatione Psalmi 129: *De profundis* etc., Episcopus, pariter se ut supra gerens, et recitans etiam Psalmum 142: *Domine, exaudi* etc., accedit ad Crucem principalem; absoluta Psalmorum recitatione, dicit Orationem: *Adesto, quaesumus* etc.; qua absoluta, extensis manibus ante pectus, cantat Praefationem, ac postea imponit ac benedicit incensum et Crucem thurificat, eique candelas imponit, tum dicit: *Oremus;* responso a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* subiungit Orationem: *Domine sancte* etc.; qua completa, impertit benedictionem, more solito, dicens: *Sit nomen Domini* etc., ac postea procedit vel ad Sacellum Coemeterii, vel ad Ecclesiam Coemeterio propinquam, vel ad locum ubi paramenta assumpserat.

Articulus III.

De Diacono et Subdiacono in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda.

3077. — Diaconus et Subdiaconus, statuta hora, se conferunt ad Sacristiam vel Sacelli Coemeterii, vel Ecclesiae eidem Coemeterio propinquioris, vel accedunt ad alium designatum locum et assumunt amictum, albam, cingulum, Diaconus accipit etiam stolam albi coloris, dein procedunt ad locum in quo Episcopus assumere debet paramenta sacra.

Quum Episcopus pervenerit, ei se inclinant, vel genuflexionem peragunt et postquam Episcopus pervenerit ad Faldistorium, vel ad sedem cameralem, ad cum accedunt. Diaconus aufert ei Crucem

pectoralem, Subdiaconus mozzettam, dein Diaconus accipit a Caeremoniario paramenta, eisque, adiuvante Subdiacono, Episcopum induit.

Accepto ab Episcopo baculo, ambo sustinentes pluvialis eius fimbrias procedunt ad Coemeterium, ibique sedent ad latera Faldistorii, dum Episcopus sermonem facit. Accensis candelis ante singulas Cruces, ambo surgunt, Diaconus aufert Episcopo mitram, uterque cum Episcopo ad Crucem ligneam se convertit; Diaconus transit ad Episcopi dexteram, dum Subdiaconus transit ad sinistram eiusdem Episcopi. Absoluta Oratione: *Omnipotens Deus* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit, dein ambo genuflectunt ad latera Faldistorii; decantato Versiculo Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgente Episcopo, et ipsi surgunt et postquam Episcopus, tribus vicibus, dixerit: *Ut hoc Coemeterium* etc., iterum genuflectunt.

Completis Litaniis, ambo cum Episcopo surgunt et ad eius latera consistunt. Absoluto salis Exorcismo, Diaconus Episcopo in Faldistorio sedenti aufert mitram, quam reponit absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc. Completo Exorcismo aquae, Diaconus aufert iterum Episcopo mitram et post Orationem: *Deus, qui ad salutem* etc., tradit Episcopo lancem cum sale; qua recepta, porrigit mantile ad abstergendam manum. Absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc., et intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges* etc., Diaconus Episcopo mitram imponit, dein ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Crucem quae sita est ante Crucem praecipuam, ibique Diaconus porrigit Episcopo aspergillum, dein ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, eum comitantur. Quum reversi fuerint ante eandem Crucem, Diaconus recipit ab Episcopo aspergillum et, repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., Episcopo mitram aufert.

Absoluta Oratione: *Deus, qui es totius* etc., more solito Diaconus ministrat incensum; quo imposito et benedicto, thuribulum Episcopo porrigit. Diaconus, recepto thuribulo, mitram eidem imponit, dein accipit a Clerico unam ex tribus candelis in paxillo positis, eamque Episcopo porrigit. Collocata candela in summitate Crucis, alteram porrigit, ac postea tertiam, deinde Episcopo mitram imponit eique aspergillum porrigit; ambo cum Episcopo procedunt recitantes alternatim cum eodem Psalmum 6: *Domine, ne in furore* etc. et Psalmum 31: *Beati, quorum* etc. Quum ad Crucem, quae post mediam sita est, pervenerint, Diaconus recipit ab Episcopo aspergillum et, Psalmorum recitatione absoluta, aufert Episcopo mitram; post Orationem: *Domine sancte* etc., incensum ministrat et se gerit ut supra ante aliam Crucem.

Incepto Psalmo 37: *Domine, ne in furore* etc., Diaconus porrigit Episcopo aspergillum; ambo cum Episcopo procedunt, recitantes cum eodem alternatim dictum Psalmum, ad Crucem collocatam ad dexteram Crucis primariae; quo cum pervenerint, Diaconus ab Episcopo aspergillum recipit et se ut supra gerit, sed incensum ministrat post Orationem: *Domine Deus, pastor* etc.

Incepto Psalmo 101: *Domine, exaudi orationem* etc., ambo se ut supra gerunt; Diaconus incensum ministrat post Orationem: *Domine Iesu Christe* etc., et ita se gerunt, incepta recitatione Psalmi 129: *De profundis* etc., sed recitant quoque Psalmum 142: *Domine, exaudi orationem* etc., et Diaconus incensum ministrat post Praefationem.

Impositis Cruci candelis et dicto ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus ienuflectens subiungit: *Flectamus genua,* Subdiaconus surgens dicit: *Me.*

Absoluta Oratione: *Domine sancte, Pater* etc., Diaconus, si Episcopus uti Cruce nequit, mitram ei imponit, alias mitram imponit benedictione impertita: deinde ambo procedunt cum Episcopo vel ad Sacellum Coemeterii, vel ad Ecclesiam Coemeterio propinquiorem, vel ad locum ubi Episcopus paramenta assumpserat, ibique adjuvant eum in paramentis deponendis, si Missam non celebret. Si Missae solemni assistat, et color Officii non sit albus, tunc adjuvant eum in deponendis paramentis albi coloris et in assumendis paramentis coloris Officii, dein pergunt ad paramenta deponenda.

Articulus IV.

De Caeremoniario in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda.

3078. — Caeremoniarius, omnibus rite dispositis, cum annuntiatur Episcopi adventus, signum dat ad eum associandum ad limen loci in quo Episcopus ipse paramenta assumere debet. Accepto ab Episcopo baculo, Caeremoniarius signum procedendi dat sequenti ordine:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios intorticia deferentes;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Episcopus, medius inter Diaconum et Subdiaconum;
5. Ministri mitrae et baculi;
6. Ministri libri et candelae;
7. Familiares Episcopi.

3079. — Dispositio ad sermonem Episcopi.

Mm. MI Mc Mb

Ξ| £J B

Ad aquae benedictionem eadem servatur dispositio quae sub n. 2898.

3080. —" **Modus sequendus in prima aspersione super Coemeterium.**

3081. — Ordo imponendi candelas in summitate et in brachiis Crucis.

3082. — Modus sequendus in secunda aspersione super Coemeterium.

3083. — Modus sequendus in tertia aspersione super Coemeterium.

3084. Modus sequendus in quarta aspersione super Coemeterium.

3085. — Modus sequendus in quinta aspersione super Coemeterium.

3086. — Si Episcopus Missae solemni assistat, Indulgentia pu-Micatur benedictione impertita in fine Alissae.

In benedictione Coemeterii Missa dicitur de Officio diei, sed, sub unica conclusione cum prima Oratione Missae, adduntur Ora-tiones ut in Pontificali Romano, vel etiam ut in Appendice Missalis.

Articulus V.

De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda.

3087. — I. - De Ministris libri et candelae. — Assumptis ab Epi-scopo paramentis, hi Ministri sumunt ex abaco Pontificale Ro-manum et scotulam atque Episcopum sequuntur. Accensis can-delis ante Cruces, accedunt ad Episcopum conversum ad Crucem maiorem; absoluta Oratione: *Omnipotens Deus* etc., recedunt. De-cantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., iterum ad Episcopum accedunt, et postquam tertio dixeiit: *Ut hoc Coemete-rium* etc., recedunt.

Completis Litaniis, Ministri iterum accedunt ad Episcopum ac recedunt post intonationem Antiphonae: *Asperges me* etc., et in

aspersione sequuntur Episcopum. Repetita Antiphona: *Asperges me etc.,* ad Episcopum accedunt; completa Oratione: *Deus, qui es totius* etc., recedunt et se ut supra gerunt et ita deinceps post reliquas aspersiones, sed post Orationem: *Adesto, quaesumus, Domine* etc., post quintam aspersionem Ministri non recedunt, recedunt vero post cantum Praefationis; ad Episcopum revertuntur post impositionem candelarum. Completa Oratione: *Domine sancte, Pater* etc., se gerunt ut in benedictione solemniter ab Episcopo impertienda.

II. - **De Ministro mitrae. —** Hic Minister

porrigit Diacono mitram:

ab eodem recipit:

assumpto ab Episcopo pluviali cum formali;

postquam accensae fuerunt candelae ante Cruces;

absoluta Oratione: *Omnipotens Deus, qui es custos* etc.;

post salis Exorcismum;

completa Oratione: *Immensam clementiam* etc.;

post aquae Exorcismum;

intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;

repetita Antiphona: *Asperges me* etc.;

post impositionem candelarum Cruci;

expleto Psalmo 31 : *Beati, quorum remissae sunt* etc.;

impositis Cruci candelis;

absoluto Psalmo 37: *Domine, ne in jurore tuo arguas* etc.;

post impositionem candelarum Cruci;

completo Psalmo 101: *Domine, exaudi orationem meam: et clamor* etc.;

postquam Episcopus Cruci candelas imposuerit;

expleto Psalmo 142: *Domine, exaudi orationem meam, auribus* etc.;

post Orationem: *Domine sancte, Pater* etc., si Cruce uti nequit pro benedictione impertienda, alias benedictione impertita.

cum Episcopus pervenerit ad locum ubi paramenta assumpserat.

111. - **De Ministro baculi. –** Hic Minister

porrigit Episcopo baculum:

ab eodem recipit:

id nutum Caeremoniarii, postquam Episcopus paramenta et mitram assumpserit;

postquam accensae fuerint candelae ante Cruces;

decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc.;

postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hoc Coemeterium* etc.;

absolutis Litaniis;

post salis Exorcismum;

post Orationem: *Immensam clementiam* etc.;

aqua exorcizata;

intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;

repetita Antiphona: *Asperges me* etc.;

post impositionem candelarum Cruci;

absoluto Psalmo 31: *Beati quorum* etc.;

impositis Cruci candelis;

absoluto Psalmo 37: *Domine, ne in furore tuo arguas* etc.;

post impositionem candelarum Cruci;

recitato Psalmo 101: *Domine, exaudi orationem meam et clamor* etc.;

impositis candelis Cruci;

absoluto Psalmo 142: *Domine, exaudi orationem meam, auribus* etc.;

ad benedictionem pontificalem.

cum Episcopus pervenerit ad locum ubi paramenta assumpserat.

Articulus VI.

De Crucifero deque Ceroferariis in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertiende.

3088. — Episcopo parato, **Crucifer** sumit Crucem processionalem et Ceroferarii intorticia accipiunt; ad Caeremoniarii nutum, **omnes** procedunt ad Coemeterium et consistunt ad dexteram Crucis maioris in conspectu Episcopi.

Post sermonem, **Crucifer** et **Ceroferarii** transeunt ad sinistram Crucis maioris et consistunt pariter in conspectu Episcopi. Intonata Antiphona: *Asperges me* etc., procedunt ad Crucem quae sita est ante Crucem maiorem, ibique, accepto ab Episcopo aspergillo, procedunt versus latus dexterum eiusdem Crucis, circumeuntes Coemeterium et, radentes totum murum ambitus, redeunt ante praedictam Crucem et ad eius sinistram consistunt. Incepta recitatione Psalmi 6: *Domine, ne in furore tuo* etc., procedunt ad Crucem quae sita est post mediam; quo cum pervenerint, consistunt ad eiusdem sinistram. Incepto Psalmo 37: *Domine, ne in furore* etc., procedunt ad Crucem collocatam ad dexteram Crucis principalis et pariter consistunt ad sinistram dictae Crucis. Incepto Psalmo 101: *Domine, exaudi orationem meam* etc., procedunt ad Crucem collocatam ad sinistram Crucis praecipuae, ibique ad eius sinistram consistunt. Incepto Psalmo 129: *De profundis* etc., procedunt ad Crucem principalem et ad eiusdem sinistram consistunt. Impertita ab Episcopo benedictione et publicata Indulgentia, ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad locum in quo Episcopus depositurus est paramenta, vel ad Sacellum Coemeterii, vel ad Ecclesiam Coemeterio propinquiorem, et in casu se ad Sacristiam conferunt ibique Crucem et intorticia deponunt.

Articulus VII.

De Acolytho deque Thuriferario in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda.

3089. — I. - De Acolytho. — Acolythus, absoluto sermone, sumit ex abaco candelas earumque ternas imponit singulis Crucibus in paxillo ligneo easque accendit. Aqua benedicta, extrahit ex concha vasculum unum eiusdem aquae, sumit aspersorium ex hyssopo, se confert ad dexteram Diaconi et, cum opus sit, extrahit ex concha aquam benedictam. Completa quinta aspersione, scilicet cum Episcopus pervenerit ante Crucem principalem, se ad abacum confert et super eum vasculum deponit.

11. - **De Thuriferario.** — Completis Litaniis, Thuriferarius procedit ad locum in quo est thuribulum, illud ac naviculam accipit ac postea se confert ad Crucem ante mediam collocatam. Absoluta Oratione: *Deus, qui es totius* etc., accedit ad Episcopum pro incensi impositione; quo benedicto, porrigit Diacono thuribulum. In aspersionibus sequentibus Thuriferarius incedit ante Crucifemm, et cum ad Crucem pervenerit consistit ad dexteram Acolythi deferentis vasculum aquae benedictae. Post singulas Orationes accedit ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi, sed post quintam aspersionem accedit ad Episcopum pro incensi impositione postquam ille Praefationem decantaverit; ultima Cruce thurificata, defert thuribulum ad suum locum.

Articulus VIII.

De Cantoribus in solemni benedictione Coemeterii ab Episcopo Ordinario impertienda.

3090. — Postquam Episcopus genuflexerit in Faldistorio, absoluta Oratione: *Omnipotens Deus* etc., **duo Cantores** incipiunt Litanias Sanctorum; decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., cantum abrumpunt, quem reassumunt, tertio ab Episcopo prolatis verbis: *Ut hoc Coemeterium* etc.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Asperges me* etc. Cantores prosequuntur, dein canunt Psalmum 50: *Miserere* etc., cum: *Gloria Patri* etc. Impositis candelis Cruci, Cantores statim incipiunt Psalmum 6: *Domine, ne in furore tuo* etc., dein Psalmum 31: *Beati, quorum* etc., absque *Gloria* etc. Impositis candelis secundae

Cruci, canunt Psalmum 37: *Domine, ne in furore* etc., pariter absque *Gloria* etc.; et post impositionem candelarum tertiae Cruci, canunt Psalmum 101: *Domine, exaudi orationem* etc., in cuius finem non dicitur: *Gloria Patri* etc. Postquam Episcopus candelas quartae Cruci imposuerit, **Cantores** canunt Psalmum 129: *De profundis* etc., et Psalmum 142: *Domine, exaudi orationem meam* etc., absque *Gloria Patri* etc.; ad Praefationem respondent more solito.

CAPUT XVIII.

DE ECCLESIAE RECONCILIATIONE SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3091. — I. - Ecclesia expoliata sit quocumque ornamento.

Prope unumquodque Altare praeparantur: Crux, candelabra cum cereis, tobaleae et reliqua omnia ad illud ornandum necessaria.

II. - Ad Altare maius. — In medio Presbyterio: parvum tapetum.

III. - Super abacum. — Collocantur: concha cum aqua benedicenda; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris pariter in lance; phiala, vel ampulla, plena vini; vasculum ad extrahendam aquam sacratam; aspersorium ex hyssopo; mantile in lance; tobaleae Altaris.

IV. - Apud abacum. — Crux, candelabra cum cereis et cetera omnia quae ad ornandum Altare necessaria sunt.

V. - Congruo in loco. — Pallium coloris Officii; tapetum.

VI. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta Episcopi, scilicet: amictus, alba, cingulum, stola et pluviale albi coloris; formale, si Episcopus Ordinarius sit, mitra auriphrygiata, baculus pastoralis.

Super alias mensas: duo amictus, totidem albae et cingula, stola diaconalis albi coloris; duae vimpae; superpellicea; Pontificale Romanum; scotula cum candela; lanx pro Cruce pectorali.

Si Episcopus Missam celebret parantur: planeta, manipulus si albus color Officii, alias: planeta, manipulus et stola coloris Officii;

Missale cum legili; Canon Pontificalis; ampullae aquae et vini; Calix cum suis ornamentis; Pyxis cum particulis; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance.

Si Missa a Sacerdote celebretur, tunc omnia pro Missae celebratione parantur, praeterea Pyxis cum particulis.

Congruo in loco: Crux processionalis; duo intorticia.

Corani praecipua mensa collocatur sedes cameralis, super tapetum.

VII. - Extra Ecclesiae praecipuam portam. — Ante portam, quae aperta esse debet, collocatur super parvum tapetum Faldistorium cuin tegumento et pulvinis albi coloris.

Ad sinistram portae, scilicet ad dexteram intrantis, collocatur parva mensa, alba tobalea tecta, et super illam ponitur vas cum aqua benedicenda, vasculum ad hauriendam aquam benedictam, aspersorium ex hyssopo; aliquantulum salis in lance; manutergium in lance.

Articulus II.

De Episcopo celebrante in Ecclesiae reconciliatione solemniter peragenda.

3092. — Statuta hora, Episcopus se confert ad Sacristiam Ecclesiae reconciliandae et accedit ad sedem cameralem, ibique dimittit Crucem pectoralem, mozzettam, vel mantellettum, et assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius, et mitram. Ad nutum Caeremoniarii, accipit baculum pastoralem et procedit, inter sacros Ministros, ad Ecclesiae portam; quo cum pervenerit, sedet in Faldistorio. Caeremoniario innuente, Episcopus surgit et absolute dicit: *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo te* etc. Exorcismo salis absoluto, sedet in Faldistorio, baculum Ministro tradit ac mitram dimittit, iterum surgit et, iunctis manibus, dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Immensam clementiam* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit iterumque surgit; absolute super aquam dicit: *Exorcizo te* etc. Completo Exorcismo, sedet, Ministro baculum tradit ac mitram dimittit, rursus surgit et, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus Wbiscum. Oremus. Deus, qui ad salutem* etc.; qua Oratione absoluta, accipit pugillum salis et, dicens: *Commixtio* etc., dimittit illum in aquam in modum Crucis dum profert verba: *In nomine Pa æ tris* etc., ac postea manum abstergit et immediate dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, invictae virtutis* etc. Oratione completa, sedet, mi-

tram ac baculum accipit, surgit, procedit ad Ecclesiae portam, ibique baculum et mitram dimittit. Episcopus intonat, facie ad Altare versa, Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata, mitram accipit, et de manu Diaconi accipit aspersorium, dein procedens per suam dexteram circuit Ecclesiam aspergens externe eius parietes.

3093. — Si nihilominus ob aliquod loci impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequit, Episcopus se gerit meliori modo quo possit (D. 3852). Igitur cum ad impedimentum pervenerit, abrumpit aspersiones, ad sinistram transit et ex eo loco ubi aspersio resumi possit, prosequitur circuitionem a dextris suis ad sinistram usque ad Ecclesiae portam; quo cum pervenerit, tradit Diacono aspersorium.

3094. — Repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., Episcopus mitram dimittit et cantat: *Oremus. Omnipotens et misericors Deus* etc.; qua Oratione completa et responso: *Arnen,* iterum dicit: *Oremus;* pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* dicit: *Aufer a nobis* etc., et ita se gerit in simili casu quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Oratione absoluta, Episcopus mitram ac baculum accipit et Ecclesiam ingreditur; cum ad Faldistorium pervenerit, Ministro baculum tradit et in Faldistorio genuflectit. Decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgit, baculum accipit et cantat: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, purgare et recon φ ciliare digneris.* Responso a Cantoribus: *Te rogamus* etc., cantat: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, purgare, recon* Φ *ciliare et sancti* Φ *fican digneris.* Responso pariter a Cantoribus: *Te rogamus* etc., cantat: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, purgare, recon* Φ *ciliare, sancti %ficon et conse* Φ *crare digneris.* Responso tertio a Cantoribus: *Te rogamus* etc., Episcopus baculum Ministro tradit iterumque genuflectit.

Absolutis Litaniis, Episcopus surgit, mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Deus, qui peccati* etc., genuflectit in pulvino et cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus: *Domine, ad adiuvandum* etc., Episcopus surgit et cantat: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.* Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et secundo elevans vocem hemitonio cantat: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Episcopus genuflectit et tertio cantat elevans hemitonio vocem:Deus, *in adiutorium* etc. et se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat* etc., Episcopus accipit mitram ac baculum, accedit ad abacum et dicit: *Exorcizo te* etc. Si formula

benedictionis desumitur e Ritu consecrationis Ecclesiae, advertat Episcopus ut verbum *consecrationem* mutet in *reconciliationem.* Exorcismo absoluto, Episcopus tradit Ministro baculum, mitram dimittit ac dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, mitram ac baculum accipit et dicit: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, baculum Ministro tradit, mitram dimittit et dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; deinde benedicit cineres, dicens: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc.; qua Oratione completa, Episcopus dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem, tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam, tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, cineris, et aquae* etc., dein mantili abstergit manum statimque dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Icsu Christe* etc.; qua Oratione absoluta, accipit ampullam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit, dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; Oratione completa, mitram ac baculum accipit et procedit ante Altare; quo cum pervenerit, Ministro tradit baculum, mitram dimittit ac intonat Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., ac postea mitram ac baculum accipit et se confert ad parietem retro Altaris maioris; tradito Ministro baculo, aspersorium accipit et, incipiens a cornu Evangelii procedens per sinistram suam, circuit Ecclesiam, aspergens parietes in superiori parte. Quum reversus fuerit ad locum a quo aspersionem inceperat, iterum, procedens per suam sinistram, circuit Ecclesiam, aspergens parietes in eorum inferiori parte et tertio idem facit, sed aspergit Ecclesiae pavimentum; aspergit etiam specialiter loca contaminata, quando Ecclesia principaliter est polluta vel violata » (Ex Rubr. Pont. Rom.).

Tertio circuitu peracto. Episcopus, tradito Diacono aspersorio, baculum accipit et se confert ante Altare; postquam repetita fuerit Antiphona: *Exurgat Deus* etc., post ultimum Versum Psalmi 67: *In Ecclesiis* etc., scilicet: *Mirabilis Deus* etc., tradit Ministro baculum et, retinens mitram, canit invitationem ad orationem: *Deum indultorem* etc.; prolatis verbis: *Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat Deus,* mitram dimittit et, manibus expansis, prosequitur Praefationem usque ad: *Per Dominum* etc., exclusive; quod, submissa sed intelligibili voce, recitat, dein mitram accipit,

suppedaneum conscendit, ibique intonat Antiphonam: *Introibo* etc.; qua repetita post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., scilicet: *Spera in Deo, quoniam* etc., mitram dimittit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc., Episcopus, stans ibidem, intonat Antiphonam: *Confirma hoc* etc., dein mitram accipit quam dimittit, repetita Antiphona post Psalmum 67: *Exurgat Deus* etc., dein cantat: *Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam* etc.; qua Oratione completa, Episcopus, nisi Cruce uti possit, accipit mitram et, more solito, benedictionem solemnem impertit; qua donata, procedit ad Faldistorium et si Missam celebret, tradito Ministro baculo, legit Psalmos et Preces in Missae praeparatione. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., mitram non dimittit, nec surgit, siquidem sacris paramentis indutus, recitat: *Pater noster* etc., et Versiculos et Orationes; quibus absolutis, manus lavat et abstergit, dein mitram, formale ac pluviale dimittit, dimittit quoque stolam, nisi albus fuerit color Officii, ac postea assumit planctam et procedit, medius inter Assistentes, ad Altare atque Missam more solito inchoat.

Articulus III.

De Diacono et Subdiacono in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda.

3095. — Ministri sacri, statuta hora se conferunt ad Sacristiam Ecclesiae reconciliandae et assumunt amictum, albam, cingulum, Diaconus etiam stolam albi coloris, dein cum nuntiatur Episcopi adventus accedunt ad sedem cameralem et cum ille advenerit se ei inclinant, vel genuflectunt. Postquam Episcopus sederit, Diaconus aufert ei Crucem pectoralem, Subdiaconus mozzettam, vel mantellettum, dein Diaconus accipit a Caeremoniario paramenta eisque, adiuvante Subdiacono, Episcopum induit; ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Ecclesiae ianuam.

Diaconus, post salis Exorcismum, Episcopo mitram aufert quam reponit absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc. Completo aquae Exorcismo, iterum Diaconus mitram aufert et post Orationem: *Deus, qui ad salutem* etc., tradit Episcopo lancem cum sale: qua recepta, porrigit eidem mantile ad abstergendam manum. Postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc., imponit ei mitram, ac postea ambo procedunt cum Episcopo ad Ecclesiae portam, ibique Diaconus aufert ei mitram. Intonata Antiphona: *Asperges me* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit eidemque

aspersorium porrigit. Ambo comitantur Episcopum in parietum aspersione.

Quum reversi fuerint ante Ecclesiae ianuam, Diaconus recipit ab Episcopo aspersorium et, repetita Antiphona: *Asperges me* etc., ei mitram aufert. Post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., decantato ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus genuflectens cantat: *Flectamus genua,* et Subdiaconus surgens cantat: *Levate* et ita se gerunt postea in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit; ambo cum eodem Episcopo Ecclesiam ingrediuntur et ad Altare maius procedunt, ibique ad Faldistorii latera genuflectunt. Post Litaniarum Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc. ambo cum Episcopo surgunt et sustinent eiusdem pluvialis fimbrias; iterum genuflectunt postquam Episcopus tertio decantaverit: *Ut hanc Ecclesiam* etc.

Absolutis Litaniis, Ministri sacri surgunt; Diaconus mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Deus, qui peccati* etc., quando Episcopus genuflectit et ipsi genuflectunt, quando vero surgit et ipsi surgunt. Responso tertio a Cantoribus: *Sicut erat* etc., Diaconus mitram Episcopo imponit et ambo cum eodem Episcopo ad abacum accedunt. Post salis Exorcismum, Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit, absoluta Oratione: *Domine Deus* etc. Iterum Diaconus mitram Episcopo aufert post aquae Exorcismum.

Postquam Episcopus dimiserit in aquam salis et cineris mixturam, Diaconus ei mantile porrigit ad abstergendam manum. Post Orationem: *Domine Iesu Christe* etc., porrigit Episcopo ampullam vini, et, absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., mitram eidem imponit; ambo cum eo procedunt ante Altare.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Exurgat Deus* etc., Diaconus imponit ei mitram; ambo, sustinentes pluvialis fimbrias, procedunt ad parietem retro Altaris maioris, ibique Diaconus Episcopo aspersorium porrigit; ambo comitantur Episcopum in parietum aspersionibus; quibus completis, Diaconus recipit aspersorium, et ambo cum Episcopo se conferunt ante Altare. Prolatis ab Episcopo verbis invitationis ad orationem: *Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat Deus,* Diaconus mitram Episcopo aufert quam reponit, absoluta Praefatione, et ambo cum Episcopo suppedaneum conscendunt. Post ultimum Versum Psalmi 42: *Iudica me, Deus* etc., scilicet: *Spera in Deo* etc., Diaconus mitram Episcopo aufert. *Oremus. Flectamus ffliua. Levate.* Intonata ab Episcopo Antiphona: *Confirma hoc,*

Deus etc., Diaconus ei mitram imponit eamque aufert, repetita Antiphona post Psalmum 67: *Exurgat Deus* etc. Absoluta Oratione: *Deus, qui Ecclesiam luam* etc., Diaconus, si Episcopus uti Cruce nequit, mitram ei imponit, alias mitram imponit benedictione inipertita, dein cum Episcopo ambo ad Paldistorium se conferunt.

3096. — Si Episcopus Missam non celebret, nec Missae assistat, Diaconus Episcopo sedenti mitram aufert ac postea, adiuvante Subdiacono, kmm paramentis exuit. Reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, ambo se ei inclinant, vel genuflectunt, et ad Sacristiam se conferunt.

Si vero Episcopus Missam celebret, Ministri sacri cum ad Faldi*storium* pervenerint, Episcopo se inclinant, vel genuflectunt, ac postea ad Sacristiam pergunt.

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Canioribus in Ecclesiae reconciliatione solemniler ab Episcopo peragenda.

3097. — De Caeremoniario. Assumptis ab Episcopo paramentis et accepto baculo, Caeremoniarius signum dat procedendi ad Ecclesiae ianuam ordine sub n. 3070 descripto. Ecclesiae porta aperta sit.

Dispositio ad aquae benedictionem eadem est ut sub n. 2898 notavimus.

3098. – Quoniam in Pontificali Romano Ritus reconciliationis Ecclesiae coniunctus est cum Ritu reconciliationis Coemeterii, Caeremoniarius praemoneat tempestive Episcopum ut:

I. - Post Orationem: *Aufer* etc., non dicat: *Oremus* et omittat Orationem: *Domine pie* etc.

II. - Ad Litaniarum Versiculum: *Ut hanc Ecclesiam* etc., omittat verbum: *Coemeterium.*

III. - In secunda aquae benedictione mutet verbum: *consecrationem* in: *reconciliationem,* si formula benedictionis desumenda sit e Ritu consecrationis Ecclesiae.

3099. — Missa dicitur de Officio diei, sed sub unica conclusione cum prima Oratione adduntur Orationes ut in Pontificali Romano vel etiam ut in Appendice Missalls.

3100. — Dc Cantoribus. - Cantores intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Asperges me* etc. prosequuntur, dein canunt Psal-

mum 50: *Miserere* etc., in cuius finem dicunt: *Gloria Patri* etc., ac postea Antiphonam repetunt.

Absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc., **duo Cantores** incipiunt Litanias Sanctorum et cum ad Altare maius pervenerint, omnes genuflectmit. Decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., abrumpunt cantum, quem reassumunt postquam Episcopus, decantato Versiculo: *Ut hanc Ecclesiam* etc., genuflexerit.

Litaniis absolutis, omnes surgunt et, completa Oratione: *Deus, quipeccati* etc., postquam Episcopus decantaverit: *Deus, in adiuImuinetc.,* Cantores respondent: *Domine, ad adiuvandum* etc., et pariter respondent: *Sicut erat* etc., ad: *Gloria Patri* etc. Id faciunt secundo et tertio efferentes vocem hemitonio singulis vicibus. Omnes genuflectunt et surgunt quando Episcopus genuflectit et surgit.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Exurgat Deus* etc. proseqtiiintur, dein intonant Psalmum 67: *In Ecclesiis* etc., et post primum Versum repetunt Antiphonam, si neccsse fuerit, scilicet si Ecclesia sil tam ampla ne aspersiones sine cantu absolvantur; post secundum Versum repetunt pariter Antiphonam et ita deinceps. In fine Psalmi non dicitur: *Gloria Patri* etc., sed Antiphona repetitur.

Articulus V.

De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda.

3101. I. - De Ministris libri et candelae. — Ili Ministri

accedunt ad Episcopum:	ab eo recedunt:
cum ad Ecclesiae ianuam pervenerint, collocata mensa ante eumdeni Episcopum;	
	intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;
repetita Antiphona: *Asperges me* etc.;	
	absoluta Oratione: *Aufer a nobis* etc.;
decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus* etc.;	
	postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hanc Ecclesiam* etc.;

absoluto Litaniarum cantu;

absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;

quum Episcopus pervenerit ante Altare;

post intonationem Antiphonae: *Exurgat Deus* etc.;

repetita Antiphona: *Exurgat Deus* etc., post ultimum Versum Psalmi 67: *In Ecclesiis* etc., scilicet: *Mirabilis Deus* etc.;

absoluta Praefatione;

postquam Episcopus suppedaneum conscenderit;

intonata Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* etc.;

repetita Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* etc., post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc.;

intonata Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc.;

post repetitionem Antiphonae: *Confirma hoc, Deus* etc.;

benedictione impertita.

si Episcopus Missam celebret, cum ille ad Faldistorium pervenerit.

II. - De Ministro mitrae. — Hic Minister

mitram Diacono porrigit:

ab eo recipit:

assumpto ab Episcopo pluviali;

post salis Exorcismum;

absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc.;

aqua exorcizata;

recitata Oratione: *Deus invictae* etc.;

cum ad portam Ecclesiae per venerit;

intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;

repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.;

completa Oratione: *Aufer a nobis* etc.;

post Litaniarum cantum;

decantato a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc.;

post salis Exorcismum;

absoluta Oratione: *Domine Deus, Pater omnipotens* etc.;

aqua exorcizata;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.;

cum pervenerit ante Altare;

intonata Antiphona: *Exurgat Deus* etc.;

completa invitatione ad orationem: *Deum indultorem* etc.;

post Praefationem;

repetita Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* etc., post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., scilicet: *Spera in Deo* etc.;

intonata Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc.;

repetita Antiphona: *Confirma hoc, Deus* etc.; post Psalmum 67: *Exurgat Deus* etc.;

absoluta Oratione: *Deus, qui Ecclesiam tuam* etc., si Episcopus uti Cruce nequit; alias, impertita benedictione.

cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, nisi Missam celebret; alias post manuum lotionem.

III. - De Ministro baculi. — Hic Minister

Episcopo baculum porrigit:	ab eo recipit:
accepta mitra;	post salis Exorcismum;
absoluta Oratione: *Immensam clementiam tuam* etc.;	aqua exorcizata;
recitata Oratione: *Deus invictae* etc.;	cum ad portam Ecclesiae pervenerit;
post Orationem: *Aufer a nobis* etc.;	cum ad Faldistorium pervenerit;
decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus* etc.;	postquam Episcopus tertio decantaverit: *Ut hanc Ecclesiam* etc.;
decantato a Cantoribus tertio: *Gloria Patri* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc.;	post salis Exorcismum;
absoluta Oratione: *Domine Deus, Pater omnipotens* etc.;	aqua exorcizata;
post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.;	cum pervenerit ante Altare;
intonata Antiphona: *Exurgat Deus* etc.;	cum pervenerit ad parietem retro Altaris maioris;
aspersionibus peractis;	cum ante Altare pervenerit;
ad benedictionem, more solito.	cum ad Faldistorium pervenerit.

Articulus VI.

De ceteris Ministris inferioribus in Ecclesiae reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda.

3102. — 1. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Hi Ministri se gerunt ut sub numero 3073, I, sed procedunt ad parietem retro Altaris

maioris, intonata Antiphona: *Exurgat Deus* etc. et Ecclesiam ter circumeunt. Ad Sacristiam pergunt, impertita benedictione.

IL - De Acolytho. — Acolythus, cum Episcopus in Sacristiam advenerit, sumit ex mensa lancem pro Cruce pectorali et se confert ad dexteram Diaconi; reassumpta ab Episcopo Cruce, defert lancem ad abacum, prope Altare maius, dein in Sacristiam revertitur et cum ceteris procedit ad Ecclesiae ianuam; quo cum pervenerit, una cum Ministro aquae benedictae transfert parvam mensam coram Episcopo, quam amovet, absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc.

Inceptis a Cantoribus Litaniis, pariter cum Ministro aquae benedictae transfert Faldistorium ad Altare maius et illud super tapetum, in medio Presbyterio, statuit. Litaniis absolutis, transfert Faldistorium ad cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum, dein collocat pulvinum ante Episcopum, quem tollit postquam Episcopus tertio decantaverit: *Deus, in adiutorium* etc.

Si Episcopus Missam celebret, dum ille canit Orationem: *Deus, qui Ecclesiam tuam* etc., procedit ad Sacristiam et se gerit ut sub n. 3073, V notavimus.

111. - De Ministro aquae benedictae. — Minister, cum Episcopus ad Sacristiam pervenerit, accedit ad mensam praecipuam, a Caerenioniario accipit paramenta et se confert coram Episcopo; cum ceteris procedit ad Ecclesiae ianuam; quo cum pervenerit, una cum Acolytho transfert coram Episcopo parvam mensam quam amovet, absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc., dein extrahit e vase vasculum aquae benedictae, sumit aspersorium ac se confert ad dexteram Diaconi et incedit ad eiusdem dexteram, dum Episcopus aspergit parietes. Peracta aspersione, Minister vasculum defert in Sacristiam et aspersorium ad abacum, prope Altare maius.

Inceptis a Cantoribus Litaniis, Minister una cum Acolytho transfert Faldistorium ad Altare maius et illud statuit super tapetum in medio Presbyterio. Absolutis Litaniis, transfert Faldistorium ad cornu Epistolae et illud collocat ante infimum Altaris gradum. Post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., Minister extrahit e concha vasculum aquae sacratae, accedit ad dexteram Diaconi et pariter ad eiusdem dexteram incedit, dum Episcopus parietes aspergit; aspersione peracta, vasculum super abacum deponit.

Benedictione ab Episcopo impertita, Minister adiuvat Sacristain in exornando Altari.

CAPUT XIX.

DE COEMETERII RECONCILIATIONE SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3103. — I. - In Coemeterio. — In medio Coemeterio sternitur tapetum et super illud collocatur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

Ad dexteram Faldistorii paratur parva mensa, alba tobalea contecta, et super eam collocantur: concha cum aqua benedicenda; aliquantulum salis in lance; vasculum ad extrahendam aquam; aspergillum ex hyssopo; mantile in lance.

II. - In Sacello Coemeterii. — Super Altaris mensam collocantur paramenta Episcopi, scilicet: amictus, alba, cingulum, stola cum pluviali albi coloris; in latere Evangelii mitra auriphrygiata; formale in lance si Episcopus sit Ordinarius loci.

Apud Altare: baculus pastoralis.

Super abacum: lanx pro Cruce pectorali.

In cornu Epistolae collocatur, parum distans ab infimo Altaris gradu, Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

Super infimum Altaris gradum, in medio, collocatur pulvinus albi coloris.

III. - In Sacristia Sacelli. — Super praecipuam mensam collocantur: duo amictus, totidem albae et cingula, stola diaconalis albi coloris.

Super aliam mensam: superpellicea; duae vimpae pro Ministris mitrae et baculi; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula.

Congruo in loco praeparantur Crux processionalis et duo intorticia.

IV. - Si Missa celebretur ab aliquo Sacerdote, tunc omnia pro re parantur.

V. - Si in Coemeterio Sacellum absit, tunc omnia parantur in Ecclesia non longe a Coemeterio, alias in aliquo convenienti loco.

dfôfe kt

Articulus IL

De Episcopo in Coemeterii reconciliatione solemniter celebrante.

3104. — Episcopus, habitu praelatitio indutus, statuta hora, accedit ad Sacellum Coemeterii, vel ad Ecclesiam eidem Coemeterio propinquiorem vel ad alium designatum locum.

Si accedat ad Sacellum, vel ad Ecclesiam, se gerit more solito ut alias: facta brevi oratione ante Altare, se confert ad Faldistorium in cornu Epistolae, ubi depositis Cruce pectorali et mozzetta, vel mantelletto, assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius, et mitram. Ad nutum Caeremoniarii, accepto baculo, inter sacros Ministros, procedit ad Coemeterium.

Quum Episcopus pervenerit ad Faldistorium, Ministro baculum tradit et genuflectit. Decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgit, baculum accipit et cantat: *Ut hoc Coemeterium reconci* Φ *liare digneris;* responso: *Te rogamus* etc., secundo cantat: *Ut hoc Coemeterium reconci © liare et sancti* Φ *flcare digneris;* pariter responso: *Te rogamus* etc., tertio cantat: *Ut hoc Coemeterium reconci* Φ *liare, sancti* Φ *flcare et conse* Φ *crare digneris,* deinde Ministro tradit baculum et iterum genuflectit.

Litaniis absolutis, Episcopus surgit et sedet in Faldistorio. Ad nutum Caeremoniarii, accipit baculum, surgit et dicit: *Adiutorium nostrum* etç. Exorcismo salis absoluto, sedet in Faldistorio, iMinistro baculum tradit, mitram dimittit, iterum surgit, iunctisque manibus dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Immensam dementiam* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit, iterum surgit et absolute super aquam dicit: *Exorcizo te etc.* Completo Exorcismo, sedet, Ministro baculum tradit, mitram dimittit, rursus surgit et, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui ad salutem* etc.; qua Oratione absoluta, accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio* etc., dimittit illum in aquam in modum Crucis, dum profert verba: *in nomine Pa © tris* etc., ac postea manum abstergit et immediate dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, invictae virtutis* etc. Oratione completa, intonat Antiphonam: *Asperges me* etc., dein sedet, mitram accipit, surgit, aspergillum accipit, circuit Coemeterium incipiens a latere dextero ipsius, aspergit «et potissimum in loco ubi pollutio vel violatio commissa est » (E Rubr. Pont. Rom.). Aspersione

peracta, tradit Diacono aspergillum, baculum accipit et procedit ad Faldistorium; quo cum pervenerit, sedet, Ministro baculum tradit, mitram dimittit, surgit et dicit: *Oremus;* pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* canit: *Domine pie* etc.; qua Oratione completa, impertit benedictionem solemnem, more solito.

Articulus III.

De Diacono et Subdiacono in Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda.

3105. — Diaconus et **Subdiaconus se** gerunt ut sub n. **3077** notavimus, sed cum pervenerint ad Faldistorium, genuflectunt ad eius latera; decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., pariter se gerunt ut sub eodem numero diximus.

Intonata ab Episcopo Antiphona: *Asperges me* etc., Diaconus imponit Episcopo mitram, dein aspersorium porrigit ei, ambo eundem Episcopum comitantur in Coemeterii aspersione; qua completa, **Diaconus** aspergillum recipit.

Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, **Diaconus** ei sedenti mitram aufert. Decantato ab Episcopo: *Oremus,* Diaconus genuflectens cantat: *Flectamus genua,* **Subdiaconus** vero surgens dicit: *Levate.*

Impertita ab Episcopo benedictione, Diaconus mitram ei imponit et ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, se conferunt ad locum in quo paramenta assumpserant et se gerunt ut sub n. 3077 notavimus.

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Cantoribus in Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda.

3106. - De Caeremoniario. — Assumptis ab Episcopo paramentis et accepto baculo, Caeremoniarius signum ad Coemeterium procedendi dat, ordine sub n. 3078 descripto.

Quum omnes genuflexi sint, Caeremoniarius innuit duobus Cantoribus ut Litanias incipiant; quibus absolutis, innuit Acolytho et Ministro aquae benedictae ut transferant parvam Mensam cum concha coram Episcopo. Aqua benedicta, eosdem praemoneat ut mensam in pristino loco reponant.

11. - De Cantoribus. — Quum ad medium Coemeterium Cantores pervenerint, genuflectunt; duo Cantores, innuente Caeremo-

niario, incipiunt Litanias canere. Post Versiculum: *Ut omnibus fidelibus* etc., cantum abrumpunt, quem reassumunt postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hoc Coemeterium* etc.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Asperges me* etc. **Cantores** prosequuntur, dein intonant Psalmum 50: *Miserere* etc., in cuius finem non addunt: *Gloria Patri* etc., sed Antiphonam repetunt.

Articulus V.

De Ministris inferioribus in Coemeterii reconciliatione solemniter ab Episcopo peragenda.

3107. — 1. - **De Ministris libri et candelae. —** Hi Ministri

accedunt ad Episcopum:	ab eo recedunt:
decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc.;	
	postquam Episcopus tertio dixerit: *Ut hoc Coemeterium* etc.;
absolutis Litaniis;	
	intonata Antiphona: *Asperges* etc.;
repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.	
	impertita benedictione.

11. - **De Ministro mitrae. -** Hic Minister

Diacono mitram porrigit:	ab eo recipit:
assumpto ab Episcopo pluviali;	
	post salis Exorcismum;
absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc.;	
	aqua exorcizata;
intonata Antiphona: *Asperges me* etc.;	
	repetita Antiphona: *Asperges me* etc., post Psalmum 50: *Miserere* etc.
benedictione impertita.	

III. - De Ministro baculi. — Hic Minister

Episcopo baculum porrigit: ab eo recipit:

accepta mitra;

cum ad Faldistorium pervenerit;

decantato a Cantoribus Litania-
rum Versiculo: *Ut omnibus fi-
delibus* etc.;

postquam Episcopus tertio dixe-
rit: *Ut hoc Coemeterium* etc.;

absolutis Litaniis;

post salis Exorcismum;

absoluta Oratione: *Immensam
clementiam tuam* etc.;

aqua exorciza ta;

ad benedictionem more solito.

cum pervenerit ab locum in quo
paramenta assumpserat.

IV. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Crucifer et Cerofe-rarii, ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad Coemeterium et consistunt e regione Faldistorii. Intonata Antiphona: *Asperges me,* praecedunt Episcopum in aspersione Coemeterii, dein consistunt ut prius. Impertita ab Episcopo benedictione, revertuntur ad locum in quo Episcopus paramenta assumpserat.

V. - **De Acolytho.** — Acolythus, cum Episcopus advenerit vel ad Sacellum, vel ad Ecclesiam, vel etiam ad locum in quo paramenta assumere debet, ex abaco vel ex mensa sumit lancem pro Cruce pectorali et se confert ad dexteram Diaconi, ibique consistit, donec Episcopus reassumpserit Crucem pectoralem, ac postea lancem vel super mensam, vel super abacum, deponit. Cum ceteris Acolythus procedit ad Coemeterium; absolutis Litaniis, una cum Ministro de aqua benedicta transfert parvam mensam cum concha aquae benedicendae coram Episcopo, eamque in pristino reponit loco, aqua benedicta. Functione completa, revertitur cum ceteris ad locum in quo Episcopus paramenta assumpserat et sumit vel ex abaco, vel ex mensa lancem pro Cruce pectorali et ad dexteram Diaconi se confert; reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, lancem reponit super mensam, vel super abacum.

VI. - De Ministro aquae benedictae. — Minister, si Episcopus accedat ad Coemeterii Sacellum, vel ad Ecclesiam Coemeterio propinquam, cum nunciatur eius adventus, sumit vasculum aquae benedictae et cum ceteris procedit ad Ecclesiae, vel Sacelli, portam et se gerit ut alias ad aspersionem aquae benedictae; deposito vasculo super abacum, accedit ante infimum Altaris gradum, a Caeremoniario paramenta accipit et se coram Episcopo confert. Si vero Episcopus accedit ad locum designatum ad paramenta assumenda, tunc, cum Episcopus advenerit, accedit coram mensa praecipua, a Caeremoniario paramenta accipit et se ut supra gerit.

Minister cum ceteris ad Coemeterium procedit; Litaniis absolutis, una cum Acolytho transfert parvam mensam cum concha aquae benedicendae coram Episcopo, quam in pristino reponit loco postquam Episcopus aquam benedixerit, deinde extrahit e concha vasculum aquae benedictae, aspersorium sumit et se confert ad dexteram Diaconi et pariter ad eius dexteram incedit dum Episcopus Coemeterium aspergit; aspersione peracta, vasculum super mensam deponit atque, benedictione impertita, revertitur cum ceteris ad locum in quo Episcopus paramenta assumpserat ac coram Episcopo se confert ad paramenta accipienda.

CAPUT XX.

DE ECCLESIAE ET COEMETERII RECONCILIATIONE SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

3108. — Omnia praeparantur et Functio peragitur ut in Capite XVII, sed:

I. - Intonata Antiphona: *Asperges me* etc., Episcopus circuit Coemeterium interne, incipiens a sinistris suis, dein circuit Ecclesiam externe incipiens a dextris suis, aspergendo « specialiter loca contaminata » (E Rubric. Pont. Rom.).

II. - Post Orationem: *Aufer a nobis* etc., Episcopus dicit: *Oremus;* pronuntiato a Diacono: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a Subdiacono: *Levate,* dicit: *Domine pie* etc.

III. - In Litaniis Episcopus dicit: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, ac Coemeterium* etc.

CAPUT XXL

DE BENEDICTIONE CAMPANAE SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

3109. — Haec Functio persolvi potest quacumque die et hora vel in Ecclesia, vel in Sacristia, vel in quadam aula, vel etiam in platea.

Campana benedicenda ita secure trabibus suspendatur « ut commode possit intus et extra tangi, tractari et circuiri » (E Rubr. Pont. Rom.).

Conveniens est ut trabes convestiantur pannis rubri coloris et exornari possunt floribus ac frondibus.

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3110. — A) Si Functio peragatur in Ecclesia ET QUIDEM IN PRESBYTERIO.

I. - Ad Altare maius. — Altare pallio albi coloris instruitur et super eius gradus tapetum sternitur.

Altari superimponuntur sex candelabra, quorum in medio collocatur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta, scilicet: pluviale et stola albi coloris, cingulum, alba, amictus; formale in lance, si Episcopus sit Ordinarius; in cornu Evangelii: mitra auriphrygiata.

II. - Apud Altare. — Baculus pastoralis in basi.

III. - Super infimum Altaris gradum collocatur in medio pulvinus albi coloris.

IV. - In medio Presbyterio suspenditur Campana.

V. - Convenienti distantia a Campana statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris, super suppedaneum tapeto tectum; ad latera Faldistorii, sed extra suppedaneum, collocantur scamna pro Diacono et Subdiacono.

VI. - Super abacum, alba tobalea contectum, collocantur: candelabra duo, cum cereis; urceus cum pelvi et duo manutergia in

lance; spongiae et mantilia e tela rudi in numero sufficienti; Evangeliarium cum signaculo ad Festum Assumptionis B. Mariae Virginis; Pontificale Romanum; scotula cum candela; duo manipuli albi coloris; vascula cum s. Chrismate et Oleo Infirmorum in lance; aliquantulum gossypii soluti; aspergillum ex hyssopo; lamilla gypsi; fasciola chartacea mensurae septimae partis labii externi Campanae; tabula cum formula unctionis ut infra; medulla panis et mali medici in lance; thymiama in lance cum cochleari.

VII. - Apud abacum collocatur parvum scabellum et super illud ponitur vas cum igne; si vero Campana parva sit, tunc loco vasis, sufficit thuribulum.

VIII. - E regione abaci collocatur parva mensa, alba tobalea cooperta, et super illam ponuntur concha cum aqua; aliquantulum salis in lance; manutergium pariter in lance.

IX. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta pro sacris Ministris, scilicet: duo amictus, totidem albae et cingula, dalmatica et stola diaconalis, tunicella albi coloris.

Super alias mensas: superpcllicea; duae vimpae; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum cum navicula.

Congruo in loco: Crux processionalis; duo intorticia.

Si SS. Sacramentum custodiatur in Altari maiori, conveniens est ut ad aliud Altare transferatur; et in casu ante hoc Altare collocatur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis, vel violacei coloris, iuxta temporum diversitatem. Super Altare accenduntur sex cerei.

Tabul IX cum Formula unctionis.

Sancti ✠ficetur, et consederetur, Domine, signum istud. In nomine Pa ©tris, et Fi ılii, et Spiritus ıSancti. In honorem sancti N. Pax tibi.

B) Si Functio peragatur in Ecclesia sed extra Presbyterium.

1. - Ad Altare maius. — Altare maius exornatur ut supra diximus, et pariter super eius mensam disponuntur Episcopi paramenia.

Si SS. Sacramentum in Altari custodiatur, manere potest.

II. - Super infimum Altaris gradum collocatur pulvinus albi coloris.

III. - In cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum statuitur Faldistorium cum tegumento et pulvinis albi coloris.

IV. - In media Ecclesia, vel versus Altare maius, pro re, suspenditur trabibus Campana; convenienti distantia ab ea statuuntur Faldistorium et scamna pro Diacono et Subdiacono, ut supra notavimus.

V. - A sinistra Faldistorii, sed convenienti distantia, collocatur abacus et super eum omnia disponuntur, ut supra.

VI. - Apud abacum ponitur scabellum, ac super illud collocatur vas cum igne.

VH. - E regione abaci statuitur parva mensa et supeream collocatur concha cum aqua, aliquantulum salis in lance, manutergium pariter in lance.

C) Si Functio peragatur in aliqua aula vel in platea.

I. - In capite loci statuitur Faldistorium collocatum super suppedaneum et ad eius latera, sed extra suppedaneum, duo scamna pro Diacono et Subdiacono: reliqua disponuntur ut sub *B)* notavimus.

II. - Si prope locum, in quo Functio peragenda est, adsit vel Ecclesia, vel Sacellum, tunc ad Altare maius et in Sacristia omnia praeparantur ut sub *B)* diximus.

III. - Si vero Ecclesia vel Sacellum longe sit, tunc in aliquo decenti loco disponuntur mensae albis tobaleis contectae.

Super praecipuam mensam collocantur paramenta Episcopi, mitra et baculus pastoralis; super alias mensas ponuntur paramenta pro Diacono et Subdiacono, superpellicea etc., ut supra.

Coram praecipua mensa statuitur super tapetum Faldistorium, vel sedes cameraiis.

F

3111. — Dispositio pro Campanae benedictione.

F- Faldistorium. — A abacus. — M - parva mensa. — C - campana. — Scamna pro: Diacono, I; pro Subdiacono, 2.

Articulus II.

De Episcopo in solemni benedictione Campanae.

3112. — Statuta hora, Episcopus, habitu praelatitio indutus, accedit ad Ecclesiam in qua benedicenda est Campana, vel ad locum in quo paramenta assumere debet.

Si Episcopus accedat ad Ecclesiam, tunc se gerit more solito ad aspersionem aquae benedictae; facta brevi oratione super infimum Altaris gradum, se confert ad Faldistorium, vel in medio Presbyterio, vel in cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum, pro re.

Si vero procedit ad aliquem locum designatum pro assumendis paramentis, cum illuc pervenerit, se confert vel ad Faldistorium vel ad sedem camcralem.

Episcopus, dimissis Cruce pectorali et mozzetta vel mantelletto, caput tegit et manus lavat, dein assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, si Ordinarius, et mitram accipit; si in Faldistorio in cornu Epistolae, vel in loco aliquo, tunc, ad nutum Caeremoniarii, accipit baculum pastoralem et, medius inter Ministros sacros, procedit ad Faldistorium collocatum e regione Campanae; quo cum pervenerit, sedet et Ministro baculum tradit.

3113. — Episcopus, innuente Caeremoniario, incipit recitare, tono chorali, Psalmum 50: *Miserere,* etc.; absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc., cum *Gloria Patri* etc., accipit baculum, surgit et dicit: *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo te* etc. Exorcismo salis

absoluto, sedet in Faldistorio, baculum Ministro tradit, mitram dimittit, iterum surgit et, iunctis manibus, dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Immensam clementiam* etc.; qua Oratione absoluta, sedet, mitram et baculum accipit, iterumque surgit; absolute super aquam dicit: *Exorcizo te* etc. Completo Exorcismo, sedet, baculum Ministro tradit, mitram dimittit, rursus surgit et, iunctis manibus, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, qui ad salutem etc.;* qua Oratione absoluta, dicit: *Dene æ dic* etc.; deinde Episcopus accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio* etc., dimittit illum in aquam in modum Crucis, dum profert verba: *In nomine Pa Φ tris* etc., ac postea manum abstergit et immediate dicit: *Oremus. Deus, invictae virtutis* etc.; qua Oratione completa,sedet, mitram et baculum accipit,dein accedit ad Campanam, ibique accipit a Diacono aspergillum, quod Episcopus ipse immergit in aquam benedictam et Campanam lavare incipit, madefaciens aspergillo ipso primum externum labium, dein internum, ac postea aspergillum Diacono tradit, [ad Faldistorium revertitur, ibique sedet, Ministro tradit baculum et incipit recitare Psalmum 145: *Lauda, anima mea* etc.

Absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis* etc., cum *Gloria Patri* etc., Episcopus, accepto baculo, surgit et ad Campanam accedit, intingit pollicem dexterum in Oleo Infirmorum et signat, nihil dicens, Crucem versus mediam Campanam ut in sequenti figura:

3114. — Unctione peracta, Episcopus Ministro tradit baculum, abstergit pollicem gossypio, mitram dimittit et canit tono feriali: *Oremus. Deus, qui per beatum Moyseu* etc.; qua Oratione completa, mitram accipit, dein accipit a Diacono mantile et ipse unctionem quam super Campanam fecerat abstergit, dein intonat Antiphonam: Vox *Domini* etc.; intincto pollice in Oleo Infirmorum, Episcopus, dicens formulam: *Sancti* Φ *ficetur* etc., facit septem duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti* © *ficetur,* alteram ad verbum: *Conse* © *cretur,* super Campanam, scilicet in circuitu externo versus labium; duplicem unctionem primam peragit infra illam in qua unctionem fecit et abstersit atque prosequitur a dexteris suis ut in figura sequenti:

/+

et producit dextera manu triplex Crucis signum super singulam duplicem unctionem dicens: *In nomine Pa æ tris* etc.

3115. — Peractis septem externis unctionibus, Episcopus abstergit pollicem gossypio, intingit pollicem in s. Chrismate et peragit eodem modo, ac proferens eandem formulam, quatuor duplices unctiones internas pariter versus labium ut in sequenti figura:

Unctionibus peractis, abstergit pollicem, mitram dimittit et cantat: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam* etc.; qua completa, accipit mitram et baculum, procedit ad Faldistorium ibique sedet, Ministro baculum tradit, lavat et abstergit manus ac postea imponit in vase thymiama, absque benedictione.

3116. — Absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum *Gloria Patri* etc., Episcopus mitram dimittit, surgit et cantat: *Oremus. Omnipotens dominator* etc.; qua Oratione completa, sedet et mitram accipit.

Episcopus, ad Caeremoniarii nutum, imponit et benedicit incensum; dum Diaconus, ante Evangelii cantum, benedictionem petit, respondet: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis: ut digne et competenter annuncties Evangelium suum. In nomine Pa tris, et Fi* ✠ *Hi, et Spiritus Sancti. Arnen;* proferens verba: *In nomine Patris etc.,* sinistra pectori admota, dextera signum Crucis versus Diaconum efformat ac postea ei manum suam osculandam praebet.

Quum Diaconus canit: *Dominus vobiscum,* Episcopus surgit, deposita mitra, vertit se ad Diaconum; accepto baculo pastorali, signat se in fronte, ore et pectore; tum ipse Episcopus retinet baculum inter manus iunctas, stans versus Diaconum canentem.

Completo Evangelii cantu, tradit baculum Ministro et thurificationem accipit.

3117. — Episcopus, cum reversi fuerint Ministri sacri ad sua latera, manu dextera signum Crucis producit versus Campanam, nihil dicens, ac postea:

I. - si in Presbyterio, sedet, dimittit paramenta, reassumit mozzettain, vel mantellettum, et Crucem pectoralem; brevi oratione facta super infimum Altaris gradum, ab Ecclesia more solito discedit;

II. - si adsit in media Ecclesia, sedet, mitram ac baculum accipit et, medius inter Ministros sacros, procedit ad Altare maius, se confert ad Faldistorium ibique sedet, tradit Ministro baculum, mitram dimittit et se ut supra gerit;

III. - si in alio adsit loco, sedet pariter in Faldistorio, mitram et baculum accipit et procedit ad locum in quo paramenta assumpserat.

Articulus III.

De Diacono et Subdiacono in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda.

3118. — Ministri sacri, statuta hora, se conferunt sive ad Sacristiam Ecclesiae in qua benedicenda est Campana, sive ad locum in quo paramenta assumere debent; quibus assumptis, cum nunciatur Episcopi adventus, procedunt vel ad Altare maius, vel se recipiunt ad latera sedis cameralis et cum ille advenerit se ei inclinant, vel genuflectunt. Postquam Episcopus sederit, Diaconus aufert ei Crucem pectoralem, Subdiaconus mozzettam, vel mantellettum, dein Diaconus accipit a Caeremoniario paramenta eisque, adiuvante Subdiacono, Episcopum induit; ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt vel ad Faldistorium in media Ecclesia collocatum, vel ad locum in quo peragenda est Functio; ibique ad Faldistorium pariter accedunt et ad latera eiusdem sedent. Absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc., cum *Gloria Patri* etc., ambo surgunt et sustinent pluvialis Episcopi fimbrias.

3119.— Post salis Exorcismum, Diaconus aufert Episcopo mitram, eamque reponit, absoluta Oratione: *Immensam clementiam* etc. Completo aquae Exorcismo, iterum Diaconus mitram aufert et post Orationem: *Benedic, Domine* etc., tradit Episcopo lancem cum sale; lance recepta, porrigit mantile ad abstergendam manum atque, postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc., imponit ei mitram; postea ambo procedunt cum Episcopo ad Campanam, Diaconus porrigit ei aspergillum, quod recipit postquam Episcopus labium internum Campanae laverit, dein ambo cum eodem Episcopo ad Faldistorium revertuntur.

Intonato Psalmo 145: *Lauda, anima mea* etc., ambo sedent ad latera Faldistorii et, completo Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius etc.,* cum *Gloria Patri* etc., surgunt et, sustinentes fimbrias pluvialis Episcopi, procedunt ad Campanam; quo cum pervenerint, **Diaconus** accipit vasculum Olei Infirmorum, quod Acolytho reddit postquam Episcopus Crucem super Campanam signaverit, dein mitram Episcopo aufert, quam imponit, absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moysen* etc., ac postea eidem Episcopo porrigit mantile.

Intonata Antiphona: *Vox Domini* etc., **Diaconus** accipit vasculum Olei Infirmorum, **Subdiaconus** vero tabulam cum formula unctionis, quam sustinet ante Episcopum.

Septem unctionibus externis peractis, **Diaconus** tradit Acolytho vasculum et ab eodem accipit vasculum s. Chrismatis, quod reddit postquam Episcopus peregerit quatuor unctiones internas; item **Subdiaconus** tradit Âlinistro aquae benedictae tabulam, dein Diaconus Episcopo mitram aufert, quam reponit post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., dein ambo cum Episcopo procedunt ad Faldistorium, ibique **Diaconus** extendit mantile super Episcopi genua, ac postea eidem manutergium ministrat; lotis et abstersis ab Episcopo manibus, mantile tollit, porrigit Episcopo cochlear et sustinet lancem cum thymiamate; postquam Episcopus iniecerit thymiama super ignem, recipit cochlear et cum lance Acolytho tradit, ac postea ambo sedent ad Episcopi latera.

3120. — Absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum *Gloria Patri* etc., **ambo** surgunt, **Diaconus** mitram Episcopo aufert, quam reponit post Orationem: *Omnipotens dominator* etc., dein ambo reverentiam, vel genuflexionem, faciunt Episcopo, se ad abacum conferunt, manipulum accipiunt; postea **Diaconus** ad Episcopum revertitur, eique incensum ministrat, more solito; quo facto, inclinationem, vel reverentiam, peragit, se ad abacum recipit, ex quosumit Evangeliarium; innuente Caeremoniario, ad Faldistorium solus post **Subdiaconum** se confert; quo cum **ambo** pervenerint, se inclinant, vel genuflectunt. Diaconus profunde inclinatus, vel genuflexus, benedictionem petit, dicens: *lube, domne, benedicere* et inclinatus, vel genuflexus, manet donec benedictionem acceperit et Episcopi manum deosculatus fuerit. Tunc ambo profundam reverentiam, vel genuflexionem, Episcopo iterant ac procedunt ad locum ubi canendum est Evangelium, scilicet ad Faldistorii dexteram, atque ambo se gerunt ut ad Evangelii cantum; quo absoluto, Subdiaconus praebet Episcopo librum deosculandum, dein Caeremoniario Evangeliarium tradit.

Diaconus Episcopum thurificat, ac postea ambo se conferunt ad abacum, ibique manipulum deponunt, dein ad Episcopum revertuntur.

3121. — Postquam Episcopus signum Crucis super Campanam produxerit:

I. - si adsint in Presbyterio ambo Episcopum adjuvant in paramentis dimittendis, ac postea se ei inclinant, vel genuflectunt, et ad Sacristiam se conferunt;

II. - si in media extant Ecclesia, Diaconus Episcopo sedenti mitram imponit, dein ambo, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias, procedunt ad Faldistorium, collocatum in Presbyterio ante infimum Altaris gradum in cornu Epistolae, ibique Diaconus mitram Episcopo aufert et ambo se ut supra gerunt.

III. - si in alio loco adsint, ambo se gerunt ut sub η. II notavimus, sed se conferunt ad locum in quo Episcopus paramenta assumpserat.

Articulus IV.

De Caeremoniario deque Cantoribus in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda.

3122. — De Caeremoniario. — Si Functio peragitur extra Ecclesiam, Caeremoniarius signum dat procedendi eodem ordine sub n. 3078 descripto.

3123. — Dispositio in initio Functionis.

3124. — Lota et abstersa Campana, Caeremoniarius sumit ex abaco lamillam gypsi et fasciolam chartaceam, accedit ad Campanam et signat, versus eiusdem medium, gypso unam Crucem, deinde septem alteras Cruces in circuitu externo, versus labium externum, et quatuor in labio interno pro aequali distantia ut in sequenti figura:

3125. — Advertat Caeremoniarius ut ante singulas unctiones deleat gypsum mantili ex tela rudi, quo Crux signata fuerit.

Accepta ab Episcopo mitra post Orationem: *Omnipotens dominator* etc., Caeremoniarius invitat Ministros sacros ad abacum ut manipulum assumant.

3126. — **De Cantoribus.** — Cantores, postquam Episcopus Psalmum 50: *Miserere* etc. inceperit, alternatim eundem Psalmum recitant et pariter reliquos, ut in Pontificali Romano, in quorum fine addunt: *Gloria Patri* etc.

Pariter inceptum ab Episcopo Psalmum 145: *Lauda, anima mea* etc. prosequuntur et in fine dicunt: *Gloria Patri* etc.

Intonatam ab Episcopo Antiphonam: *Vox Domini* etc. prosequuntur, dein intonat Psalmum 28: *Aflerte Domino* etc., in cuius fine canunt: *Gloria Patri* etc., et Antiphonam repetunt in cantu.

Dum Acolythus collocat subter Campanam vas cum thymiamate, Cantores incipiunt Antiphonam: *Deus in sancto* etc., ac postea intonant Psalmum 76: *Viderunt te* etc., in cuius fine canunt *Gloria Patri* etc., sed Antiphonam non repetunt.

Articulus V.

De Ministris Libri, candelae, mitrae et baculi in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda.

3127. — I. - **De Ministris libri et candelae.** — Hi Ministri

accedunt ad Episcopum:	ab eo recedunt:
si Functio peragatur in Presbyterio: accepta ab Episcopo mitra; alias: cum ad Faldistorium pervenerit;	
	absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc.;
cum Episcopus reversus fuerit ad Faldistorium, postquam aspergillo Campanam laverit;	
	absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc.;
signata Cruce super Campanam;	
	intonata Antiphona: *Vox Domini* etc.;
unctionibus peractis et repetita a Cantoribus Antiphona: *Vox Domini* etc.;	
	post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam* etc.;
absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum: *Gloria Patri* etc.;	
	completa Oratione: *Omnipotens dominator* **etc., Minister libri** deponit super abacum Pontificale et sumit Canonem;
imposito ac benedicto incenso, ante Evangelii cantum.	
	impertita benedictione Diacono, ante Evangelii cantum.

II. - De Ministro mitrae. — Hic Minister

mitram Diacono porrigit:

assumpto ab Episcopo pluviali;

absoluta Oratione: *Immensam clementiam tuam* etc.;

post Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc.;

absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moysen* etc.;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam* etc.;

completa Oratione: *Omnipotens dominator* etc.;

facto signo Crucis versus Campanam.

III. - De Ministro baculi. — Hic Minister

Episcopo baculum porrigit:

si Functio peragatur in Presbyterio: absoluto Psalmo 129: *De profundis etc.;* alias postquam Episcopus acceperit mitram;

ab eodem recipit:

post salis Exorcismum;

aqua exorcizata;

postquam Episcopus signaverit unam Crucem super Campanam;

peractis unctionibus internis ac externis Campanae;

absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum: *Gloria Patri* etc.;

ante Evangelii cantum, a Caeremoniario.

absoluta Oratione: *Immensam clementiam tuam etc.;*

post Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc.; antequam Episcopus accedat ad Campanam;

absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc.;

completa Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam* etc.;

ad Evangelii cantum;

si Functio peracta fuerit extra Presbyterium: postquam Episcopus mitram acceperit.

aqua exorcizata;

quum Episcopus reversus fuerit ad Faldistorium, lota Campana;

signata Cruce super Campanam;

cum pervenerit ad Faldistorium;

absoluto Evangelii cantu;

cum pervenerit vel ad Faldistorium in cornu Epistolae collocatum, vel ad locum in quo paramenta sumpserat.

Articulus VI.

De ceteris Ministris inferioribus in benedictione Campanae solemniter ab Episcopo peragenda.

3128. — I. - De Ministris lotionis Campanae. — Duo Sacerdotes, iam designati, vel saltem duo Clerici in sacris constituti, dum Episcopus cum aspergillo lavat Campanam, accedunt ad abacum ex quo spongiam sumunt et se ad Campanam conferunt. Dum a Cantoribus canitur Psalmum 145: *Lauda, anima mea etc.,* spongiis, aqua benedicta perfusis, lavant totam Campanam intus et foris, ac postea mantilibus abstergunt.

II. - De Crucifero deque duobus Clericis intorticia deferentibus. — Crucifer et duo Clerici intorticia deferentes, ad nutum Caeremoniarii, procedunt ad locum in quo benedicenda est Campana et consistunt ad dexteram Faldistorii, sed convenienti distantia

ita ut Episcopus commode conspicere Crucem *possit. Functione peracta, revertuntur* ad locum ex quo Crucem et intorticia acceperant.

III. - De duobus Acolythis. — Si Functio peragatur in Ecclesia, Acolythus primus sumit vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se gerit more solito ut in aspersione aquae benedictae ad Ecclesiae ianuam.

Quum Episcopus pervenerit vel ad Faldistorium, vel ad sedem camcralem in loco in quo paramenta sumere debet, Acolythus primus sumit vel ex abaco, vel ex mensa lancem pro Cruce pectorali et se confert ad Diaconi dexteram; reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, Acolythus defert lancem vel ad abacum, vel ad mensam.

Interim Acolythus secundus accedit vel ante infimum Altaris gradum, vel ad mensam, et a Caeremoniario paramenta episcopalia accipit ac se confert ante Episcopum.

Dum recitatur Psalmum 129: *De profundis* etc., Acolythi transferunt parvam mensam cum concha aquae coram Episcopo, illamque amovent, absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc., dein accipiunt concham et se conferunt ad dexteram Diaconi. Lota ab Episcopo Campana, deponunt concham subter eamdem Campanam. Postquam Campana abstersa fuerit, concham in pristino loco reponunt.

Absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc., Acolythus primus sumit ex abaco vasculum Olei Infirmorum ac vasculum s. Chrismatis in lance cum aliquantulo gossypio et se confert ad dexteram Diaconi; alter vero sumit ex abaco linteolum et accedit ad dexteram primi Acolythi; postquam Episcopus absterserit Crucem, defert linteolum ad abacum, ex quo sumit tabulam cum formula unctionis et se recipit ad sinistram Subdiaconi cui tabulam porrigit. Unctionibus peractis, Acolythus primus defert ad abacum lancem cum vasculis SS. Oleorum, alter tabulam cum formula unctionis, dein primus Acolythus sumit ex abaco lancem continentem thymiama et se ad dexteram Diaconi confert; secundus Acolythus, dum Thuriferarius sumit vas cum igne, accipit scabellum et subter Campanam collocat.

Quando Ministri sacri, absoluta Oratione: *Omnipotens dominator* etc., accedunt ad abacum, Acolythi imponunt eis manipulos deinde candelabra sumunt et accedunt cum ceteris ad Faldistorium, genuflectunt, ac postea, benedictione a Diacono accepta, surgunt, accedunt ad locum in quo Evangelium cantari debet et se gerunt ut in Missa pontificali ad Faldistorium ad Evangelii cantum.

Repositis super abacum candelabris, **Acolythi** adiuvant Minisiros sacros in manipulis deponendis, dein si Functio peracta fuit in Presbyterio, primus Acolythus sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali et accedit ad dexteram Diaconi, alter se confert coram Episcopo et a Caeremoniario paramenta accipit. Si Functio peracta fuerit vel extra Presbyterium, vel etiam extra Ecclesiam, tunc **ambo** cum ceteris procedunt vel ad Altare maius vel ad locum in quo Episcopus paramenta sumpserat et se ut supra gerunt.

IV. - De Thuriferario. — Absoluta Oratione: *Omnipotens simpiterne Deus, qui ante arcam* etc., Thuriferarius sumit vas cum igne et ad Episcopum accedit; post impositionem thymiamatis, collocat vas subter Campanam, dein ad Sacristiam procedit, vel ad locum in quo Episcopus paramenta sumpserat, et sumit thuribulum cum navicula, ac postea ad abacum revertitur.

Completa Oratione: *Omnipotens dominator* etc., Thuriferarius accedit ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi, dein ad abacum revertitur; cum ceteris ad Faldistorium procedit et se gerit ut ad Evangelii cantum in Missa solernni pontificali ad Faldistorium.

CAPUT XXII.

DE BENEDICTIONE PLURIUM CAMPANARUM SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

3129. — Omnia parantur et Functio peragitur ut in praecedenti Capite, sed:

I. - Campanae ita appenduntur ut ab una ad alteram sufficiens adsit spatium, quo ab Episcopo commode circumiri possint.

II. - Campanae ita suspendantur ut maior sit prima benedicenda et reliquae iuxta ordinem magnitudinis.

III. - Spongiae, mantilia, thymiamata, aqua, sint sufficienti copia pro Campanarum numero.

IV. - Fasciola chartacea pro mensura distincta, vel pro singulis Campanis et, ne confusio oriatur, signanda est numero iuxta Campanarum ordinem.

V. - Vasa cum igne, tot sint quot Campanae.

VI. - Oratio: *Benedic, Domine* etc., recitanda est plurali numero.

VII. - Episcopus incipit lavare Campanam maiorem, scilicet eam quae adest prima ad sinistram suam, dein secundam et reliquas.

VIII. - Episcopus, signata Cruce Oleo Infirmorum supra maiorem Campanam, se confert ante secundani idemque peragit et ita deinceps; signata Cruce supra ultimam Campanam, abstergit pollicem et canit Orationem: *Deus, qui per beatum Moysen* etc., pluraliter, ac postea abstergit unctiones eodem ordine quo eas peregerit.

IX. - Episcopus septem unctiones externas successive super singulas Campanas facit, dein, absterso pollice, alias quatuor unctiones internas successive eodemque ordine peragit.

X. - Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam* etc., dicenda est plurali numero.

XI. - Episcopus imponit thymiama in singulis vasibus.

XII. - Oratio: *Omnipotens dominator* etc., pluraliter dicenda est.

3130. — Dispositio pro benedictione plurium Campanarum.

CAPUT XXIII.

DE BREVIORI RITU PRO BENEDICTIONE CAMPANAE QUAE AD USUM ECCLESIAE NON CONSECRATAE VEL ORATORII INSERVIAT SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3131. — Omnia parantur ut in Articulo I Capitis XXI, sed:

I. - Campana collocari potest super aliquod scabellum.

II. - Super abacum collocantur tantum: Rituale, vel Pontificale Romanum, continens Ritum benedictionis; scotula cum candela.

III. - Non collocatur parvum scabellum, neque vas cum igne apud abacum, nec e regione abaci ponitur mensa cum concha.

IV. - Non disponuntur super praecipuam mensam Sacristiae parainenta pro Ministris sacris, sed tantum superpellicea.

Articulus II.

In Functione.

3132. — I. - De Episcopo. — Episcopus, cum ad Faldistorium e regione Campanae pervenerit, sedet, baculum Ministro tradit, mitram dimittit, surgit et dicit: *Adiutorium nostrum* etc.; responso: *Qui fecit etc.,* sedet, mitram accipit et incipit recitare tono chorali Psalmum 50: *Miserere* etc.

Absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc., Episcopus mitram dimittit, surgit et canit: *Kyrie, eleison* etc., *Pater noster* etc., Versiculos et Orationem: *Deus, qui per beatum Moysen* etc.; qua completa, sedet, mitram accipit, imponit et benedicit incensum; accepto baculo, surgit, accedit ad Campanam; quo cum pervenerit, baculum Ministro tradit, mitram dimittit, aspersorium accipit, Campanam aspergit ipsam circumiens per suam dexteram. Quum pervenerit unde aspersionem inceperat, tradit Diacono aspersorium et ab eodem thuribulum accipit, Campanam thurificat pariter illam circumiens per suam dexteram; tradito thuribulo Diacono, mitram et baculum accipit, dein ad Faldistorium revertitur; quo cum pervenerit, sedet, Ministro baculum tradit, mitram dimittit, surgit et cantat: *Oremus. Omnipotens dominator etc.* Responso: *Arnen,* Episcopus dicit: *In honorem Sancti N.,* dein versus Campanam producit signum Crucis, nihil dicens.

II. - De duobus Assistentibus Episcopo. — Duo Assistentes se gerunt ut sub n. 3118 diximus de Ministris sacris. Cum Episcopus in Faldistorio e regione Campanae sederit, Assistens primus mitram ei aufert, quam alter reponit cum sedet, responso: *Qui fecit* etc.

Absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc., ambo surgunt, secundus Assistens aufert Episcopo mitram, quam primus reponit post Orationem: *Deus, qui per beatum Moyseu* etc., dein incensum ministrat ac postea ambo, sustinentes pluvialis fimbrias, accedunt ad Campanam; quo cum pervenerint, secundus Assistens Episcopo mitram aufert, primus Assistens eidem aspersorium porrigit; ambo comitantur Episcopum in Campanae aspersione et cum reversi fuerint unde Episcopus aspersionem inceperat, primus Assistens aspersorium accipit et thuribulum eidem Episcopo porrigit, a quo recipit, thurificata Campana, dem Episcopo mitram imponit, quam alter aufert cum Episcopus in Faldistorio sederit.

Postquam Episcopus versus Campanam signum Crucis produxerit, Assistens primus mitram ei imponit, dein ambo se gerunt ut sub n. 3121.

III. - De Cantoribus. — Cantores circa Psalmorum recitationem se gerunt ut sub n. 3126. Dum Episcopus Campanam aspergit canunt Antiphonam: *Asperges me* etc., et dum illam thurificat canunt: *Dirigatur, Domine* etc.

IV. - De Ministris libri et candelae. — Hi Ministri

ad Episcopum accedunt:	ab eo recedunt:
cum ille pervenerit ad Faldistorium e regione Campanae;	absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moysen* etc.;
cum ille reversus fuerit ad Faldistorium, thurificata Campana.	postquam Episcopus dixerit: *In honorem Sancti N.*

V. - De Ministro mitrae,	Hic Minister
mitram primo Assistenti porrigit:	a secundo Assistente recipit:
accepto ab Episcopo pluviali;	cum ad Faldistorium e regione Campanae pervenerit;

responso: *Qui fecit coelurn* etc.;	absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc.;
post Orationem: *Deus, qui per beatum Moysen* etc.;	cum Episcopus ad Campanam pervenerit;
thurificata Campana;	cum Episcopus ad Faldistorium reversus fuerit;
postquam Episcopus produxerit signum Crucis versus Campanam.	cum pervenerit ad Faldistoriuni in cornu Epistolae collocatum, vel cum pervenerit ad locum in quo paramenta dimittere debet.
VI. - De Ministro baculi, baculum Episcopo porrigit:	Hic Minister ab eo recipit:
accepta ab Episcopo mitra;	cum ad Faldistorium e regione Campanae pervenerit;
absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moysen* etc.;	cum ad Campanam pervenerit;
thurificata Campana;	cum ad Faldistoriuni reversus fuerit;
dicto: *In honorem Sancti N.*	cum pervenerit ad Faldistorium in cornu Epistolae collocatum, vel ad locum in quo paramenta dimittere debet.

VII. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Omnes se gerunt ut sub n. 3128, II.

VIII. - De Thuriferario. — Quum Episcopus pervenerit ad Faldistorium, in cornu Epistolae collocatum, vel ad locum in quo

paramenta assumere debet, Thuriferarius sumit lancem pro Cruce pectorali et se gerit ut sub n. 3128, III diximus de Acolytho primo.

Psalmis absolutis, Thuriferarius ad Sacristiam pergit, sumit thuribulum ac naviculam et ad Faldistorium revertitur; absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moysen* etc., accedit ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi, ac postea se confert ad Campanam et, post eiusdem aspersionem, tradit Diacono thuribulum.

Recepto thuribulo, ad Sacristiam pergit, dein ad Altare se confert, sumit ex abaco lancem pro Cruce pectorali et se gerit ut sub n. 3128, III diximus de Acolytho primo.

IX. - **De Ministro aquae benedictae. —** Minister se gerit more solito ut in aspersione aquae benedictae ad Ecclesiae januam, dein defert vasculum cum aspersorio ad abacum prope Campanam, ac postea ante infimum Altaris gradum se confert, a Caeremoniario paramenta accipit et ad Episcopum accedit.

Dum Episcopus imponit et benedicit incensum, sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad Diaconi dexteram; aspersa Campana, defert vasculum ad abacum.

Quum Episcopus pervenerit ad Faldistorium in cornu Epistolae collocatum, accedit ad eum *et* a Caeremoniario paramenta recipit atque in Sacristiam defert.

CAPUT XXIV.

DE CORONATIONE IMAGINIS B. MARIAE VIRGINIS SOLEMNITER AB EPISCOPO PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3133. — I. - Omnia praeparantur ut in Missa solemni pontificali vel ad Thronum vel ad Faldistorium, praeterea super abacum collocantur: liber, continens Ritum incoronationis; corona, vel coronae, super pulvinum.

II. - Si color Missae albus non sit, tunc parantur super mensam Altaris maioris, vel Sacelli, pluviale et stola albi coloris, sed in casuloco paramentorum coloris Missae, nisi color sit violaceus, adhiberi possunt paramenta ex auro contexta (DD. 3145; 3191, ad 4; 3646, ad 2).

III. - Quoniam in actu coronationis incommodum afferet uti libro, praeparatur tabula ut infra.

Sicuti per manus nostras coronaris in terris, ita et per Te a Iesu Christo Filio tuo gloria atque honore coronari mereamur in coelis.

Si vero una cum Imagine B. Mariae V. coronanda est Imago divini Infantis, tunc paratur alia tabula ut infra.

Sicuti per manus nostras coronaris in terris, ita et a Te gloria atque honore coronari mereamur in coelis.

IV. - Si Imago de suo Altari removeri possit, transferatur ad Altare maius et collocetur, si possibile, in loco principe, alias super podium in cornu Evangelii, vel etiam si necessitas postulet in media Ecclesia.

V. - Congruo in loco ponatur scala, vel scabellum, pro re; si vero Imago collocata sit in loco principe Altaris maioris, tunc paratur etiam decens tabula lignea tobaleis imponenda.

3134. — Si Functio peragenda est ab Episcopo celebrante ad Faldistorium, tunc:

Apud Altare in latere Epistolae statuitur parvus abacus, alba tobalea contectus, in quo collocatur super pulvinum corona vel coronae.

Super Altaris mensam in cornu Epistolae collocatur legile cum libro continente Ritum coronationis.

Articulus II.

De Episcopo celebrante in coronatione Imaginis B. Mariae V. solemniter peragenda.

3135. — Episcopus more solito accedit ad Ecclesiam; si Functio peragitur in Ecclesia in qua obligatio choralis adsit, tunc, absoluta Hora Tertia, vel Nona, Episcopus si indutus pluviali quod non sit albi coloris, illud dimittit et assumit stolam ac pluviale albi coloris, dein, si in Sacello, procedit ad Altare maius et se ad Thronum

confert, ibique Ministro tradit baculum, mitram dimittit, surgit et intonat Antiphonam: *Sub tuum praesidium* etc.; qua absoluta, recitat: *Adiutorium nostrum* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, cuius clementissima dispensatione eunda creata sunt ex nihilo, Maiestatem tuam supplices deprecamur: ut has coronas pro ornatu Sacrae Imaginis Unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi, et eiusdem Genitricis Beatissimae Virginis Mariae fabricatas bene* Φ *dicere, et sancti* Φ *ficare digneris. Per eumdem Christum Dominum nostrum.*

3136. — Si una tantum corona benedicenda sit, loco praedictae Orationis dicitur sequens:

Omnipotens sempiterne Deus,.....: ut hanc coronam pro ornatu Sacrae Imaginis Beatissimae Virginis Alariae fabricatam bene φ *dicere et sancti* Φ *ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum.*

3137 — Responso: *Arnen,* Episcopus sedet, mitram accipit, imponit et benedicit incensum, mitram dimittit, iterum surgit et, accepto aspersorio, coronam, vel coronas, aspergit ac postea thurificat; quo facto, sedet, mitram et baculum accipit; innuente Caeremoniario, procedit vel ad Altare, vefad locum in quo exstat Imago B. Mariae V.; quo cum pervenerit, baculum Ministro tradit, mitram dimittit, genuflectit vel in pulvino super infimum Altaris gradum, vel in Faldistorio, et intonat Antiphonam: *Regina coeli* etc., ac postea surgit, ad Imaginem accedit, eiusque capiti coronam imponit, dicens: *Sicut per manus* etc.

3138. — Si una cum Imagine B. Mariae V. coronanda sit Imago divini Infantis, tunc Episcopus primum coronam imponit capiti divini Infantis, dein capiti B. Mariae V.

Corona vel coronis impositis, Episcopus descendit, imponit et benedicit incensum, ac postea, triplici ductu, stans thurificat Imaginem. Absoluta a Cantoribus Antiphona, Episcopus canit Versiculos: *Corona aurea super caput eius;* et: *Coronasti eam, Domine;* deinde: *Oremus. Praesta, misericors Pater, per invocationem Genitricis Unigeniti Filii Tui Domini Nostri Iesu Christi, quem pro salute generis humani, integritate Virginis Mariae servata, carnem sumere voluisti, quatenus precibus eiusdem Sacratissimae Virginis, quicumque eamdem misericordiae Reginam, et gratissimam Dominam nostram coram hac Imagine suppliciter honorare studuerint: et de instantibus periculis eruantur, et in conspectu divinae Maiestatis tuae de commissis, et omissis veniam impetrent, ac mereantur in praesenti*

patiam quam desiderant adipisci, et in futuro perpetua salvatione cum dedis tuis valeant gratulari. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Qua Oratione absoluta, mitram ac baculum accipit et ad Thronum revertitur, ibique se gerit ut in Missa pontificali, post cantum Horae Tertiae.

3139. — Si Functio persolvatur ad Faldistorium, tunc Episcopus, indutus pluviali albi coloris, accedit ad Altare, ante cuius infimum gradum mitram dimittit, gradus conscendit et in medio Altare deosculatur. Tum ad cornu Epistolae se recipit, ibique coronam, vel coronas, benedicit. Thurificata corona, Episcopus de Altari descendit et se gerit ut supra.

3140. — In Missa pontificali se gerit more solito, sed si canendus est Hymnus: *Te Deum* etc., dicta Oratione: *Placeat* etc., de Altari descendit et ante infimum gradum intonat Hymnum: *Te Deum* etc.; absoluta Oratione: *Deus, cuius misericordiae* etc.f suppedaneum conscendit et benedicit more solito fidelibus adstantibus.

Articulus III.

De Presbytero Assistente, de Diaconis Assistentibus, deque Ministris sacris in coronatione Imaginis B. Mariae V. solemniter ab Episcopo peragenda.

3141. — De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus. — Omnes se gerunt ut in Missa pontificali, sed, absoluta Tertia, vel Nona, si Functio peragatur in Ecclesia in qua obligatio choralis adsit, perstant in Throno. Presbyter Assistens non sustinet librum ad benedictionem; absoluta Oratione, incensum ministrat, dein Episcopo porrigit aspersorium; quo recepto, thuribulum porrigit, dein Episcopum ad Altare praecedit; quo cum pervenerit, recedit in Choro ad suum locum.

3142. — Diaconi Assistentes ad Altare procedunt, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias; cum ante infimum Altaris gradum pervenerint, cedunt locum Ministris sacris, dein se conferunt ad sua loca in Choro. Circa finem Orationis: *Praesta, misericors Pater* etc., Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes accedunt ad Altare.

3143. — Si vero Imago collocata sit vel in cornu Evangelii, vel in media Ecclesia, tunc Diaconi Assistentes Episcopo assistunt in

actu coronationis et in casu cum pervenerint ad locum in quo exstat Imago B. Mariae V., Diaconus secundus mitram Episcopo aufert et ambo genuflectunt ad Episcopi latera; intonata ab Episcopo Antiphona: *Regina coeli* etc., surgunt et, si possibile, ad Imaginem accedunt. Diaconus primus porrigit Episcopo coronam, alter sustinet tabulam cum formula coronationis.

Si vero planum superius scalae amplum non sit, Diaconi Assistentes consistunt ad latera eiusdem scalae.

Postquam Episcopus descenderit, Presbyter Assistens incensum ministrat, dein Episcopo thuribulum porrigit.

Absoluta Oratione: *Praesta, misericors Pater* etc., Diaconus primus Episcopo mitram imponit, dein ambo, sustinentes pluvialis fimbrias Episcopi, ad Thronum procedunt.

3144. — De Ministris sacris. — Si Imago coronanda collocata sit in loco principe Altaris, quando Episcopus pervenerit ante infimum gradum, Ministri ad eius latera accedunt et se gerunt ut supra diximus de Diaconis Assistentibus, sed Diaconus mitram aufert et imponit Episcopo, cum opus sit, eique incensum ministrat.

3145. — Si vero Functio ad Faldistorium peragatur, tunc Ministri sacri, Episcopo parato, procedunt ad Altare, sustinentes pluvialis Episcopi fimbrias; cum ante infimum gradum pervenerint, Diaconus ei mitram aufert, dein ambo Altare ascendunt, elevantes a suo quisque latere anteriores vestis Episcopi fimbrias.

Quum Episcopus Altare deosculatur, Ministri sacri non genuflectunt, sed cum eo se ad cornu Epistolae conferunt, atque ad eius latera consistunt, sed aliquantulum retro, nec pluvialis fimbrias sustinent. Diaconus vero, quum Episcopus super coronam signum Crucis producit, parumper elevat pluvialis fimbrias. Absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., Diaconus, more solito, incensum ministrat. Subdiaconus ad extremum suppedaneum, prope Episcopi dexteram, pluvialis fimbriam dexteram attollit.

Thure imposito et benedicto, Diaconus aspersorium Episcopo tradit et parum elevat dexteram pluvialis fimbriam; receptum ab Episcopo aspersorium Acolytho reddit, dein thuribulum accipit et Episcopo porrigit ac dexteram pluvialis fimbriam, ut supra, attollit. Receptum thuribulum Thuriferario tradit, deinde ambo cum Episcopo de Altari descendunt et se gerunt ut diximus de Diaconis Assistentibus, sed, absoluta Antiphona: *Regina coeli* etc., Diaconus ministrat incensum.

Articulus IV.

Di Caeremoniario primo, de Ministris inferioribus deque Cantoribus in coronatione Imaginis B. Mariae V. solemniter ab Episcopo peragenda.

3146. — De Caeremoniario primo. — Caeremoniarius si cum Episcopo locus non esset Diaconis Assistentibus, vel Ministris sacris, ascendendi scalam, ipse ascendat et Episcopo coronam vel coronas porrigat atque sustineat tabulam cum formula incoronationis.

3147. — Si horis vespertinis Processio fiat, ut persaepe advenit, vel alio modo solemnitas concludatur, Hymnus: *Te Deum* canitur post Processionem, vel in Functione vespertina, et etiam si per triduum, vel octiduum, solemnitas protrahatur, ultima tantum Functionum die Hymnus: *Te Deum* cantatur.

3148. — De Ministris libri et candelae. — Postquam Episcopus ad Thronum, in Presbyterio Altaris Maioris, pervenerit, Ministri ad eum accedunt pro intonatione Antiphonae: *Sub tuum praesidium* etc., dein de Throno descendunt et apud illum consistunt; Antiphona a Choro decantata, iterum ad Episcopum se conferunt. Absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, cuius* etc., de Throno descendunt, Episcopum sequuntur vel ad Altare maius, vel ad locum in quo exstat Imago B. Alariae V.; quo cum pervenerit, ad eum se .conferunt pro intonatione Antiphonae: *Regina coeli* etc., dein recedunt et ad Episcopum revertuntur, Imagine thurificata et a Cantoribus Antiphona repetita.

Si Functio ad Faldistorium peragatur, Ministri, postquam Episcopus coronam vel coronas thurificaverit, sumunt ex Altari librum et palmatoriam et se ut supra gerunt.

3149. — De Acolytho. — Acolythus se gerit more solito ad aspersionem aquae benedictae, sed, aspersione peracta, defert vasculum cum aspersorio ad abacum. Dum Episcopus imponit et benedicit incensum, se confert ad dexteram Presbyteri Assistentis; aspersa corona, vasculum cum aspersorio ad Sacristiam defert.

3150. — De Thuriferario. — Dum Episcopus sacra paramenta assumit, Thuriferarius procedit ad Sacristiam, thuribulum sumit, revertitur ad Altare et se confert vel ad Thronum, vel ad cornu Epistolae; absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., accedit

ad Episcopum pro impositione et benedictione incensi; aspersa corona, porrigit Presbytero Assistenti thuribulum a quo recipit, thurificata corona.

Corona imposita, iterum ad Episcopum accedit pro impositione et benedictione incensi. Recepto thuribulo, post Imaginis thurificationem, se ad abacum confert et se gerit ut ad Missam solemnem pontificalem.

3151. — De Cantoribus. — Cantores postquam Episcopus intonaverit Antiphonam: *Sub tuum praesidium* etc., eam prosequuntur et etiam Antiphonam: *Regina coeli* etc. prosequuntur, postquam ab Episcopo intonata fuerit.

Versiculo: *Corona aurea* etc., respondent: *Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.* Et Versiculo: *Coronasti eam* etc., respondent: *Et constituisti eam super opera manuum tuarum.*

SECTIO SECUNDA

DE SACRAMENTALIBUS DEQUE NONNULLIS BENEDICTIONIBUS A SACERDOTE PERAGENDIS

CAPUT I.

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Pridie quam primario lapidi benedicatur, ipse Ordinarius loci in quo Ecclesia aedificanda est, vel eius Delegatus (C. I. C. 1163; 1156), privatim figat ligneam Crucem, maioris formae, in loco ubi esse debet Altare maius.

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3152. — A) Non longe a loco in quo aedificanda est Ecclesia.

I. - In aliquo Oratorio, vel, si Oratorium desit, in aliquo decenti loco:

II. - Super praecipuam mensam, mundo linteo contectam, disponuntur paramenta Celebrantis, scilicet: amictus, alba, cingulum, stola et pluviale albi coloris.

III. - Super aliam mensam collocantur superpellicea in numero sufficienti pro Sacerdotibus et Clericis.

IV. - Congruo in loco: Crux processionalis et duo intorticia.

B) In loco in quo aedificanda est Ecclesia.

I. - E regione Crucis sternitur tapetum super solum.

II. - Ad dexteram tapeti statuitur mensa, albo mundo linteo tecta, super quam ponuntur: concha cum aqua benedicta; vasculum ad eandem aquam hauriendam; aspersorium ex hyssopo; cultrum, vel aliud ferrum acuminatum cum manubrio ex convenienti materia; trulla; pergamena; tubus plumbeus; atramentum cum calamo; Rituale Romanum.

111. - Ad sinistram tapeti statuitur legile pro Cantoribus.

Lapis primarius collocatur apud locum fundationis in quo ponendus est (v. n. 2891, IV; 2892).

Articulus II.

In Functione.

3153. — I. - **De Celebrante.** — Celebrans, assumptis paramentis, procedit medius inter Assistentes, tecto capite, ad locum in quo aedificanda est Ecclesia et consistit ante Crucem ligneam, ibique tradit primo Assistenti biretum. Incepta a Cantoribus Antiphona: *Signum salutis* etc., accipit aspersorium et aspergit locum in quo Altare primarium erigetur, scilicet locum ubi Crux lignea posita est.

Absoluto Psalmo 83: *Quam dilecta* etc., Celebrans, tono feriali, cantat: *Oremus. Domine 'Deus* etc. Ad litteram *N* profert nomen Sancti in cuius honorem nova Ecclesia conditur. Si vero Ecclesia non dedicatur in honorem alicuius Sancti, omittur: *et beati N.* (D. 3241 ad 3). Oratione absoluta, Celebrans tegit caput et se confert ante primarium lapidem. Tradito primo Assistenti bireto, dicit: *Adiutorium* etc., reliquos Versiculos et Orationem: *Domine Iesu Christe* etc.; qua absoluta, aspergit lapidem, tradit primo Assistenti aspersorium, ab eodem accipit cultrum et in singulis lapidis faciebus idest sex vicibus signum Crucis in medio signat, dicens: *In nomine Pa* Φ *tris, et Fi* Φ *lii, et Spiritus* Φ *Sancti.*

Tradito primo Assistenti cultro, dicit: *Oremus. Benedic, Domine* etc.; qua Oratione absoluta, procedit ad tapetum et ante scamnum genuflectit, facie versa aci Crucem ligneam. Absolutis Litaniis, Celebrans surgit et se confert ad locum in quo ponendus est primarius lapis; stans versus eundem lapidem inchoat Antiphonam: *Mane surgens Iacob* etc. Absoluto Psalmo 126: *Nisi Dominus* etc., iuxta communem praxim, postquam Notarius ecclesiasticus pergamenam legerit, Celebrans eam subsignat. Collocato tubo in fossura lapidis, Celebrans collocat operculum, dein accipit trullam cum coemento et illud ponit circa operculum, deinde dexteram imponit super lapidem, dicens: *In fide* etc., et illud benedicit, dicens: *In nomine Pa tris, et Fi Hi, cl Spiritus* Φ *Sancti, ut vigeat* etc., deinde, collocato lapide in fundamento, accipit aspersorium, lapidem aspergit, dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,* dein recitat alternatim cum Assistentibus Psalmum 50: *Miserere* etc., cum *Gloria*

Patri etc., in fine. Tunc Celebrans procedit ante Crucem ligneam; quo cum pervenerit, inchoat Antiphonam: *O quam metuendus* etc. Incepto Psalmo 86: *Fundamenta eius* etc., accipit a primo Assistente aspersorium et, procedens a dextris Crucis ligneae, aspergit fundamenta circumiens usque ad locum a quo aspergere incepit, dein se confert ante Crucem ligneam; absoluto Psalmo et repetita Antiphona: O *quam metuendus* etc., dicit: *Oremus;* tum, pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et responso a secundo: *Levate,* cantat, tono feriali: *Omnipotens et misericors Dais* etc. Responso a Cantoribus: *Arnen,* immediate subiungit: *Deus, qui ex omnium* etc.; qua Oratione absoluta, caput tegit et procedit ad locum in quo paramenta assumpserat, ibique ea dimittit.

IL - De duobus Assistentibus Celebranti. — Duo Assistentes iiiperpelliceo se induunt, dein adiuvant Celebrantem in assumendis paramentis; innuente Caeremoniario, superpelliceo induti, sustinentes fimbrias pluvialis Celebrantis, procedunt cum eo ad locum in quo aedificanda est Ecclesia.

Quum opus sit, Assistens primus accipit a Celebrante biretum et illud ei porrigit; item aspersorium, cultrum, trullam porrigit et ab eo recipit. Ad Litanias ambo genuflectunt ad latera Celebrantis. Collocato in fundamento lapide et eo asperso, ambo recitant cum Celebrante alternatim Psalmum 50: *Miserere* etc. Decantato a Celebrante: *Oremus,* postquam repetita fuerit Antiphona: *O quam metuendus est* etc., Assistens primus cantat genuflectens: *Flectamus genua,* et alter surgens cantat: *Levate.* Absoluta Oratione: *Deus, qui ex omnium* etc., Assistentes revertuntur ad locum in quo idem Celebrans depositurus est paramenta.

111. - De Ministris inferioribus. — Crucifer et Ceroferarii se gerunt ut sub n. 2904, I, sed:

q) In initio functionis procedunt ad Crucem ligneam et ad eius sinistram consistunt.

b) In aspersione fundamentorum semper procedunt usque ad locum in quo aspersio initium habuit.

c) Aspersis fundamentis, procedunt ad sinistram Crucis ligneae ibique consistunt.

Minister libri post Psalmum 83: *Quam dilecta* etc., se confert ante Celebrantem et sustinet librum apertum ante eum. Absoluta Oratione: *Benedic* etc., deponit librum super abacum, ex quo iterum sumit illum, absolutis Litaniis. Post intonationem Antiphonae:

O quam metuendus etc., recedit et rursus ad Celebrantem revertitur, repetita eadem Antiphona.

Clericus primus sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad dexteram primi Assistentis; asperso lapide, reponit super abacum vasculum cum aspersorio, dein accipit scamnum et illud in medio tapete collocat; Litaniis absolutis, scamnum removet.

Clericus primus et **secundus** transferunt parvani mensam ante Celebrantem, dum canitur Psalmus 126: *Nisi Dominus* etc., et super mensam ponunt atramentum cum calamo, dein Clericus **primus** sumit ex abaco tubum plumbeum et pergamenam, alter lancem cum numismatibus et trullam.

Absoluto Psalmo, **Clericus primus** porrigit Notario pergamenam; qua lecta, pariter Notario tradit plumbeum tubum et Clericus **secundus** porrigit numismata in lance. Interim **Clericus** primus sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad dexteram primi Assistentis; asperso lapide, **Clericus,** si opus est, extrahit ex concha aliud vasculum aquae plenum et ad dexteram eiusdem primi Assistentis revertitur, eumque sequitur in aspersione fundamentorum.

IV. - De Cantoribus. — Cantores se gerunt ut sub n. 2904, III usque ad repetitionem Antiphonae post Psalmum 86: *Fundamenta* etc.

CAPUT II.

DE BENEDICTIONE NOVAE ECCLESIAE SEU ORATORII PUBLICI SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3154. — I. - Ecclesia expoliata sit quocumque ornamento itemque omnia Altaria.

Prope unumquodque Altare praeparantur: Crux, candelabra cum cereis, tobaleae; prope Altare maius parantur etiam vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV), pallium coloris Officii, tapetum.

II. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta Celebrantis, scilicet: pluviale et stola albi coloris, cingulum, alba, amictus.

Super alias mensas: superpellicea pro Assistentibus; vasculum aquae benedictae cum aspersorio ex hyssopo; Rituale Romanum.

Parantur etiam omnia necessaria pro Missa, sive privata, sive solemni.

Congruo in loco: Crux processionalis; duo intorticia.

Articulus II.

In Functione.

3155. — De Celebrante. — Celebrans assumit amictum, albam, angulum, stolam et pluviale. Ad nutum Caeremoniarii, medius inter Assistentes, procedit ad primariam Ecclesiae ianuam; quo cum pervenerit, tradit biretum primo Assistenti et absolute incipit Orationem: *Actiones nostras* etc.; qua completa et responso: *Arnen,* inchoat Antiphonam: *Asperges me* etc., dein aspersorium accipit, circuit Ecclesiam, procedens a dextris suis, et ambulans, muros aspergit versus summitatem et versus fundamenta dicens: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Si vero ob aliquod loci impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequit, vide quod sub n. 3066 notavimus.

Repetita Antiphona: *Asperges me* etc., Celebrans cantat: *Oremus;* pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo: *Levate,* cantat Orationem: *Domine Deus, qui licet* etc. Et ita se gerit in simili casu quod, brevitatis causa, dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Si vero Ecclesia benedicatur in honorem alicuius Mysterii, tunc omittitur: *et beati N.*

Completa Oratione, Celebrans caput bireto tegit et, medius inter Assistentes, inceptis a Cantoribus Litaniis procedit ad Altare maius; quo cum pervenerit, tradit biretum primo Assistenti et super infimum Altaris gradum genuflectit.

Decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Celebrans surgit et stans versus Altare dicit: *Ut hanc Ecclesiam* etc., ut in Rituali, et cum dicit: *bene* ✠ *dicere,* manu dextera benedicit Ecclesiam et Altare, dein, absoluto Versiculo, genuflectit ut prius.

Absolutis Litaniis, Celebrans surgit. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Praeveniat nos* etc. absoluta, Celebrans recedit aliquantulum et distans ab Altari, congruenti spatio, genuflectit

in pulvino, ac, se signans, cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus: *Domine, ad adiuvandum me festina,* ipse stans dicit: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto;* pariter responso a Cantoribus: *Sicut erat* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., Celebrans incipit Antiphonam: *Benedic, Domine* etc., et se confert ad parietem retro Altaris maioris, ibique aspersorium accipit et aspergit parietes in parte superiori et inferiori inchoans aspersionem a sinistris suis dicens: *Asperges me* etc., ut supra. Peracta aspersione, Celebrans tradit primo Assistenti aspersorium et ante Altare revertitur. Completo Psalmi cantu ac repetita Antiphona, Celebrans dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Deus, qui loca* etc. completa, pergit ad Sacristiam, dimissis pluviali et stola, sumit paramenta missalia.

3156. — De duobus Assistentibus Celebranti. — Assistentes superpelliceo se induunt, dein adiuvant Celebrantem in assumendis paramentis; ad nutum Caeremoniarii, procedunt cum Celebrante ad ianuam Ecclesiae, sustinentes eius pluvialis fimbrias; quo cum pervenerint, **Assistens primus** accipit Celebrantis biretum et Clerico tradit. Intonata a Celebrante Antiphona: *Asperges me,* Assistens **primus** porrigit Celebranti aspersorium; **ambo** comitantur Celebrantem in aspersione; qua peracta, Assistens primus recipit aspersorium, quod Ministro aquae benedictae tradit.

3157. — Decantato a Celebrante: *Oremus,* **Assistens** primus genuflectens cantat: *Flectamus genua,* **alter** surgens cantat: *Levate,* et ita se gerunt in simili casu quod, brevitatis causa, dicemus: Oremus. *Flectamus genua. Levate.*

3158. — Completa Oratione: *Domine Deus, qui licet* etc., Assistens **primus** porrigit Celebranti biretum, dein **ambo,** sustinentes pluvialis Celebrantis fimbrias, ad Altare maius procedunt; quo cum pervenerint, genuflectunt ad latera Celebrantis, super infimum Altaris gradum. Quum Celebrans, decantato a Cantoribus Versiculo Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgit, **Assistentes** genuflexi manent.

3159. — Litaniis absolutis, **ambo** surgunt. *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Oratione: *Praeveniat nos* etc. completa, Assistentes cum Celebrante aliquantulum recedunt et quando Celebrans genuflectit et ipsi genuflectunt, cum vero surgit et ipsi surgunt; postquam a Cantoribus decantatum fuerit: *Sicut erat* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Intonata a Celebrante Antiphona: *Benedic* etc., ambo cum eodem Celebrante pergunt ad parietem retro Altaris, ibique **Assistens primus** Celebranti porrigit aspersorium; ambo comitantur Celebrantem in aspersione, sustinentes eius pluvialis fimbrias. Aspersione peracta, primus Assistens a Celebrante recipit aspersorium, quod Ministro aquae benedictae tradit, ac postea cum Celebrante ante Altare **ambo** revertuntur. Completo Psalmi cantu et repetita Antiphona, *Oremus. Manius genua. Levate.* Absoluta Oratione: *Deus, qui loca* etc., Assistens **primus** porrigit Celebranti biretum, dein **ambo** cum eodem Celebrante ad Sacristiam pergunt; ibique, si Missa solemnis celebratur, Assistentes paramenta assumunt et se gerunt more solito.

3160. — De Caeremoniario. — Assumptis a Celebrante paranientis, Caeremoniarius signum dat procedendi ad Ecclesiae ianuam, ii possibile per externum, sequenti ordine:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios intorticia gestantes;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Celebrans, medius inter Assistentes.

Circa Missae celebrationem vide quod diximus sub n. **3071.**

3161. — **De Cantoribus.** — Cantores se gerunt ut sub n. **3072** notavimus.

3162. — De Crucifero deque Ceroferariis. — Crucifer et Ceroferarii se gerunt ut sub n. 3073, I diximus.

3163. — De **Ministro libri.** — Minister libri se gerit ut sub n. **3073,** II diximus, sed, absoluta Oratione: *Deus, qui loca* etc., cum ceteris ad Sacristiam pergit.

3164. — De Ministro aquae benedictae. — Innuente Caeremoniario, Minister procedit ad Ecclesiae ianuam; quo cum pervenerit, consistit ad dexteram primi Assistentis et etiam ad eiusdem dexteram incedit, dum Celebrans parietes aspergit. Quum ad Altare maius pervenerit, deponit vasculum super abacum.

Dum Celebrans cantat Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et accedit ad dexteram primi Assistentis; pariter ad eiusdem dexteram incedit, dum Celebrans parietes intra Ecclesiam aspergit. Aspersione peracta, Minister defert vasculum ad Sacristiam.

CAPUT III.

DE CONSECRATIONE ALTARIUM EXECRATORUM A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De consecratione Altaris fixi seu immobilis quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulae seu mensae a stipite.

i. — De iis quae praeparanda sunt.

3165. — Ad Altare consecrandum. — Super abacum collocantur: vasculum s. Chrismatis in lance et aliquantulum gossypii soluti; liber continens formulam consecrationis.

In Sacristia. — Super mensam praecipuam: stola albi coloris et superpelliceum; superpellicea pro Assistentibus.

2. — In Functione.

3166. — Sacerdos in Sacristia induit superpelliceo et stola, ac postea procedit ad Altare consecrandum, suppedaneum conscendit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et inungit in modum Crucis conjunctiones mensae cum stipite in quatuor angulis, quasi illos coniungens, ad singulas Cruces dicens: *In nomine Pa* Φ *tris* etc. Quibus peractis et absterso pollice, dicit: *Oremus. Maiestatem* etc., producens signum Crucis, versus Altare, ad verba: *bene* Φ *(licere,* et: *sancti* Φ *ficare.*

Oratione completa et responso: *Amen,* dicit: *Oremus. Supplices te deprecamur* etc., producens pariter signum Crucis ad verbum: *bene* Φ *dictione;* qua Oratione completa, revertitur ad Sacristiam, deponit stolam et superpelliceum, ac postea manus lavat.

Articulus II.

De consecratione Altaris quod amisit consecrationem sive ob enormem /ractionem, sive ob SS. Reliquiarum amotionem, sive ob amotionem, vel /ractionem, operculi sepulcri.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

3167. — I. - In cornu Evangelii Altaris consecrandi praeparatur parvus abacus, alba tobalea contectus, et super illum sta-

tuuntur duo candelabra cum cereis et in eorurn medio collocatur Capsula cum SS. Reliquiis et aliis in ea inclusis, in lance argentea; Capsula tegitur serico velo rubri coloris.

II. - In cornu Epistolae praeparatur alter abacus, pariter alba tobalea contectus, et super illum disponuntur: concha decens cum aqua; aliquantulum salis in lance; aliquantulum cineris pariter in lance; ampulla plena vini in pelvicula; aliquantulum gypsi triti in lance cretacea; mantile; liber continens Formulam consecrationis; vasculum s. Chrismatis in lance; gossypium solutum; operculum sepulcri SS. Reliquiarum; trulla.

III. - In Sacristia. — Superpelliceum et stola albi coloris pro Celebrante; superpellicea pro Assistentibus.

2. — In Functione.

3168. — Sacerdos, more solito, in Sacristia sumit superpelliceum ac stolam, postea ad Altare procedit et se ad abacum confert, ubi absolute dicit: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione completa, exorcizat aquam dicens: *Exorcizo te* etc. Exorcismo absoluto, dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; qua Oratione absoluta, benedicit cineres, dicens: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc.; qua Oratione completa, Sacerdos dextera pugillum salis accipit et imponit super cineres in modum Crucis, tribus vicibus, dicens: *Commixtio salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam, tribus vicibus, dicens: *Commixtio salis, cineris et aquae* etc., dein mantili manum abstergit ac statim dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine lesu Christe* etc.; qua Oratione absoluta, accipit ampullam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit, dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; qua Oratione completa, admiscet sabulum calci, et mixturae aquam sacratam superfundit et facit maltham seu coementum, ac postea illud benedicit. Si loco calcis et sabuli adhibeatur gypsum, coementum, vel quid simile (D. 4165 ad 1), Oratio pro benedictione immutanda est (/. *c.).*

Benedicto coemento, Sacerdos accedit ad Altare, suppedaneum conscendit, intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et facit in

singulis angulis parvi sepulcri duplicem unctionem in modum Crucis, *scilicet* unam ad verbum: *Conse* ✠ *cretur,* alteram ad verbum: *Sancti-on/icetur, et producens* manu dextera triplex signum Crucis dicit: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Sancti. Pax huic domui.* Deinde reverenter accipit Capsulam SS. Reliquiarum, quam in parvo sepulcro reponit, ac postea *intingit dexterum* pollicem in s. Chrismate et *inungit* partem mediam tabulae parvi sepulcri, quae spectat internum eiusdem sepulcri, proferens formulam: *Consecretur etc.,* faciens duplicem unctionem in modum Crucis ad verba: *Conse* ✠ *cretur, et: Sancti* ✠ */icetur,* ac postea manu dextera triplex Crucis signum producit, dicens: *In nomine Pa* ✠ *tris, et Fi* ✠ *lii, et Spiritus* ✠ *Sancti. Pax tibi;* deinde abstergit gossypio pollicem, trullam cum coemento accipit, illud ponit super sepulcri postem, cavens ne supra Reliquias coementum defluat; sepulcrum claudit et firmat operculum coemento, dein dicit: *Oremus. Deus, qui ex omnium etc.;* qua Oratione completa, rursus intingit pollicem dexterum in s. Chrismate et *facit duplicem unctionem* in modum Crucis super Altaris mensam et parvum sepulcrum, comprehendens utrumque, ut in sequenti figura:

dicens ad primam unctionem: *Signe* ✠ *tur,* ad secundam: *Sancti-* ✠ *ficetur* etc., dicens vero: *in nomine Pa* ✠ *tris* etc., producit dextera manu triplex Crucis signum, ac postea de Altari descendit, ad Sacristiam"revertitur, ibique stolam et superpelliceum deponit, lavat atque abstergit manus.

CAPUT IV.

DE BENEDICTIONE COEMETERII SOLEMNITER A SACERDOTE IMPERTIENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3169. — I. - In Coemeterio.— In solo Coemeterii, pridie quam fiat benedictio, erigitur Crux lignea ad altitudinem ordinariam hominis, aut paullo altior, in cuius culmine et in brachiorum extremitatibus infigitur ferrea cuspis; ante Crucem figitur in terra paxillus ligneus cum tribus foraminibus in quibus candelae ponuntur.

Mane benedictionis in medio Coemeterio, scilicet ante Crucem, sternitur tapetum.

Ad sinistram Crucis paratur parvus abacus, alba tobalea contectus, super quem collocantur vasculum aquae benedictae cum aspersorio ex hyssopo; Rituale Romanum; tres candelae.

II. - In Sacristia Sacelli. — Super praecipuam mensam parantur: pluviale cum stola albi coloris, cingulum, alba, amictus; duo superpellicea pro Assistentibus.

Super alias mensas: omnia necessaria pro Missae celebratione; superpellicea; thuribulum cum navicula.

Congruo in loco: Crux processionalis; duo intorticia.

III. - Si Sacellum absit, omnia parantur in Sacristia Ecclesiae Coemeterio propinquioris; alias, exceptis necessariis ad Missae celebrationem, parantur in aliquo convenienti loco apud Coemeterium.

Articulus II.

In Functione.

3170. — De Celebrante. — Celebrans, statuta hora, se confert ad locum in quo paramenta sumere debet; invitante Caeremoniario, accipit amictum, albam, cingulum, stolam ac pluviale; ad nutum Caeremoniarii, procedit, tecto capite, medius inter Assistentes, ad Coemeterium et cum pervenerit apud Crucem, sistit, caput detegit, reverentiam Cruci peragit; postquam in paxillo impositae et accensae fuerint candelae, dicit: *Oremus. Omnipotens Deus* etc.; qua Oratione completa, ante Crucem genuflectit.

Decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgit et, producens signum Crucis super Coemeterium, dicit: *Ut hoc Coemeterium purgare, et bene* Φ *dicere digneris.* Responso: *Te rogamus* etc., iterum genuflectit.

Absolutis Litaniis, aspersorium accipit et intonat Antiphonam: *Asperges me* etc., statimque Crucem aspergit, dein, humeris ad Crucem versis, procedit in linea recta versus Coemeterii ingressum; cum ad murum pervenerit, procedit a dexteris suis, aspergens solum circuit Coemeterium et ad Crucem revertitur; quo cum pervenerit, aspergillum primo Assistenti tradit et, repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., dicit: *Oremus. Deus, qui es totius orbis* etc.; dum profert verba: *pur* Φ *gare, bene* Φ *dicere, et sancti* Φ *ficare,* producit singulis vicibus Crucis signum super Coemeterium. Oratione absoluta, imponit et benedicit incensum, more solito, dein accipit a primo Assistente unam ex tribus candelis eamque in summitate Crucis imponit, alteram imponit in extremitate dexteri brachii, tertiam vero in extremitate sinistri brachii, ac postea, accepto thuribulo, Crucem triplici ductu thurificat, facta prius ac post reverentia.

Tradito primo Assistenti thuribulo, ab eodem recipit aspergillum, iterum Crucem aspergit et, eidem Cruci reverentia peracta, procedit ad locum in quo paramenta sumpserat aspergens Coemeterium usque ad portam Sacelli, vel ad Cancellos Coemeterii; quo cum pervenerit, tradit primo Assistenti aspergillum, biretum accipit et caput tegit.

3171. — De duobus Assistentibus Celebranti. — Duo Assistentes superpelliceo induti, adiuvant Celebrantem in sumendis paramentis; ad nutum Caeremoniarii, cum eodem Celebrante, sustinentes pluvialis fimbrias, procedunt ad Coemeterium. Quum ad Crucem pervenerint, Assistens primus accipit a Celebrante biretum, dein ambo reverentiam Cruci peragunt. Completa Oratione: *Omnipotens Deus, qui es custos* etc., ambo genuflectunt ad Celebrantis latera. Quum Celebrans, decantato a Cantoribus Versiculo: *Ut omnibus* etc., surgit, Assistentes genuflexi permanent; surgunt vero, Litaniis absolutis, ac statim primus Assistens Celebranti aspergillum porrigit; ambo Celebrantem comitantur in aspersione Coemeterii et quum ad Crucem revertuntur, Assistens primus aspersorium recipit. Absoluta Oratione: *Deus, qui es totius orbis* etc., Assistens primus incensum, more solito, ministrat, dein ab Acolytho accipit unam ex tribus candelis in paxillo collocatis, eamque Celebranti porrigit; collocata candela in Crucis summitate, porrigit alteram

candelam, dein tertiam, ac postea thuribulum ministrat; quo recepto, porrigit eidem Celebranti aspergillum. Ambo, sustinentes pluvialis Celebrantis fimbrias, procedunt ad locum in quo paramenta deponenda sunt, sed Assistens primus vel ad portam Sacelli, vel ad Coemeterii cancellos, recipit a Celebrante aspergillum eique biretum porrigit

3172. — De Caeremoniario. — Omnibus rite dispositis, Caeremoniarius signum procedendi, sequenti ordine, dat:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Celebrans, medius inter Assistentes.

3173. — Modus sequendus in Coemeterii aspersione.

3174. — Ordo imponendi candelas in summitate et in brachiorum Crucis extremitatibus idem est ut sub n. 3081.

3175. — In benedictione Coemeterii Missa dicitur de Officio diei, sed sub unica conclusione cum prima Oratione Missae adduntur Orationes ut in Pontificali Romano vel etiam ut in Appendice Missalis.

3176. — De Cantoribus. — Postquam Celebrans ante Crucem genuflexerit, duo Cantores, ad nutum Caeremoniarii, incipiunt Lita-

nias Sanctorum; decantato Versiculo: Ut omnibus fidelibus etc., *cantum abrumpunt, quem reassumunt postquam Celebrans dixerit: Ut hoc Coemeterium etc.*

Intonatam a Celebrante Antiphonam: *Asperges me etc.* Caniores prosequuntur, dein canunt Psalmum 50: *Miserere etc., in cuius fine dicunt: Gloria Patri* etc., ac postea Antiphonam repetunt.

3177. — De Crucifero *deque* **Ceroferariis. —** Ad Caeremoniarii nutum, *Crucifer sumit* Crucem processionalem et *Ceroferarii intorticia accipiunt* ac procedunt ad Coemeterium. Quum ad Crucem *pervenerint, sistunt* ad eius sinistram, in conspectu Celebrantis. *Intonata Antiphona: Asperges me etc., praecedunt* Celebrantem in aspersione Coemeterii (v. n. 3173); qua peracta, consistunt **ut prius.**

Completa *Oratione: Deus, qui es totius orbis etc., revertuntur ad locum in quo* Crucem et *intorticia* sumpserant.

3178, — De Ministro libri. — Hic Minister

accedit ad Celebrantem:

cum ante Crucem pervenerit;

absoluta Oratione: *Omnipotens Deus* etc.;

decantato Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus etc.;*

postquam Celebrans dixerit: *Ut hoc Coemeterium* etc.;

absolutis Litaniis;

intonata Antiphona: *Asperges me etc.;*

repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me etc.*

completa Oratione: *Deus, qui es totius* etc.

3179. — De Acolytho. — Acolythus cum ante Crucem pervenerit, sumit ex abaco tres candelas, in paxillo ligneo eas collocat et accendit.

Litaniis absolutis, ex abaco sumit vasculum aquae benedictae cum aspergillo, se ad dexteram primi Assistentis confert, et pariter ad eiusdem dexteram incedit in aspersione Coemeterii; qua completa, reponit vasculum et aspersorium super abacum.

Post Orationem: *Deus, qui es totius orbis* etc., sumit ex paxillo unam candelam et primo Assistenti porrigit, dein alteram sumit ac postea tertiani.

Dum Celebrans Crucem ihurificat, sumit iterum ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio, se ad dexteram primi Assistentis recipit, pariterque ad eiusdem dexteram incedit usque ad portam Sacelli, vel ad Coemeterii cancellos.

3180. — De Thuriferario. — Thuriferarius cum pervenerit ante Crucem, a primo Assistente accipit Celebrantis biretum quod super abacum deponit.

Dum Celebrans Coemeterium aspergit, procedit ad locum in quo est thuribulum et ad Crucem revertitur. Absoluta Oratione: *Deus, qui est totius orbis* etc., accedit ad Celebrantem pro incensi ministratione et, postquam impositae fuerint Cruci candelae, tradit primo Assistenti thuribulum ac sumit ex abaco Celebrantis biretum, quod primo Assistenti tradit quando thuribulum recipit. Dum Processio revertitur ad locum, in quo paramenta dimittenda sunt, Thuriferarius incedit ante Crucem processionalem.

CAPUT V.

DE RECONCILIATIONE ECCLESIAE TANTUM BENEDICTAE SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3181. — I. - Ecclesia expoliata sit quocumque ornamento.

Prope unumquodque Altare praeparantur: Crux, candelabra cum cereis, tobaleae et reliqua omnia ad illud ornandum necessaria; apud Altare maius praeparantur etiam: pallium coloris Officii; tapetum.

II. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta Celebrantis, scilicet: pluviale cum stola albi coloris, cingulum, amictum, alba; parantur etiam superpellicea pro duobus Assistentibus.

Super alias mensas: omnia necessaria pro Missae celebratione, praeterea Pyxis cum particulis; superpellicea; vasculum aquae benedictae cum aspersorio ex hyssopo; Rituale Romanum.

Congruo in loco: Crux processionalis et duo intorticia.

Articulus II.

In Functione.

3182. — I. - De Celebrante. — Statuta hora, Celebrans accedit ad Sacristiam Ecclesiae reconciliandae et sibi induit amictum, albam, cingulum, stolam ac pluviale; ad nutum Caeremoniarii, medius inter Assistentes procedit ad ianuam, ibique consistit, facie ad portam versa, tradit Assistenti primo biretum et intonat Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata, accipit aspersorium, dein procedit per suam dexteram, circuit Ecclesiam aspergens externas eius parietes.

Si nihilominus ob aliquod loci impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequit, Celebrans se gerit ut sub n. 3066 notavimus.

Repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., Celebrans canit: *Oremus. Omnipotens et misericors* etc.; qua Oratione absoluta, caput bireto tegit et Ecclesiam ingreditur. Quum ad Altare maius pervenerit, detecto capite, genuflectit super infimum Altaris gradum. Decantato a Cantoribus Versiculo Litaniarum: *Ut omnibus fidelibus* etc., Celebrans surgit et canit: *Ut hanc Ecclesiam et Altari hoc purgare et reconci* Φ *liare digneris,* manu dextera benedicit Ecclesiam et Altare; quibus prolatis verbis, iterum genuflectit; absolutis Litaniis, surgit, canit: *Oremus;* pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo: *Levate,* cantat: *Praeveniat nos* etc.; qua Oratione completa, recedit aliquantulum et distans ab Altari, convenienti spatio, genuflectit et se signans cantat: *Deus, in adiutorium meum intende.* Responso a Cantoribus: *Domine, ad adiuvandum* etc., ipse stans dicit: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto;* pariter responso a Cantoribus: *Sicut erat* etc., intonat Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., se confert ad parietem retro Altaris maioris, ibique aspersorium accipit et incipiens a cornu Evangelii procedens per sinistram suam circuit Ecclesiam aspergens eam intrinsecus; «aspergit etiam specialiter loca contaminata» (Ex Ruhr. Rit. Rom.).

Peracta aspersione, Celebrans tradit primo Assistenti aspersorium et ante Altare revertitur. Repetita Antiphona post ultimum

Versum Psalmi 67: *In Ecclesiis* etc., absolute canit: *Deus, qui in tmni loco* etc.; qua Oratione absoluta, caput tegit et ad Sacristiam pergit, ibique dimissis pluviali et stola, sumit paramenta missalia.

II. - De duobus Assistentibus Celebranti. — Assistentes se gerunt ut sub n. 3156. Completa Oratione: *Omnipotens et misericors* etc., pariter se gerunt ut sub n. 3158.

Absolutis Litaniis, Assistentes surgunt et postquam Celebrans decantaverit: *Oremus,* Assistens primus genuflectens canit: *Flectamus genua,* et alter surgens: *Levate.*

Completa Oratione: *Praeveniat nos* etc., Assistentes cum Celebrante aliquantulum recedunt; intonata Antiphona: *Exurgat Deus* etc., ambo cum eodem Celebrante pergunt ad parietem retro Altaris ibique Assistens primus Celebranti porrigit aspersorium; ambo comitantur Celebrantem in aspersione, sustinentes eius pluvialis fimbrias.

Aspersione peracta, primus Assistens a Celebrante recipit aspersoriuin, ac postea ambo cum eodem Celebrante ante Altare revertuntur. Absoluta Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc., ad Sacristiam pergunt, sustinentes pluvialis Celebrantis fimbrias.

111. - De Cantoribus.— Cantores, intonatam a Celebrante Antiphonam: *Asperges me* etc. prosequuntur, dein canunt Psalmum 50: *Miserere* etc., in cuius fine dicunt: *Gloria Patri* etc., ac postea Antiphonam repetunt.

Absoluta Oratione: *Omnipotens et misericors Deus* etc., duo Cantores incipiunt Litanias Sanctorum et cum ad Altare maius pervenerint, omnes genuflectunt. Decantato Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., cantum abrumpunt et illum reassumunt postquam Celebrans decantaverit: *Ut hanc Ecclesiam* etc.

Litaniis absolutis, omnes surgunt; completa Oratione: *Praeveniat nos* etc., postquam Celebrans decantaverit: *Deus, in adiutorium* etc., Cantores respondent: *Domine, ad adiuvandum* etc., et pariter respondent: *Sicut erat* etc., post: *Gloria Patri* etc. Omnes genuflectunt et surgunt quando Celebrans genuflectit et surgit.

Intonata a Celebrante Antiphona: *Exurgat Deus* etc., se gerunt ut sub n. 3100.

IV. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Hi Ministri se gerunt ut sub n. 3073, I, sed ad parietem a tergo Altaris maioris procedunt, intonata a Celebrante Antiphona: *Exurgat Deus* etc.

V. - De Ministro libri. — Hic Minister se gerit ut sub n. 3101, I, sed, completa Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc., post repetitionem Antiphonae: *Exurgat Deus* etc. revertitur ad Sacristiam.

VI. - De Acolytho. — Acolythus, ad nutum Caeremoniarii, sumit ex mensa vasculum aquae benedictae cum aspersorio; cum ceteris procedit ad Ecclesiae portam praecipuam; quo cum pervenerit, sistit ad dexteram primi Assistentis; pariter ad eiusdem dexteram incedit in aspersione parietum.

Quum Processio ad Altare maius pervenerit, deponit vasculum cum aspersorio super abacum, ex quo illud sumit dum Celebrans intonat Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., se confert ad parietem a tergo Altaris, ibique consistit ad dexteram Assistentis primi; pariter ad eiusdem dexteram incedit in parietum aspersione; qua completa, defert vasculum et aspersorium in Sacristiam.

CAPUT VI.

DE ECCLESIAE CONSECRATAE RECONCILIATIONE SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3183. — 1. - Omnia parantur quae sub η. I, III, IV, V notavimus.

II. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta Celebrantis, scilicet: amictus, alba, cingulum, stola et pluviale albi coloris; superpellicea pro duobus Assistentibus.

Super aliam mensam parantur: planeta, manipulus, si color Officii sit albus; alias manipulus, planeta et stola coloris Officii; Calix cum suis ornamentis; Pyxis cum particulis; Missale cum legili; ampullae aquae et vini in lance; manutergium; Pontificale Romanum.

Congruo in loco: Crux processionalis; duo intorticia.

III. - Extra Ecclesiae praecipuam portam. — Ad sinistram portae, scilicet ad dexteram intrantis, collocatur parva mensa, alba tobalea tecta, super quam ponitur vasculum cum aqua benedicenda, vasculum ad hauriendam aquam benedictam, aspersorium ex hyssopo; aliquantulum salis in lance; manutergium.

Articulus II.

De Sacerdote celebrante in Ecclesiae consecratae reconciliatione solemniter peragenda.

3184. — Statuta hora, Celebrans pergit ad Sacristiam Ecclesiae reconciliandae, ibique sibi induit amictum, albam, cingulum, stolam ac pluviale; ad nutum Caeremoniarii, medius inter Assistentes, tecto capite procedit ad Ecclesiae portam praecipuam, et extra consistit atque se confert ad abacum; ibi, tradito primo Assistenti bireto, absolute dicit: *Adiutorium nostrum* etc. *Exorcizo te* etc.; quo jbsoluto, iunctis manibus, dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Im-wnsain clementiam* etc.; qua Oratione completa, absolute super aquam dicit: *Exorcizo te* etc.; completo Exorcismo, dicit, iunctis manibus: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus, fui ad salutem* etc.; qua Oratione completa, accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio salis* etc., dimittit illum in aquam, in modum Crucis, dum profert verba: *In nomine Pa* Φ *tris* etc., ac postea abstergit manum et immediate dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Deus invictae virtutis* etc.; qua Oratione absoluta, procedit ad ianuam Ecclesiae, aspersorium accipit, intonat, facie ad Altare versa, Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata, procedit per suam dexteram et circuit Ecclesiam, aspergens eius parietes.

Si nihilominus ob aliquod impedimentum circuitio fieri nequit, Celebrans se gerit ut diximus sub n. 3093.

Repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me etc.,* Celebrans cantat: *Oremus. Omnipotens et misericors Deus* etc.; qua Oratione completa et responso: *Arnen,* iterum dicit: *Oremus·,* pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo: *Levate,* dicit: *Aufer a nobis* etc., et ita se gerit in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Oratione absoluta, Celebrans caput tegit et, medius inter Assistentes, Ecclesiam ingreditur; quum ad Altare maius pervenerit, primo Assistenti biretum tradit et super infimum gradum genuilectit.

Decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., Celebrans surgit et dicit: *Ut hanc Ecclesiam et Altare hoc purgare et recon* Φ *ciliare digneris.* Responso: *Te rogamus* etc., cantat: *Ut hanc Ecclesiam et Altare hoc purgare, recon* Φ *ciliare et sancti* Φ *ficare digneris.* Responso pariter: *Te rogamus* etc., cantat: *Ut hanc Ecclesiam et Altare hoc purgare, recon* Φ *ciliare, sancti-* Φ

ficare et conse Φ *crare digneris.* Responso tertio a Cantoribus: *Te rogamus etc.,* Celebrans genuflectit.

Absolutis Litaniis, Celebrans surgit et cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Deus, qui peccati* etc., aliquantulum recedit, genuflectit et cantat: *Deus, in adiutorium* etc.; responso a Cantoribus: *Domine, ad adiuvandum* etc., surgit et cantat: *Gloria Patri* etc.; responso: *Sicut erat* etc., genuflectit et secundo, elevans vocem hemitonio, cantat: *Deus, in adiutorium* etc., et se ut supra gerit. Responso: *Sicut erat* etc., Celebrans genuflectit et tertio cantat elevans hemitonio vocem: *Deus, in adiutorium* etc. et se ut supra gerit. Responso tertio: *Sicut erat* etc., surgit, accedit ad abacum et dicit absolute: *Exorcizo te* etc. Si formula benedictionis desumitur a Ritu consecrationis Ecclesiae, advertat Celebrans ut verbum: *consecrationem* mutet in: *reconciliationem.*

Exorcismo absoluto, iunctis manibus, dicit: *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus* etc.; qua Oratione absoluta, dicit: *Exorcizo te* etc.; completo Exorcismo, Celebrans, iunctis manibus, dicit: Domine, *exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus, Pater omnipotens* etc.; deinde benedicit cineres, dicens: *Domine, exaudi etc. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, parce* etc., qua Oratione completa, dextera pugillum salis accipit et imponit super cinerem tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis et cineris* etc., eadem manu miscet salem et cinerem; quo facto, accipit pugillum huius mixturae et iniicit in aquam, tribus vicibus in modum Crucis, dicens: *Commixtio salis, cineris et aquae* etc., dein mantili manum abstergit, statimque dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Domine lesu Christe* etc.; qua Oratione completa, accipit ampullam vini benedicti et illud in modum Crucis in aquam mittit, dicens: *Commixtio vini, salis* etc.; quo facto, iterum dicit: *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc.; qua Oratione completa, accedit ante Altare et intonat Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., ac postea se confert ad parietem retro Altaris maioris, ibique aspersorium accipit et incipiens a cornu Evangelii, procedens per sinistram suam, circuit Ecclesiam aspergens parietes in parte superiori. Reversus ad locum a quo aspersionem incepe-rat, iterum, procedens per suam sinistram, circuit Ecclesiam, aspergens parietes, in eorum inferiori parte, et tertio idem facit, sed aspergit Ecclesiae pavimentum; «aspergit etiam specialiter loca contaminata, quando Ecclesia principaliter est polluta, vel violata» (Ex Ruhr. Pont. Rom.). Tertio circuitu peracto, Celebrans tradit primo Assistenti

aspersorium et se confert ante Altare; postquam repetita fuerit a Cantoribus Antiphona: *Exurgat Deus* etc., post ultimum Versum Psalmi 67: *In Ecclesiis* etc., scilicet: *Mirabilis Deus* etc., canit invitationem ad orationem: *Deum indultorem* etc.; prolatis verbis: Qui *cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit, et regnat Deus,* prosequitur manibus expansis Praefationem usque ad: *Per Dominum* etc., exclusive; quod submissa, sed intelligibili, voce recitat, dein suppedaneum conscendit, ibique intonat Antiphonam: *Introibo* etc.; qua repetita post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., scilicet: *Spera in Deo* etc., cantat: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Deus, qui in omni loco* etc., Celebrans ibidem intonat Antiphonam: *Confirma hoc, Deus* etc.; repetita a Cantoribus Antiphona, post Psalmum 67: *Exurgat Deus* etc., cantat: *Oremus. Deus, qui Ecclesiam tuam* etc.; qua Oratione completa, Celebrans impertit benedictionem dicens: *Benedictio Dei omnipotentis* etc., ac postea procedit ad Sacristiam; dimissis pluviali et stola, assumit paramenta missalia.

Articulus III.

De duobus Assistentibus Celebranti in reconciliatione Ecclesiae consecratae solemniter peragenda.

3185. — Duo Assistentes, statuta hora, accedunt ad Sacristiam Ecclesiae reconciliandae et assumunt superpelliceum; dein adiuvant Celebrantem in assumendis sacris paramentis. Caeremoniario innuente, procedunt cum Celebrante, sustinentes eius pluvialis fimbrias, ad Ecclesiae ianuam et se conferunt ad abacum; Assistens primus accipit biretum Celebrantis et Caeremoniario tradit; postquam Celebrans salem in aquam dimiserit, porrigit eidem mantile ad manum abstergendam.

Completa Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc., ambo procedunt cum Celebrante ad Ecclesiae portam, ibique Assistens primus porrigit aspersorium Celebranti et ab eodem recipit, peracta parietum aspersione.

Post Orationem: *Omnipotens et misericors Deus* etc., Assistens primus, decantato a Celebrante: *Oremus,* genuflectens cantat: *Flectamus genua,* et alter surgens: *Levate,* et ita se gerunt in simili casu, quod brevitatis causa dicemus: *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Oratione: *Aufer a nobis* etc. absoluta, Assistens primus porrigit Celebranti biretum, dein ambo incedentes ad latera Celebrantis, sustinentes eiusdem pluvialis fimbrias, Ecclesiam ingrediuntur. Quum

ad Altare maius pervenerint, Assistens primus accipit a Celebrante biretum, dein ambo genuflectunt ad latera Celebrantis super infimum Altaris gradum et gcnuflexi manent usque ad Litaniarum finem.

Absolutis Litaniis, *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Completa Oratione: *Deus, qui peccati* etc., aliquantulum cum Celebrante recedunt et quando Celebrans genuflectit et ipsi genuflectunt, quando vero surgit et ipsi surgunt. Responso a Cantoribus tertio: *Sicut erat* etc., cum Celebrante accedunt ad abacum; postquam Celebrans dimiserit in aquam salis et cineris mixturam, Assistens primus porrigit mantile Celebranti ad manum abstergendam. Completa Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., se conferunt cum Celebrante ante Altare, et postquam Celebrans intonaverit Antiphonam: *Exurgat Deus* etc., cum eodem Celebrante se conferunt retro Altaris maioris, ibique Assistens primus porrigit Celebranti aspersorium a quo recipit, peracta aspersione parietum.

Post Praefationem ambo suppedaneum cum Celebrante conscendunt. Repetita a Cantoribus Antiphona: *Introibo ad Altaret.,* post ultimum Versum Psalmi 42: *Indica me, Deus* etc., scilicet: *Spera in Deo* etc., *Oremus. Flectamus genua. Levate.*

Impertita a Celebrante benedictione, de Altari ambo descendunt, primus Assistens porrigit Celebranti biretum; uterque cum eodem ad Sacristiam procedit.

Articulus IV.

De Caeremoniario, de Cantoribus deque Ministris inferioribus in reconciliatione Ecclesiae consecratae solemniter a Sacerdote peragendo.

3186. — I. - De Caeremoniario. — Quoniam Ritus reconciliationis Ecclesiae coniunctus est cum Ritu reconciliationis Coemeterii, Caeremoniarius advertat quod diximus sub n. 3098.

II. - De Cantoribus. — Cantores se gerunt ut sub n. 3100, I.

III. - De Ministro libri. — Hic Minister se gerit ut sub n. 3101,1.

IV. - De Ministro aquae benedictae. — Absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc., Minister extrahit de vase vasculum aquae benedictae, sumit aspersorium, se confert ad dexteram primi Assistentis et ad eiusdem dexteram incedit, dum Celebrans aspergit parietes. Aspersione peracta, defert ad Sacristiam vasculum aquae benedictae, aspersorium vero ad abacum prope Altare maius.

Post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, creator* etc., Minister extrahit de concha vasculum aquae sacratae, aspersorium sumit, se confert ad dexteram primi Assistentis et ad eiusdem dexteram incedit, dum Celebrans parietes aspergit; aspersione peracta, vasculum et aspersorium ad Sacristiam defert.

CAPUT VII.

DE COEMETERII RECONCILIATIONE SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3187. — 1. - In Coemeterio. — In medio Coemeterio sternitur tapetum.

II. - In Sacristia Sacelli. — Super praecipuam mensam collocantur paramenta pro Celebrante, scilicet: amictus, alba, cingulum, stola et pluviale albi coloris.

Super aliam mensam: superpellicea; vasculum aquae benedictae cum aspergillo ex hyssopo; Rituale Romanum.

Congruo in loco praeparantur Crux processionalis et duo intorticia.

III. - Si Sacellum absit, tunc omnia parantur in Sacristia Ecclesiae non longe a Coemeterio vel in aliquo convenienti loco apud Coemeterium.

Articulus 11.

In Functione.

3188. — I. - De Celebrante. — Statuta hora, Celebrans procedit ad locum in quo paramenta sumere debet; ad Caeremoniarii nutum, sibi induit amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale; Caeremoniario invitante, procedit ad Coemeterium, medius inter duos Assistentes, et cum ad tapetum pervenerit, genuflectit super illud. Decantato a Cantoribus Litaniarum Versiculo: *Ut omnibus fidelibus* etc., surgit et dicit: *Ut hoc Coemeterium recon* Φ *ciliare et sancti* Φ *ficare*

digperis, producens dextera manu signum Crucis ad verba: *reconciliare,* et: *sanctificare,* dein iterum genuflectit. Absolutis Litaniis, surgit, aspersorium accipit et intonat Antiphonam: *Asperges me* etc.; qua intonata,circuit totum Coemeterium, incipiens ad suam sinistram, aspergens ubique aqua benedicta, « praesertim in loco ubi violatio commissa est » (Ex Rubr. Ritualis Rom.).

Aspersione peracta, Celebrans revertitur ad pristinum locum; repetita a Cantoribus Antiphona: *Asperges me* etc., cantat: *Oremus.* Decantato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit et a secundo: *Levate,* cantat: *Domine pie* etc.; qua Oratione absoluta, procedit ad locum in quo paramenta sumpserat.

II. - De duobus Assistentibus Celebranti. — Duo Assistentes, statuta hora, accedunt ad locum in quo Celebrans paramenta sumere debet, ibique superpelliceum assumunt, dein Celebrantem adiuvant in paramentis sumendis. Ad nutum Caeremoniarii, sustinentes pluvialis Celebrantis fimbrias, procedunt ad Coemeterium; quum ad tapetum pervenerint, super illud genuflectunt, ad latera Celebrantis, et genuflexi manent usque ad Litaniarum finem. Assistens primus, absolutis Litaniis, aspersorium Celebranti porrigit; ambo Celebrantem comitantur in Coemeterii aspersione; qua peracta, Assistens primus recipit aspersorium. Decantato a Celebrante: *Oremus,* Assistens primus genuflectens cantat: *Flectamus genua,* alter vero surgens: *Levate.* Absoluta Oratione: *Domine pie* etc., cum Celebrante revertuntur ad locum in quo sacrae vestes deponendae sunt.

III. - De Cantoribus. — Cantores se gerunt ut sub n. 3106, II notavimus.

IV. - De Crucifero deque Ceroferariis. — Hi Ministri se gerunt ut sub n. 3107, IV.

V. - De Ministro libri. — Hic Minister se gerit ut sub n. 3107,1.

VI. - De Ministro aquae benedictae. — Minister sumit vasculum aquae benedictae et aspersorium ac cum ceteris ad Coemeterium procedit. Absolutis Litaniis, Minister se confert ad dexteram primi Assistentis et ad eiusdem dexteram incedit, dum Celebrans Coemeterium aspergit.

CAPUT VIII.

DE ECCLESIAE ET COEMETERII RECONCILIATIONE SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

3189. — Omnia praeparantur et Functio peragitur ut in Cap. V, vel VI, huius Sectionis, pro re, sed:

I. - Intonata Antiphona: *Asperges me* etc., Celebrans circuit Coemeterium interne, incipiens a sinistris suis, dein circuit Ecclesiam externe incipiens a dextris suis, aspergens « specialiter loca contaminata» (Ex Rubr. Pont. Rom.).

II. - Post Orationem: *Aufer a nobis* etc., si agatur de Ecclesia consecrata, Celebrans dicit: *Oremus;* pronuntiato a primo Assistente: *Flectamus genua,* ad quod non genuflectit, et a secundo: *Levate,* dicit: *Domine pie* etc.

III. - In Litaniis Celebrans dicit: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, ac Coemeterium.*

CAPUT IX.

DE BENEDICTIONE CAMPANAE PRO ECCLESIA CONSECRATA SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3190. *A)* Si Functio peragatur in Ecclesia ET QUIDEM IN PRESBYTERIO.

I. - Ad Altare maius. — Altare pallio albi coloris instruitur et super eius gradus tapetum sternitur.

Altari superimponuntur sex candelabra, quorum in medio collocatur Crux; inter candelabra statui possunt vascula cum floribus vel Sanctorum Reliquiae (v. n. 562, IV).

II. - In medio Presbyterio suspenditur Campana ita secure trabibus « ut commode possit intus et extra tangi, tractari et circuiri » (Ex Rubr. Pont. Rom.). Conveniens est ut trabes convestiantur pannis rubri coloris et exornari possunt floribus ac frondibus.

III. - Convenienti distantia a Campana statuitur scamnum pro Celebrante et Ministris sacris.

IV. - Super abacum, alba tobalea contectum, collocantur: duo candelabra cum cereis; spongiae et mantilia e tela rudi in numero sufficienti; Evangeliarium cum signaculo ad Festum Assumptionis B. Mariae Virginis; Pontificale Romanum; duo manipuli albi coloris; vasculum cum s. Chrismate et vasculum cum Oleo Infirmorum in lance; aliquantulum gossypii soluti; aspergillum ex hyssopo; lamilla gypsi; fasciola chartacea mensurae septimae partis labii externi Campanae; tabula cum Formula unctionis quae eadem est ut sub n. 3110, A post VIII; medulla panis et mali medici in lance; thymiama in lance cum cochleari.

V. - Apud abacum collocatur parvum scabellum et super illud ponitur vas cum igne; si vero Campana parva sit, tunc loco vasis, sufficit thuribulum.

VI. - E regione abaci collocatur parva mensa, alba tobalea contecta, et super illam ponuntur concha cum aqua; aliquantulum salis in lance; manutergium.

VII. - In Sacristia. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta albi coloris, scilicet pro Celebrante: amictus, alba, cingulum, stola et pluviale; pro sacris Ministris: duo amictus, totidem albae, cingula; pro Diacono: dalmatica et stola diaconalis; pro Subdiacono: tunicella.

Super alias mensas: superpellicea; thuribulum cum navicula.

Congruo in loco: Crux processionalis; duo intorticia.

Si SS. Sacramentum custodiatur in Altari maiori, conveniens est ut ad aliud Altare transferatur.

B) Si Functio peragatur in Ecclesia sed extra Presbyterium.

I. - Ad Altare maius. — Altare maius exornatur ut supra diximus; si SS. Sacramentum in illo custodiatur, manere potest.

II. - In media Ecclesia, vel versus Altare maius, pro re, suspendatur Campana et convenienti distantia ab ea statuitur scamnum pro Celebrante et Ministris sacris, ut supra notavimus.

III. - Ad sinistram scamni, sed convenienti distantia, collocatur abacus et super illum omnia disponuntur ut supra.

IV. - Apud abacum, pariter ponitur scabellum et super illud collocatur vas cum igne.

V. - E regione abaci statuitur parva mensa, et super illam collocantur concha cum aqua, aliquantulum salis in lance, manutergium.

C) Si Functio peragatur in aliqua aula vel in platea.

I. - In capite loci collocatur scamnum; reliqua disponuntur ut sub β) notavimus.

II. - Si prope locum, in quo Functio peragenda est, adsit vel Ecclesia, vel Sacellum, tunc in Sacristia omnia parantur ut sub *A)* diximus.

III. - Si vero Ecclesia, vel Sacellum, longe sit, tunc in aliquo decenti loco disponuntur mensae, albis tobaleis contectae, et super eas collocantur omnia ut sub *A),* VII.

3191. — Dispositio pro Campanae benedictione.

SCAM NUM

A abacus. — C – Campana. — M = parva mensa.

Articulus II.

De Sacerdote celebrante in solemni benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata.

3192. — Statuta hora, Celebrans accedit ad Sacristiam, et, adiuvantibus Ministris sacris, se induit amictu, alba, cingulo, stola ac pluviali; innuente Caeremoniario, procedit ad locum in quo benedicenda est Campana, tecto capite, medius inter Assistentes; quo cum pervenerit, accedit ad scamnum et ad nutum.Caeremoniarii, tono chorali, Psalmum 50: *Miserere* etc. incipit recitare; absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc., cum *Gloria Patri* etc., Celebrans surgit et dicit: *Adiutorium nostrum* etc., ut in Pontificali Romano; absoluta Oratione: *Deus, qui ad salutem* etc., dicit: *Bene* ✠ *dic* etc.; qua

completa, accipit pugillum salis et dicens: *Commixtio salis* etc., dimittit illum in aquam in modum Crucis, dum profert verba: *In nomine Pa* Φ *tris* etc., ac postea manum abstergit et immediate dicit: *Oremus. Deus, invictae virtutis* etc.; qua Oratione completa, accedit ad Campanam, ibique a Diacono accipit aspergillum quod, ipse Celebrans, immergit in aquam benedictam et Campanam lavare incipit, madefaciens aspergillo ipso primum externum labium, dein internum, ac postea aspergillum Diacono tradit, ad scamnum revertitur, ibique sedet, bireto caput tegit et incipit recitare Psalmum 145: *Lauda, anima mea* etc.

Absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis* etc., cum *Gloria Patri* etc., caput detegit, surgit, ad Campanam accedit, ibique intingit pollicem dexterum in Oleo Infirmorum et signat, nihil dicens, Crucem versus mediam Campanam ut in sequenti figura:

K
A

O

(

3193. — Unctione peracta, abstergit pollicem gossypio, dein canit: *Oremus. Deus, qui per beatum Moysen* etc.; qua Oratione completa, a Diacono mantile accipit et ipse unctionem quam super Campanam fecerat abstergit, ac postea intonat Antiphonam: *Vox Domini* etc.; intincto dextero pollice in Oleo Infirmorum, Celebrans, dicens formulam: *Sancti* Φ *ficetur* etc., facit septem duplices unctiones in modum Crucis, singulis vicibus, unam ad verbum: *Sancti* Φ *ficetur,* alteram ad verbum: *Conse* Φ *cretur,* super Campanam,

scilicet in circuitu externo versus labium; duplicem unctionem primani peragit infra illam in qua unctionem fecit et abstersit et prosequitur a dextris suis ut in sequenti figura:

et producit dextera manu signum Crucis super singulam duplicem unctionem, dicens: *In nomine Patris* etc.

Peractis septem externis unctionibus, Celebrans abstergit pollicem gossypio, intingit eundem pollicem in s. Chrismate et peragit eodem modo et proferens eamdem formulam quatuor duplices unctiones internas pariter versus labium ut in sequenti figura:

3194. — Unctionibus peractis, Celebrans abstergit pollicem et cantat: *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, (pii ante arcam* etc., deinde imponit in vase thymiama, absque benedictione, ac postea procedit ad scamnum, ibique sedet.

Absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum *Gloria Patri* etc., surgit, detecto capite, et cantat: *Oremus. Omnipotens dominator* etc.; qua Oratione completa, imponit et benedicit incensum, more solito; dum Diaconus benedictionem petit, ante Evangelii cantum, stans respondet: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties Evangelium suum. In nomine Patris, et Filii, ct Spiritus Sancti. Arnen;* proferens verba: *In nomine Patris* etc., dextera producit signum Crucis versus Diaconum. Ad Evangelii cantum se gerit ut in Missa solemni et, completo cantu, thurificationem accipit.

Celebrans, cum reversi fuerint Ministri sacri ad sua latera, dextera manu signum Crucis efformat versus Campanam, nihil dicens, ac postea, medius inter Assistentes, tecto capite, pergit ad locum in quo deponenda sunt paramenta.

Articulus III.

De Diacono et Subdiacono in solemni benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata a Sacerdote peragenda.

3195. — Ministri sacri, statuta hora, se conferunt sive ad Sacristiam Ecclesiae in qua benedicenda est Campana, sive ad locum in quo paramenta assumere debent; quibus assumptis, adiuvant Celebrantem in assumendis pariter paramentis. Ad nutum Caeremoniarii, procedunt cum Celebrante, sustinentes eius fimbrias pluvialis, ad locum in quo benedicenda est Campana; quo cum pervenerint, accedunt ad scamnum et ad latera eiusdem Celebrantis sedent.

Absoluto Psalmo 129: *De profundis* etc., cum *Gloria Patri* etc., **ambo** surgunt et sustinent pluvialis Celebrantis fimbrias.

Completa Oratione: *Benedic* etc., **Diaconus** porrigit Celebranti lancem cum sale; qua ab eo recepta, porrigit mantile ad manum abstergendam atque postquam Celebrans recitaverit Orationem: *Deus, invictae virtutis* etc., ambo cum eo procedunt ad Campanam; **Diaconus** porrigit ei aspergillum, quod recipit postquam Celebrans labium internum Campanae laverit, dein ambo cum Celebrante ad scamnum revertuntur.

Intonato Psalmo 145: *Lauda, anima mea etc.,* sedent et, completo

Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc., cum *Gloria Patri* etc., surgunt ac, sustinentes fimbrias pluvialis Celebrantis, procedunt ad Campanam; quo cum pervenerint, **Diaconus** accipit vasculum Olei Infirmorum, quod Acolytho tradit postquam Celebrans Crucem super Campanam signaverit. Absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moyseu* etc., **Diaconus** mantile Celebranti porrigit. Intonata Antiphona: *Vox Domini* etc., **Diaconus** accipit vasculum Olei Infirmorum, **Subdiaconus** vero tabulam cum formula unctionis, quam sustinet ante Celebrantem.

Septem unctionibus externis peractis, **Diaconus** tradit Acolytho vasculum et ab eodem accipit vasculum s. Chrismatis, quod reddit postquam Celebrans peregerit quatuor unctiones internas; item **Subdiaconus** tradit Ministro aquae benedictae tabulam. Completa Oratione *-.Omnipotens sempiterne Deus* etc., **Diaconus** porrigit Celebranti cochlear et sustinet lancem cum thymiamate; postquam Celebrans iniecerit thymiama super ignem, recipit cochlear et cum lance Acolytho tradit, ac postea ambo cum Celebrante procedunt ad scamnum, ibique sedent.

Absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum *Gloria Patri* etc., ambo surgunt, et, completa Oratione: *Omnipotens dominator* etc., reverentiam Celebranti peragunt et ad abacum pergunt, ibique manipulum accipiunt, ac postea **Diaconus** ad Celebrantem revertitur eique incensum ministrat, more solito; quo facto, reverentiam Celebranti peragit, se ad abacum recipit ex quo sumit Evangeliarium; ad nutum Caeremoniarii, **Diaconus** solus post **Subdiaconum** procedit ad scamnum; quo cum pervenerint, ambo genuflectunt. Diaconus benedictionem petit dicens: *Iube, domne, benedicere,* et genuflexus manet, donec benedictionem acceperit. Tunc ambo reverentiam Celebranti faciunt, procedunt ad locum ubi Evangelium canendum est, scilicet ad scamni dexteram, et ambo se gerunt ut ad Evangelii cantum; quo absoluto, **Subdiaconus** praebet Celebranti librum deosculandum, dein Caeremoniario Evangeliarium tradit. **Diaconus** Celebrantem thurificat, ac postea **ambo** se conferunt ad abacum, ibique manipulum dimittunt, dein ad Celebrantem revertuntur et postquam ille signum Crucis super Campanam produxerit, **Diaconus** eidem biretum porrigit; **ambo** sustinentes fimbrias pluvialis Celebrantis, procedunt cum eo ad locum in quo paramenta deponenda sunt.

Articulus IV.

De Caeremoniario, de Cantoribus, de Ministris lotionis Campanae deque Ministris inferioribus in solernni benedictione Campanae pro Ecclesia consecrata a Sacerdote peragenda.

3196. — De Caeremoniario. — Caeremoniarius, omnibus rite dispositis et assumptis paramentis a Ministris sacris nec non a Celebrante, signum dat procedendi ad locum ubi adest Campana, sequenti ordine:

1. Crucifer, medius inter Ceroferarios intorticia gestantes;
2. Cantores;
3. Clerus;
4. Celebrans, medius inter Ministros sacros.

Lota et abstersa Campana, Caeremoniarius se gerit ut sub n. 3124.

3197. — Dispositio in initio Functionis.

3198. — De Cantoribus. — Cantores se gerunt ut sub n. 3126.

3199. — De Ministris lotionis Campanae. — Hi Ministri se gerunt ut sub n. 3128, I.

3200. — De Crucifero deque Clericis intorticia gestaturis. — Hi Clerici se gerunt ut sub n. 3128, II.

3201. — De Ministro libri. — Hic Minister

accedit ad Celebrantem:

cum Celebrans ad scamnum pervenerit;

cum Celebrans reversus fuerit ad scamnum, postquam aspergillo Campanam laverit;

signata Cruce super Campanam;

unctionibus peractis et repetita Antiphona: *Vox Domini* etc.;

absoluto Psalmo 76: *Viderunt te* etc., cum *Gloria Patri* etc.

ab eodem recedit:

absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis* etc.;

absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc.;

intonata Antiphona: *Vox Domini* etc.;

post Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam* etc.;

completa Oratione: *Omnipotens dominator* etc.

3202. — De duobus Acolythis. — Duo Acolythi adiuvant Ministros sacros in sumendis paramentis; ad nutum Caeremoniarii, iunctis manibus, procedunt cum ceteris ad locum in quo benedicenda est Campana.

Dum recitatur Psalmus 129: *De profundis etc.,* transferunt parvam mensam cum concha aquae coram Celebrante, illamque amovent, absoluta Oratione: *Deus, invictae virtutis etc.,* dein accipiunt conchamet se conferunt ad dexteram Diaconi. Lota a Celebrante Campana, deponunt concham subter Campanam, et postquam Campana a Ministris lotionis abstersa fuerit, reponunt concham in pristino loco.

Absoluto Psalmo 150: *Laudate Dominum in sanctis eius* etc., Acolythus primus sumit ex abaco vasculum Olei Infirmorum et vasculum s. Chrismatis in lance et aliquantulum gossypii soluti ac se confert ad dexteram Diaconi; alter vero sumit ex abaco linteolum et accedit ad dexteram primi Acolythi; postquam Celebrans abster-

serit Crucem, defert linteolum ad abacum, ex quo sumit tabulam cum formula unctionis ac se recipit ad sinistram Subdiaconi cui tabulam porrigit. Unctionibus peractis, Acolythus primus defert ad abacum lancem cum vasculis SS. Oleorum, alter tabulam cum formula unctionis, dein primus Acolythus sumit ex abaco lancem continentem thymiama et se ad dexteram Diaconi confert; secundus Acolythus, dum Thuriferarius sumit vas cum igne, accipit scabellum et subter Campanam collocat.

Quando Ministri sacri accedunt ad abacum, absoluta Oratione: *Omnipotens dominator* etc., Acolythi eis manipulos imponunt ac postea candelabra sumunt, accedunt cum ceteris ad Celebrantem, genuflectunt, deinde, benedictione a Diacono accepta, surgunt et accedunt ad locum in quo Evangelium cani debet, atque se gerunt more solito ut in Missa solemni ad Evangelii cantum.

Repositis super abacum candelabris, Acolythi adiuvant Ministros sacros in deponendis manipulis; facto a Celebrante Crucis signo versus Campanam, cum ceteris procedunt ad locum in quo paramenta dimittenda sunt, ibique Ministros sacros adiuvant in deponendis paramentis.

3203. — De Thuriferario. — Thuriferarius se gerit ut sub n. 3128, IV.

Pro benedictione plurium Campanarum servantur omnia quae notavimus sub n. 3129.

CAPUT X.

DE BREVIORI RITU PRO BENEDICTIONE CAMPANAE QUAE AD USUM ECCLESIAE NON CONSECRATAE VEL ORATORII INSERVIAT SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3204. — Omnia parantur ut in Articulo I praecedentis Capitis, sed:

I. - Campana collocari potest super aliquod scabellum.

II. - Super abacum ponitur tantum Rituale Romanum.

III. - Non collocatur apud abacum parvum scabellum neque vas cum igne; e regione abaci non statuitur parva mensa.

IV. - Super praecipuam mensam Sacristiae non disponuntur paramenta pro Diacono et Subdiacono, sed duo tantum superpellicea pro duobus Celebranti Assistentibus.

Articulus II.

3205. — I. - De Celebrante. — Celebrans, statuta hora, accedit ad Ecclesiam in qua Campana benedicenda est; assumptis sacris paramentis, ad nutum Caeremoniarii, medius inter Assistentes procedit ad locum in quo collocata est Campana; quo cum pervenerit, se ad scamnum recipit; stans, facie ad Campanam versa et detecto capite, dicit: *Adiutorium nostrum* etc.; responso: *Qui jecit* etc., sedet, caput bireto tegit et incipit recitare, tono chorali, Psalmum 50: *Miserere* etc.

Absoluto Psalmo 129: *De profundis etc.,* Celebrans surgit, detecto capite, canit: *Kyrie, eleison etc., Pater noster* etc., Versiculos et Orationem: *Deus, qui per beatum Moysen* etc.; qua completa, imponit et benedicit incensum, dein ad Campanam accedit; quo cum pervenerit, accipit a primo Assistente aspersorium, Campanam aspergit, ipsam circumiens per suam dexteram. Quum pervenerit unde aspersionem inceperat, tradit Assistenti aspersorium, ab eodem thuribulum accipit, Campanam thurificat pariter illam circumiens per suam dexteram; Celebrans, tradito thuribulo primo Assistenti, cantat: *Oremus. Omnipotens dominator* etc. Responso: *Arnen,* dicit: *In honorem Sancti N.,* dein versus Campanam producit signum Crucis, nihil dicens.

II. - De duobus Assistentibus Celebranti. — Duo Assistentes statuta hora, se conferunt sive ad Sacristiam Ecclesiae in qua benedicenda est Campana, sive ad locum in quo superpellicea assumere debent; quibus assumptis, adiuvant Celebrantem in assumendis paramentis. Innuente Caeremoniario, procedunt cum Celebrante, sustinentes eius pluvialis fimbrias, ad locum in quo benedicenda est Campana; quo cum pervenerint, accedunt ad scamnum et ad latera eiusdem Celebrantis sedent.

Absolutis Psalmis, Assistentes cum Celebrante surgunt; post Orationem: *Deus, qui per beatum Moysen* etc., Assistens primus ministrat more solito incensum, dein ambo cum eodem Celebrante ad Campanam

accedunt, ibique **Assistens primus** porrigit Celebranti aspersorium; **ambo** comitantur Celebrantem in aspersione Campanae; qua aspersa, **primus Assistens** aspersorium a Celebrante recipit et eidem thuribulum porrigit; pariter **ambo** comitantur Celebrantem in thurificatione. Thurificata Campana, **Assistens primus** recipit thuribulum.

Producto a Celebrante signo Crucis versus Campanam, Assistentes cum Celebrante ad Sacristiam revertuntur.

III. - De Cantoribus. — Cantores se gerunt ut sub n. 3132, IU.

IV. - **De Ministro libri. —** Hic Minister accedit ad Celebrantem cum ad scamnum pervenerit et ab eodem recedit, absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moyseu* etc.; iterum accedit post Campanae thurificationem et recedit postquam ipse Celebrans dixerit: *In honorem Sancti N.*

V. - **De Crucifero deque Ceroferariis. —** Hi Ministri se gerunt ut sub n. 3128, II.

VI. - **De Thuriferario. —** Thuriferarius, absolutis Psalmis, pergit ad Sacristiam, sumit thuribulum et naviculam, ac postea revertitur ad locum in quo collocata est Campana.

Absoluta Oratione: *Deus, qui per beatum Moysen etc.,* accedit ad Celebrantem pro impositione et benedictione incensi. Post aspersionem Campanae, tradit thuribulum primo Assistenti a quo recipit, thurificata Campana, et illud ad Sacristiam defert.

VII. - **De Ministro aquae benedictae. — Dum** Celebrans imponit et benedicit incensum, Minister sumit ex abaco vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad dexteram primi Assistentis; aspersa Campana, reponit vasculum cum aspersorio super abacum.

CAPUT XI.

DE BENEDICTIONE CAMPANAE QUAE AD USUM ECCLESIAE VEL ORATORII NON INSERVIAT

3206. — Omnia parantur ut in Articulo I praecedentis Capitis et pariter Celebrans et ceteri se gerunt ut in Articulo II praecedentis Capitis, sed loco Orationis: *Deus, qui per beatum Moysen* etc. Celebrans canit Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui rerum omnium* etc. Post Campanae thurificationem, omissa Oratione: *Omnipotens Dominator* etc., producit signum Crucis versus eandem Campanam, nihil dicens, ac postea ad Sacristiam revertitur.

CAPUT XII.

DE CORONATIONE IMAGINIS B. MARIAE VIRGINIS SOLEMNITER A SACERDOTE PERAGENDA

Articulus I.

De iis quae praeparanda sunt.

3207. — I. - Omnia parantur ut in Missa solemni, praeterea:

a) super abacum collocantur: planeta pro Celebrante; tres manipuli; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; tabulae cum formulis coronationis (v. n. 3133, III);

b) apud Altare in latere Epistolae statuitur parvus abacus, alba tobalea contectus, in quo collocatur corona super pulvinum;

c) super Altaris mensam ponitur, in cornu Epistolae, legile cum libro continente Ritum coronationis.

II. - Si color Missae albus non sit, tunc pro Celebrante parantur pluviale et stola albi coloris, sed in casu, loco paramentorum coloris Missae, nisi color sit violaceus, adhiberi possunt paramenta auro contexta (DD. 3145; 3191, ad 4; 3646, ad 2). Si Imago de suo Altari removeri possit, serventur quae notavimus sub n. 3133, IV.

III. - Congruo in loco ponatur scala, vel scabellum, pro re; si vero Imago collocata sit in loco principe Altaris maioris, tunc paratur etiam decens tabula lignea tobaleis imponenda.

Articulus II.

In Functione.

3208. — I. - De Celebrante. — Celebrans indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, procedit, medius inter sacros Ministros, ad Altare maius, vel ad Altare in quo adsit Imago coronanda; quo cum pervenerit, reverentiam, vel genuflexionem, peragit, Altare conscendit, illud in medio deosculatur et se ad legile confert, ibique intonat Antiphonam: *Sub tuum praesidium* etc.; qua absoluta, recitat Versiculos et Orationem ut sub n. 3135; deinde imponit ac benedicit incensum, aspersorium a Diacono accipit, coronam vel coronas aspergit; reddito aspersorio, thuribulum accipit et eam, vel eas, thurificat; quo facto, de Altari descendit, et si Imago adsit

in loco principe Altaris genuflectit super infimum Altaris gradum, alias procedit ad locum in quo Imago exstat, pariter ante illam genuflectit et intonat Antiphonam: *Regina coeli* etc., ac postea surgit, ad Imaginem accedit eiusque capiti coronam imponit dicens: *Sicut per manus* etc.

Si una cum Imagine B. Mariae V., coronanda sit Imago divini Infantis, tunc Celebrans primum coronam imponit capiti Divini Infantis, dein capiti B. Mariae V.

Corona vel coronis impositis, Celebrans descendit, imponit et benedicit incensum ac postea, triplici ductu, stans, thurificat Imaginem. Absoluta a Cantoribus Antiphona, Celebrans canit Versiculos et Orationem ut sub n. 3138. Oratione absoluta, si Dominica, aspersionem aquae benedictae facit, alias procedit ad scamnum, pluviale dimittit, assumit manipulum et planctam, et more solito inchoat Missam.

Absoluta Oratione: *Placeat* etc., de Altari descendit, genuflectit super infimum gradum et intonat Hymnum: *Te Deum* etc.; completa Oratione: *Deus, cuius misericordiae* etc., suppedaneum conscendit, more solito benedicit fidelibus adstantibus.

II. - De Ministris sacris. — Ministri sacri, paramentis suis induti absque manipulis, sustinentes pluvialis Celebrantis fimbrias, cum eo procedunt ad Altare maius, vel ad Altare in quo adsit Imago coronanda; quo cum pervenerint, genuflexionem peragunt, suppedaneum conscendunt et, dum Celebrans Altare deosculatur, genuflexionem peragunt ac postea cum eodem Celebrante accedunt ad legile, sustinentes pariter eiusdem Celebrantis pluvialis fimbrias. Absoluta Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc., Diaconus, more solito, incensum ministrat, dein porrigit Celebranti aspersorium; quo recepto, thuribulum eidem tradit.

Thurificata corona, thuribulum recipit; deinde ambo cum Celebrante de Altari descendunt et genuflectunt ad latera Celebrantis super infimum Altaris gradum; si vero Imago in Altari non exstat, tunc cum eodem Celebrante accedunt ad locum in quo est imago et genuflectunt ante illam.

Intonata a Celebrante Antiphona: *Regina coeli* etc., accedunt ad Imaginem, Diaconus porrigit coronam, vel coronas, Celebranti, Subdiaconus sustinet tabulam cum formula coronationis.

Si vero planum superius scalae amplum non sit, Ministri sacri consistunt ad latera eiusdem scalae.

Postquam Celebrans descenderit, Diaconus incensum ministrat; ambo sustinent pluvialis fimbrias, dum Celebrans Imaginem thurificat.

Absoluta Antiphona: *Regina coeli* etc., Ministri sacri sustinent librum ante Celebrantem; completa Oratione: *Praesta, misericors* etc., si Dominica, se gerunt ut in aspersione aquae benedictae, alias cum Celebrante procedunt ad scamnum, manipulos assumunt et se gerunt more solito ut in Missa solemni, sed post Orationem: *Placeat etc.* cum Celebrante de Altari descendunt pro cantu Hymni: *Te Deum* etc. Oratione: *Deus, cuius misericordiae* etc. absoluta, suppedaneum conscendunt et se gerunt more solito.

III. - De Caeremoniario. — Caeremoniarius perlegat quae diximus sub n. 3146 et 3147.

IV. - De Thuriferario. — Thuriferarius procedit cum ceteris ad Altare; quo cum pervenerit, se confert ad abacum et se gerit ut diximus sub n. 3150.

V. - De Ministro aquae benedictae. — Dum Celebrans imponit et benedicit incensum, Minister se confert ad Diaconi dexteram; aspersa corona, si aspersio aquae benedictae facienda non est defert vasculum cum aspersorio ad Sacristiam, alias ad abacum.

CAPUT XIII.

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM

3209. — Benedictio haec non praescribitur, sed consuetudo eam accipiendi laudatur. Ad illam tantum « ius habent mulieres quae ex legitimo matrimonio pepererunt» (S.C. Cone. 18 Iun. 1859). Benedictio neganda non est mulieri cuius proles mortua est, licet etiam absque Baptismo, et servandum quidem Rituale Romanum quoad formulam (DD. 3059 ad 17; 3904).

3210. — Mulier, genuflexa deferens candelam accensam, expectat ad Ecclesiae fores, vel intra Ecclesiam ad ostium; si vero habeatur atrium, ibidem expectare debet.

3211. — Sacerdos, superpelliceo et stola albi coloris indutus, tecto capite iunctisque manibus, una cum Ministro deferente Rituale et vasculum aquae benedictae cum aspersorio ad Ecclesiae fores procedit; quo cum pervenerit, caput detegit, mulierem aqua benedicta aspergit in medio, a dextris et a sinistris eius, nullum proferens verbum, ac postea, accepto Rituali, dicit: *Adiutorium nostrum* etc., Antiphonam: *Haec accipiet* etc. et Psalmum 23: *Domini est terra* etc., in cuius fine dicit: *Gloria Patri* etc. Absoluta Antiphona, Sacerdos ad

manum mulieris porrigit extremam partem stolae ex humero sinistro pendentem, eamque in Ecclesiam introducit dicens: *Ingredere* etc. et incedit ad mulieris dexteram ducens eam ad Altare.

Quoniam a Rituali Romano Altare non designatur, Sacerdos ducere potest mulierem ad Altare SS. Sacramenti, iuxta Orationis verba: *Adora Filium Beatae Mariae Virginis.* Attamen verba ista stricte non sunt intelligenda ut prohibeatur ne ad aliud Altare eam ducat, v. g. ad Altare B. Mariae V.

Mulier genuflectit extra Presbyterium, Sacerdos vero sistit in plano vel suppedaneum conscendit, iuxta consuetudinem, et in casu sistit versus cornu Evangelii vel Epistolae, non in medio. Ad mulierem conversus recitat: *Kyrie, eleison* etc., ut in Rituali, et, absoluta Oratione, tradit librum Ministro a quo accipit aspersorium, dein, aqua benedicta, mulierem in modum Crucis aspergit, dicens: *Pax et benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii,* ✠ *et Spiritus Sancti, descendat super te et maneat semper.*

CAPUT XIV.

DE BENEDICTIONE DOMORUM

3212. - De Benedictione Tempore Paschali. — Parochus, seu alius Sacerdos de Parochi licentia, superpelliceo et stola albi coloris indutus, cum Ministro deferente vas aquae benedictae in Fonte baptismali, ante infusionem Olei et Chrismatis acceptae, procedit ad domorum benedictionem.

Ingrediens domum, detecto capite, dicit: *Pax huic domui,* responso: *Et omnibus habitantibus in ea,* aspersorium accipit et aspergens loca praecipua domus dicit Antiphonam: *Vidi aquam* etc., primum Versum Psalmi 117: *Confitemini Domino* etc. Si vero domus plura loca habeat, recitat alios Versiculos praedicti Psalmi, ut in Rituali (Titul. V, cap. VII), et in fine sistens in praecipuo loco dicit: *Gloria Patri* etc.; repetita Antiphona, dicit: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, alleluia* etc., ut in Rituali. *Domine, exaudi* etc. *Dominus vobiscum. Oremus. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et sicut domos* etc.

3213. — Domorum benedictione expleta, Vice Parochus secundam facere nequit, neque quoad parochianos illam requirentes (D. 2270).

Diaconus, etiam de consensu Parochi, domos benedicere in Sabbato Sancto nequit (D. 2729). rfH

3214. - De Benedictione extra Tempus Paschale. — Parochus, seu alius Sacerdos, volens aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium aspergere aqua benedicta, extra Tempus Paschale, se ut supra gerit, sed: utitur stola coloris Officii; loco Antiphonae: *Vidi aquam* etc., dicit Antiphonam: *Asperges me* etc., et loco primi Versiculi Psalmi 117: *Confitemini Domino* etc., recitat primum Versiculum Psalmi 50: *Miserere mei, Deus* etc. Recitata Antiphona, dicit: *Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris* etc.

CAPUT XV.

DE NONNULLIS REGULIS PRO BENEDICTIONIBUS QUAE RELATIONEM CUM MISSA NON HABENT NEC PECULIAREM RITUM HABENT

3215. — « In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo et stola coloris tempori convenientis utatur, nisi aliter notetur» (Rit. Rom. Tit. VIII, cap. I, n. 6).

Semper ergo, etiam extra Ecclesiam, Sacerdos esse debet indutus saltem superpelliceo et stola; ne privatim quidem licitum est in benedictionibus Ritualis Romani uti stola absque superpelliceo (D. 3697 ad 15). Dicitur *saltem,* nam si benedictio datur quadam cum solemnitate Sacerdos uti potest etiam pluviali.

3216. — Quoad stolae colorem, nisi in liturgicis Libris designetur, regulariter respondere debet colori Officii; dicitur *regulariter* nam in benedictione in qua Exorcismi habentur, color violaceus adhibendus est, et cum natura rei benedicendae satis colorem determinat, color ille adhibeatur, v. g. in benedicenda Imagine Sancti Martyris vel Sancti Confessoris, recte color rubeus vel albus respective adhibeatur ex analogia Pontificalis Romani quod pro benedictione Imaginis B. Mariae V. album colorem iubet.

3217. — Pro huiusmodi benedictionibus lumina non praescribuntur, sed ad maiorem solemnitatem eis conferendam aliqua lumina super Altare accendi possunt.

3218. — Sacerdos «caveat, ne benedictionis causa, ponat aliquid indecens super Altare, voluti esculenta, sed quod eiusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam » (Rituale Rom.

Tit. VIII, cap. I, n. 9). Super Altaris mensam, in cornu Epistolae, poni possunt corporalia, pallae, tobaleae Altaris, sacerdotalia indumenta etc.

3219. — Materia benedicenda debet esse praesens; patet ex signis et aspersionibus quae nonnisi super praesentem materiam fieri possunt. Si agatur de populi multitudine, quae unum corpus efficit, vel de agrorum extensione etc., dummodo pars aliqua praesens sit, valida benedictio est quamvis res vel personae plures notabilius distent.

3220. — Sacerdos « stando semper benedicat, et aperto capite. In principio cuiusque benedictionis, nisi aliter notetur, dicit: *Adiutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit coelum et terram. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.* Deinde dicat Orationem propriam, unam vel plures prout suo loco notatum fuerit. Postea rem aspergat aqua benedicta, et, ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo » (1. c. n. 7).

Dum Sacerdos rem benedicit, dextera signum Crucis versus rem benedicendam facit, sinistram, si ad Altare, super mensam ponit, secus super pectus. Rem aspergit vel incensat in medio, a sinistris et a dextris suis.

3221. — In benedictionibus Sacerdotes utantur tantum illis formulis quae inveniuntur in Missali vel Rituali, non autem in aliis libris licet approbatis a locorum Ordinariis, nisi Missali et Rituali Romano conformes sint (D. 2689 ad 4); nec aliae formulae adhibendae sunt dummodo non constet eas a Sacra Rituum Congregatione approbatas fuisse (D. 2725 ad 9).

Pro unaquaque benedictione requiritur illa forma et non alia quam Ecclesia praescribit. Pro omnibus rebus, quarum specialis benedictio non habetur, adhiberi potest formula Ritualis Romani: *Benedictio ad omnia.*

PARS SEPTIMA

DE EXSEQUIIS

CAPUT I.

DE QUIBUSDAM GENERALIBUS ANIMADVERSIONIBUS

3222. — « Sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et Summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exsequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent atque usu retinere» (Rit. R. Tit. VI, cap. I, n. 1).

3223. — Postquam aliquis spiritum Creatori reddiderit, eo ipso campanae sono, pro locorum consuetudine, manifestabitur, nisi transitus Defuncti nocte acciderit, tum quippe mane signum dabitur. Diebus vero solemnioribus quibus prohibita est Missa exsequialis (v. n. 1554) signum campana non dabitur (D. 3570 ad 1).

3224. — «Sacerdos, aut cuiusvis ordinis Clericus defunctus, vestibus suis communibus, usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali, vel clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, quantum fieri potest, induatur; unusquisque autem cum tonsura et bireto » (Rit. Rom. l. c., n. 12).

3225. — Laici communibus vestibus, vel alicuius pii Sodalitii cui adscript! erant, induantur; tum Clericis tum laicis laudabiliter super pectus Crux inter manus ponatur.

3226. — « Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, idest totus ordo exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur» (C.I.C. 1215; Rit. R. 1. c., n. 4).

3227. — « Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut tam parum superest, ut consuetis impensis humari non possint, gratis omnino ac decenter funerentur et sepeliantur, cum exsequiis, secundum li*turgicas leges et* dioecesana statuta, praescriptis; ac debita lumina *suis* impensis, si opus sit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si sit, iuxta loci consuetudinem » (Rit. Rom. *l. c., n. 11).*

3228. — Exsequiae pro *Defuncto* cum *effertur* corpus non possunt expleri in Ecclesia in iis Festis in quibus Missa praesente cadavere prohibetur (v. n. *1555); et huiusmodi funera* transferenda sunt ad sequentem diem, vel saltem ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditis; abstinendo tamen, non obstante consuetudine, ab emortuali aeris campani sonitu. Neque aliqua exceptio, pro rerum adiunctis, ab hac regula dari potest, neque in iis casibus, ubi necessitas moralis funera ecclesiastica cum aliqua solemnitate peragendi se proderet; et R.mus Ordinarius pro sua prudentia provideat ut praescripta Ritualis Romani et Decreta S. R. C. observentur (DD. 3570 ad 1; 3946; 4130).

CAPUT II.

DE EXSEQUIARUM ORDINE

Articulus I.

De associatione cadaverum.

3229. — Constituto tempore quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, aliique qui funeri interesse debent, et in paroecialem vel in aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac, datis certis campanae signis, eo modo et ritu quo in eo loco fieri solet, Parochus, indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali eiusdem coloris, una cum aliis Clericis superpelliceo indutis ad domum Defuncti procedit (Rit. Rom. 1. c., cap. III, η. 1) hoc ordine:

1. Piae uniones;
2. Piae uniones primariae;
3. Confraternitates;
4. Archiconfraternitates;
5. Tertii Ordines — Cappellani superpelliceo et stola induti incedunt cum proprio sodalitio, digniori loco (D. 2635);

6. Clericus cum vasculo aquae benedictae et aspersorio;
7. Clericus Crucem deferens;
8. Clerus Regularis et Saecularis;
9. Parochus.

Si vero interfuerit Capitulum Ecclesiae Cathedralis, incedet post ipsum Parochum et in casu Dignior Capituli incedat cum stola vel etiam cum pluviali quod tamen Parochus non ferat (D. 3854 ad 3; C. I. C. 408, § 1).

Si Musicus Concentus interfuerit, incedere debet ante omnes vel saltem ante Cleri Crucem.

3230. — S. R. Congregatio declarat « Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum Cruce, quae debet esse illius Ecclesiae ad quam corpus defuncti defertur: dummodo non interveniat Capitulum Ecclesiae Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes » (D. 3854 ad I).

In itinere ab Ecclesia ad domum Defuncti ullius precis recitatio praescripta non est, sed omnes modestia et gravitate incedant.

3231. — Cum Parochus ad cubiculum Defuncti pervenerit, consistit ad pedes cadaveris et, nudato capite, aspergit cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis, nihil dicens; mox dicit sine cantu (Rit. Rom. 1. c., cap. III, η. 2; D. 4095 ad 1) Antiphonam: Si *iniquitates,* et Psalmum 129: *De pro/undis* etc. alternatim cum adstantibus, in cuius fine dicit: *Requiem aeternam * dona ei, Domine* etc. Deinde repetit Antiphonam totam: Sf *iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?*

3232. — Interea distribuantur cerei accensi et accenduntur intorticia. Tum cadaver effertur et Parochus de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiphonam: *Exaltabunt Domino* cum Psalmo 50: *Miserere mei, Deus* etc., quem alternatim cum Clero prosequitur. Si longitudo itineris postulaverit, dicantur Psalmi Graduates vel alii Psalmi ex Officio Defunctorum et in fine cuiuslibet Psalmi dicitur: *Requiem aeternam dona ei, Domine* etc.; qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad Ecclesiam.

3233. — Pannus emortualis quo feretrum cooperiendum est, nigri sit coloris, ornamenta autem sobria esse oportet (DD. 3035 ad 11; 3263; 4165 ad 5). Supra feretrum non licet imaginem Defuncti exponere (D. 3898), sed apponi possunt stemmata gentilitia et alia insignia Defuncto convenientia et non prohibita ab Ecclesia.

3234. — « Quamvis flores super cadavera ex more Christiano sobrie spargi liceat, mos tamen qui succrescit in dies congerendi super adultorum feretra flores, florumque serta, laudari nequit. Fideles ergo a vanis hisce ostentationibus prudenter arceantur eisque potius suadeatur ut sua, loco florum, in piis largitionibus, suffragiis aliisque beneficentiae operibus impendant» (Ex Decr. Concil. Venet. Prov. Secundi, n. 307).

3235. — Laicorum cadavera, quolibet generis aut dignitatis titulo praediti illi fuerint, Clerici ne deferant, sed laici (Rit. Rom. l. c., cap. I, n. 17; D. 1676; C. l. C. 1233, § 4), qui incedere debent immediate post Parochum. Ecclesiasticis et praesertim Canonicis paratis in associatione defuncti Sacerdotis, non licet deferre feretrum, nec fimbrias panni mortuarii (D. 3110 ad 15).

3236. — In associatione cadaverum Societates Catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis nequeunt praecedere Clerum cum Cruce, sed debent sequi feretrum (D. 4109).

Societates vero quae catholicae religioni non sunt manifeste contrariae et earum statuta non sunt reprobata, tum in associatione cadaverum tum in Ecclesiis admitti possunt cum insigniis et vexillis, dummodo ne ipsa vexilla et insignia aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praeseferant (D. 4390).

3237. — « Numquam admittantur societates vel insignia religioni catholicae manifeste hostilia» (C. I. C. 1233, § 2). Aliud est admittere quod significat ius conferre aut saltem licentiam concedere, aliud est passive se habere, cum Parochus vel qui funeri adsociationi praeest ad gravia mala toleranda vexilli alicuius societatis religioni catholicae manifeste hostilis delationem prohibere vel impedire nequit, sed ita passive se habet ut populus intelligat Parochum ita se gerere tantum aegro animo ad perturbationum periculum removendum (Cocchi, *Comm, in C. I.* C., Vol. V, pag. 128). Si vero haec vexilla praeseferant emblemata manifeste impia, Clerus recedere debet; si per vim in ecclesiam deferantur, tunc: Si Missa nondum inchoata sit, Clerus item recedere debet; si iam inchoata sit, ea absoluta auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate (S. Congr. S. Off. 4 April. 1887; 24 Nov. 1897; D. 4390).

3238. — Insignia et vexilla nationalia exercitus si sint benedicta admitti possunt tum in associatione tum in ecclesia, si non sint benedicta tolerari possunt ex circumstantiis quatenus absit omnino

quilibet Ecclesiae vel S. Liturgiae contemptus (S. Poenit. 4 April. 1887; S. Offic. 22 Mart. 1911).

3239. — Iter percurrendum, a domo ad Ecclesiam, brevius esse debet, servata proportione longitudinis Processionis ob numerum associationum.

3240. — Ad ingressum Ecclesiae repetitur tota Antiphona: *Exaltabunt Domino, ossa humiliata.* Deinde Ecclesiam ingressi canitur Responsorium: *Subvenite, Sancti Dei* etc., Cantore incipiente et Clero alternatim respondente.

3241. — Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita ut Defuncti pedes, nisi fuerit Sacerdos, sint versus Altare maius, si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare, et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediat, dicatur Officium Defunctorum (v. n. 739 et seqq.), in cuius fine, repetita Antiphona Cantici: *Benedictus* etc., vel absoluto tertio vel nono Responsorio, si Laudes omittantur, omnes genua flectunt et Parochus, in suo stallo item genuflexus, dicit: *Pater noster* etc., ut in Rituali Romano, Tit. VI, cap. III, n. 5.

3242. — Si vero, delato ad Ecclesiam cadavere, statim persolvi non debeant Officium et Missa, quae serius vel die sequenti habeantur, tunc, cantato Responsorio: *Subvenite* etc., dicetur: *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster* etc. cum Versiculis et Oratione ut post Officium, sed ad Orationem addatur conclusio brevis: *Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Deinde v. *Requiem aeternam dona ei, Domine,* fc. *Et lux perpetua luceat ei. y. Requiescat in pace. Amen* (Rit. Rom. Tit. VI, cap. III, n. 4; D. 4081 ad 4).

Articulus 11.

De Missa exsequiali deque Absolutione.

3243. — Dum Laudes dicuntur, vel dum Lectiones recitantur, si Laudes omittantur, Celebrans cum Ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro Defuncto ut in die depositionis in Missali Romano (v. n. 1314 et seqq.).

Si Episcopus Ordinarius Missae assistat se gerunt ut sub n. 1152.

3244. — Si sermo habendus erit in laudem Defuncti, servandae erunt ad verbum praescriptiones constitutionum synodalium; tunc

sermocinaturus, Missa finita et ante absolutionem, in habitu suo ordinario, absque cotta et stola, ascendet ad pulpitum, panno nigro coopertum, ubi, signans se Crucis signo, sermonem facit (Caer. Episc. l. II, cap. 11, n. IO; D. 2888).

Si ipse Celebrans sermonem dicat, tunc, assumpto pluviali post Missae celebrationem, accedit solus ad Presbyterii cancellos, ibique sermonem habet.

3245. — Ad Absolutiones omnes se gerunt ut in Capite XXXVI Partis III.

Si Episcopus Ordinarius Absolutionem impertiat, vide quod diximus in Capite XXIII eiusdem Partis.

Si Diaconus, de Ordinarii loci vel Parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur, exsequias peragat tam Clericis quam laicis, in associatione cadaveris et in Absolutione supra Defunctum se gerit ut Sacerdos (Rit. Rom., Tit. VI, cap. III, n. 19).

CAPUT III.

DE EXSEQUIIS PARVULORUM

3246. — « In primis curent Parochi, ut, iuxta vetustam et laudabilem ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis coemeteriorum sepulturis; sed ut pro illis in paroecialibus coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, in quibus non sepeliantur nisi infantes vel pueri, qui ante usum rationis obierint et baptizati fuerint » (Rit. Rom. Tit. VI, cap. VI, n. 1).

3247. — « Cum infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur iuxta aetatem et imponitur ei corona de floribus seu de herbis aromaticis et odoriferis in signum integritatis carnis et virginitatis » (l. c., Tit. VI, cap. VII, n. 1).

3248. — Hora praestituta qua corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocentur omnes qui funeri intéressé debent et serventur regulae traditae sub n. 3229 et seqq., sed Parochus indutus sit superpelliceo et stola albi coloris; Crux sine hasta defertur et Campanae, si pulsari solent, more festivo pulsantur.

3249. — Cum Parochus ad cubiculum Defuncti pervenerit, consistit ad pedes cadaveris et, nudato capite, aspergit corpus in medio, a sinistris et a dextris suis, nihil dicens; mox dicit Antiphonam: *Sit nomen Domini, et* Psalmum 112: *Laudate, pueri* etc. alternatim cum adstantibus. In fine dicitur: *Gloria Patri* etc. Deinde repetit totam Antiphonam: *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.*

3250. — Qua absoluta, cadaver effertur et Parochus de domo procedens intonat Psalmum 118: *Beati immaculati* etc. quem alternatim cum Clero prosequitur. Si tempus superest, dici potest Ps. 148: *Laudate Dominum de caelis* etc., in fine autem Psalmorum dicitur: *Gloria Patri* etc.

3251. — Deposito feretro cum cadavere in media Ecclesia, Parochus vel unus ex Cantoribus intonat Antiphonam: *Hic* (vel *Haec) accipiet* et Clerus alternatim cantat Psalmum 23: *Domini est terra* etc. cum *Gloria Patri* etc., in fine. Dein a Cantoribus tota Antiphona: *Hic* (vel *Haec) accipiet* etc. canitur, deinde Parochus dicit: *Kyrie, eleison,* et Clerus prosequitur: *Christe, eleison. Kyrie, eleison;* quibus absolutis, Parochus canit: *Pater noster* et omnes prosequuntur hanc orationem secreto. Parochus accepto a Clerico aspersorio, aspergit cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis quin circumeat feretrum. Reddito autem aspersorio eidem Clerico, cantat, tono feriali, Versiculos: *Et ne nos inducas in tertiationem* etc. et Orationem: *Omnipotens et mitissime Deus* etc.

3252. — Dum cadaver portatur ad tumulum, vel in eodem loco, si tunc non portatur, Parochus aut unus e Cantoribus intonat Antiphonam: *Iuvenes* etc., et canitur Psalmus 148: *Laudate Dominum de coelis* etc. cum *Gloria Patri* etc., in fine; deinde canitur integra Antiphona: *Iuvenes et virgines* etc., interim Parochus incensum in thuribulum imponit, more solito, cum benedictione, dein canit: *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster* cum reliquis in Rituali notatis Versiculis et Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.; qua absoluta, corpus ut supra aspergit et thurificat, similiter et tumulum.

3253. — Dum Clerus redit e Coemeterio ad Ecclesiam vel a medio Ecclesiae ad Altare maius procedit, Parochus vel unus e Cantoribus intonat Antiphonam: *Benedicite Dominum* et alternatim canitur Canticum trium Puerorum: *Benedicite, omnia opera* etc.; quo completo, dicitur Antiphona integra: *Benedicite Dominum* etc.

Post Antiphonam, Parochus ante Altare stans, tono feriali, canit: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Deus, qui miro ordine* etc.

Ritu expleto, omnes ordinatim in Sacristiam redeunt.

3254. — « Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono eamdem functionem peragente de Ordinarii loci vel Parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur» (Rit. Rom. Tit. VI, cap. VII, n. 5).

3255. — Nihil obstat quominus legatur vel in cantu celebretur Missa in puerorum funeribus, quae esse potest vel diei currentis, vel Missa votiva de Angelis, diebus tantum quibus permittitur Missa votiva privata (D. 3481 ad 2).

APPENDIX

DE OBITU DEQUE EXSEQUIIS EPISCOPI ORDINARII

CAPUT I.

DE OBITU EPISCOPI ORDINARII

Articulus I.

De obitu Episcopi.

3256. — « Postquam Episcopus spiritum Creatori reddiderit, Canonici qui aderunt, singuli super eum Versiculum: *A porta inferi* etc., cum Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes* etc., recitabunt » (Caer. Episc., L. II, cap. XXXVIII, n. 8).

Capitulum quamprimum de morte Episcopi certiorem faciat Apostolicam Sedem (C. I. C. 432, § 4).

Prima Dignitas Capituli mandat ut, iuxta locorum consuetudinem, dato signo cum campanis Ecclesiae Cathedralis, omnes Ecclesiae civitatis annuntient obitum Episcopi, et reliquae Dioecesis Ecclesiae cum nuntium pervenerit statim signum cum campanis dent.

Per aliam epistolam sive prima Dignitas, sive Vicarius Generalis Capitularis, si electus, tradat Clero Dioecesis dispositiones pro Episcopi exsequiis.

3257. — Interim Cubicularii et Familiares ipsius Episcopi defuncti corpus lavant et mundant. Curandum est ut cadaver conservari possit usque ad asportationem in Ecclesiam Cathedralem.

Loto et terso cadavere, Clerici Familiares, seu alii ecclesiastici viri, cum Caeremoniariis induant illud habitu praelatitio nigri coloris, si illo in functionibus pocnitentialibus et pro defunctis uteretur, alias violacei coloris, usque ad rocchettum inclusive, et capiti imponant pileolum violacei coloris. Si Episcopus fuerit S. R. E. Cardi-

nalis, tunc cadaver induunt habitu praelatitio violaceo et capiti imponunt pileolum rubri coloris.

Deinde illud induunt sacris vestibus quibus vivens induebatur dum pontificaliter erat celebraturus, scilicet: caligis et sandaliis violacei coloris, amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali ex aurichalco inaurato absque sacris Reliquiis, appensa chordulae sericae viridis coloris, stola, tunicella, dahnatica, chirothecis, planeta, manipulo violacei coloris et imponunt capiti mitram simplicem; imponunt etiam s. Pallium, si uteretur; inserunt quoque annulum et manus componunt in pectore, quas simul iungunt, et super eius pectus ponunt Crucem cum Imagine Crucifixi quam manibus teneat (Caer. Episc., L. II, cap. XXXVIII, n. 10). Si Episcopus altero Pallio in altera Ecclesia honoratus fuerit, supponatur illud eius capiti.

« Corpus sic indutum donec praeparetur lectus in aula maiori, ut infra, ponatur super aliqua mensa, seu 'in terra super tapete, cum cereis ardentibus ad caput et pedes» (/. *c.,* n. 11).

Interim aula magna domus episcopalis omni expoliatur ornamento et in eius medio praeparatur lectus panno serico nigro vel saltem laneo coopertus. Ad lecti pedes collocatur parva mensa, mundo linteo tecta, et super eam ponuntur duo candelabra cum candelis, vasculum aquae benedictae cum aspersorio, thuribulum cum navicula, pluviale et stola nigri coloris; tria superpellicea.

In eadem aula unum vel plura Altaria erigantur ut Missae in suffragium Episcopi celebrari valeant, iuxta Rubricas Missalis (DD. 3822; 4096 ad 6).

Circumcirca per totam aulam disponantur sedilia pro Clero et fidelibus. Quibus omnibus sic paratis, corpus Episcopi defuncti in dictam aulam transfertur et super lectum ponitur; ad eius pedes collocatur pileus pontificalis, floccis sericis viridibus ornatus, et hinc inde a lateribus ponuntur candelabra cum cereis, quorum numerus erit iuxta consuetudinem loci.

Articulus II.

De Vigiliis celebrandis.

3258. — Vigiliae, hoc est Vesperae et Matutinum cum Invitatorio et tribus Nocturnis cum Laudibus Defunctorum, celebrandae sunt a Religiosis quatuor Ordinum Mendicantium, si in Civitate adsint, qui invitari debent, vel ab aliis Religiosis, iuxta ordinem praecedentiae, ita ut ultimus locus dignioribus Religiosis reservetur.

Si numerus Familiarum Religiosarum satis non est, ab una Familia cantari possunt duae Vigiliae, sed in cuiusque fine Absolutio fit; si vero plures Familiae Religiosae adsint, in unius Vigiliae celebratione et in fine Absolutio impertitur a digniore Familiae dignioris.

3259. — Statuta hora, Religiosi inchoant primam Vigiliam, scilicet Vesperas pro Defunctis (v. n. 781 et seqq.).

Ad Canticum: *Magnificat* etc., omnes surgunt et dignior una cum duobus Religiosis se confert ad mensam, ad pedes lecti; dignior sumit superpelliceum, stolam et pluviale, adjuvantibus duobus Religiosis qui iam superpelliceum assumpserint. Etiam duo Clerici accedunt ad mensam et sibi induunt superpelliceum; unus accipit vasculum aquae benedictae et Rituale; alter pergit ad cubiculum aulae contiguum et sumit thuribulum cum navicula.

Dum Cantici Antiphona repetitur, primus Assistens ministrat, absque osculis, incensum digniori qui, more solito, cum benedictione imponit illud in thuribulum.

Repetita a Cantoribus Antiphona, dignior, iunctis manibus, dicit: *Pater noster,* dein accipit ab Assistente aspersorium et incipiens a parte sua dextera aspergit lectum ter in singulis lateribus tantum, ac postea, eodem modo, lectum thurificat. Si ob loci angustiam commode non possit circumiri, tunc Celebrans aspergit et thurificat cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis.

Reddito Assistenti thuribulo, stans ante mensam legit ex Rituali Versiculos et Orationem: *Deus, qui inter Apostolicos* etc.; qua absoluta, subiungit Versiculum: *Requiem aeternam* etc. Demum duo Cantores canunt: *Requiescat in pace* et omnes respondent: *Arnen.*

3260. — Celebrans dimittit pluviale, stolam, superpelliceum et cum ceteris Religiosis discedit, interim alii Religiosi succedunt pro secunda Vigilia in qua canitur Invitatorium cum tribus Psalmis primi Nocturni et lectionibus (v. n. 807 et seqq.).

Dum canitur tertium Responsorium, dignior accedit ad mensam et se ut supra gerit. Responsorio absoluto, a Cantoribus canuntur: *Kyrie, eleison* etc., dein Celebrans, iunctis manibus, dicit: *Pater noster* et se ut supra gerit.

3261. — Secunda Vigilia completa, Religiosi discedunt et vocantur alii Religiosi qui canunt secundum Nocturnum; eo absoluto, alii qui tertium Nocturnum, eodem modo et forma prout de primo dictum est, cantant. Demum ultimi et digniores Religiosi cantant Laudes, eadem forma prout decantatae fuerunt Vesperae.

Articulus III.

De Missis celebrandis durante expositione Cadaveris Episcopi.

3262. — Dum corpus Episcopi Ordinarii defuncti, sacris indutum vestibus, in propria Aedis aula publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius celebrantur, sed de Requie prohibentur:

I. - In Dominicis et Festis de praecepto licet suppressis.

II. - In Duplicibus I vel II classis etiam translatis.

III. - In Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes.

IV. - In Feria Quarta Cinerum et in Feriis Π, III et IV Maioris Hebdomadae.

V. - Infra quascumque Octavas privilegiatas etiam tertii ordinis.

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum Missa dicenda est ut in Missali sub hac die.

3263. — Privilegium celebrandi Missas dum corpus Episcopi Dioecesani defuncti sacris indutum vestibus publice et solemniter expositum iacet « ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariatibus, necnon ad Abbates ceterosque Praelatos *Nullius Dioeceseos,* jurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant Episcopi Titulares defuncti; dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem induta fuerint; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio » (D. 3822).

CAPUT II.

DE EXSEQUIIS EPISCOPI ORDINARII IN ECCLESIA CATHEDRALI PERSOLVENDIS

Articulus I.

De quibusdam generalibus animadversionibus.

3264. — Exsequiae pro defuncto Episcopo in Ecclesia Cathedrali expleri non possunt:

I. - In Festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Sacratissimi Cordis Iesu, D. N. Iesu Christi Regis, Conceptionis Immaculatae, Annunciationis et Assumptionis B. M. V., Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Joseph (19 Martii), Feria IV infra hebdomadam secundam post Pascha, in qua eiusdem S. Joseph Ecclesiae Universalis Patroni solemnitas agitur, Ss. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum et ultimo triduo Maioris Hebdomadae.

II. - In Festis Dedicationis et Tituli Ecclesiae, necnon Patroni principalis loci et, si Ecclesia pertineat ad Religiosam domum, ut saepe evenit in Abbatiis *Nullius Dioeceseos* vel in Vicariatibus Apostolicis, funus prohibetur etiam in Festis Tituli aut S. Fundatoris Ordinis, seu Congregationis.

Quando vero solemnitas alicuius Festi transfertur in Dominicam sequentem, funus nequit persolvi tantum in Dominica in qua agitur solemnitas externa.

3265. — Etsi prima Dignitas Capituli ius et officium habeat defuncto Episcopo insta funebria persolvendi, nisi aliud in statutis capitularibus caveatur (C. I. C. 397), tamen in non paucis Dioecesibus invitantur ad Episcopi exsequias Episcopi ecclesiasticae Provinciae et dignior eorum Officium exsequiale facit, atque vel ipse, vel alter Episcopus, sermonem habet de defuncto Episcopo.

Si vero agatur de funere Metropolitae, maxime decet et convenit ut Episcopi suffraganei ei intersint.

3266. — Nos igitur funus describemus ut si Episcopi ecclesiasticae Provinciae assistant et ab eorum digniore officium exsequiale

persolvatur ac vel ab eodem, vel ab altero Episcopo, sermo de defuncto Episcopo habeatur atque, servata praecedentia, a quatuor dignioribus et ab Episcopo Celebrante quinque Absolutiones peragantur.

3267. — Antequam conveniant omnes qui funeri intéressé debent, ne mora patiatur functio iam longa, Episcopi cadaver deponatur in feretro, praesente Capitulo cathedrali, et priusquam claudatur prima Dignitas absolutionem impertiat.

3268. — Cooperitur feretrum panno emortuali cuius color esse debet niger; ornamenta eius sobria esse oportet (DD. 3035 ad 11; 3263; 4165 ad 5).

Articulus II.

De iis quae praeparanda sunt.

3269. — **I. -** In Sacristia maiori, vel in Sacristia capitulari. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta, scilicet pro Presbytero Assistente: pluviale et amictus; pro Diacono: dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: tunicella, cingulum, alba, amictus.

Congruo in loco: thuribulum cum navicula; funalia pro elevatione.

II. - Ad Altare maius et super eius mensam omnia quae diximus sub n. 1094, III, sed non collocantur amictus, alba, cingulum, stola et mitra.

III. - Super abacum omnia quae sub n. **1904**, IV notavimus.

IV. - In cornu Epistolae omnia ut sub n. 1005, V.

E regione Throni collocantur scamna cum postergali panno ex lana nigri coloris contecta, cum suppedali duorum graduum cooperto tapete violacei coloris.

V. - In media Ecclesia praeparatur lectus funebris absque baldachino; si vero adsit consuetudo collocandi baldachinum, uti abusus est eliminanda (D. 3500 ad 1). Circa lectum collocantur candelabra cum intorticiis, quorum numerus erit iuxta loci consuetudinem.

In quatuor angulis ponuntur quatuor scabella nuda, etc., ut sub n. 1118, III diximus.

VI. - In Oratorio privato domus episcopalis, si non longe ab Aula in quo expositum Episcopi Cadaver, vel in decenti Cubiculo aulae magnae contiguo praeparantur, vel super Altaris mensam si in Oratorio, vel super mensam praecipuam, si in cubiculo, paramenta pro Episcopo Officiante, scilicet: pluviale et stola nigri coloris, alba, cingulum, amictus; mitra simplex in cornu Epistolae.

Super mensas disponuntur pluvialia, amictus et mitrae simplices pro Episcopis; pro quatuor dignioribus praeparantur etiam stolae.

Super aliam mensam: Rituale Romanum, Palmatoria cum candela, vimpa, vasculum aquae benedictae.

Si mos est ut unusquisque deferat candelam, congruo in loco parantur candelae pro Episcopis.

Articulus III.

In functione.

3270. — **De Episcopo celebrante.** — Episcopus celebrans, statuta hora, habitu praelatitio indutus, accedit ad domum episcopalem et se confert vel ad Oratorium privatum, vel ad cubiculum Aulae magnae attiguum, ubi, adiuvantibus duobus Assistentibus, deponit mantellettum, Crucem pectoralem, sumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram.

Invitante Caeremoniario, Episcopus celebrans, medius inter duos Assistentes, procedit ad Aulam magnam et consistit ad pedes Cadaveris; deposita mitra, aspergit Cadaver in medio, a sinistris et a dextris suis, nihil dicens; mox dicit sine cantu (Rit. Rom., Tit. VI, Cap. III, n. 2; D. 4095 ad 1) Antiphonam: *Si iniquitates,* et Psalmum 129: *De profundis* etc., alternatim cum adstantibus, in cuius fine dicit: *Requiem aeternam dona ei, Domine* etc. Deinde repetit Antiphonam totam: S/ *iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?,* ac postea accipit mitram et, si mos est, candelam. Ad nutum Caeremoniarii, Episcopus celebrans, gravi voce, intonat Antiphonam: *Exultabunt Domino.*

Deposito Feretro in media Ecclesia, Episcopus officians consistit ad eius pedes et dum repetitur: *Offerentes eam in conspectu Altissimi,* in fine Responsorii: *Subvenite* etc., imponit ac benedicit incensum, dein mitram deponit et cantat Versiculos cum Oratione: Deus, çui *inter Apostolicos* etc.; qua completa, mitram accipit, pergit ad Altare maius, reverentiam Cruci peragit et ad Faldistorium se confert. Lotis et abstersis manibus, mitram et pluviale deponit, as-

sumit tunicellam, dahnaticam etc., et se gerit ut sub n. 1097 diximus circa ea quae ad Missam pontificalem de Requie pertinent, sub n. 1016 pro Caeremoniis spectantibus ad Missam pontificalem ad Faldistorium, omissis quae respiciunt praesentiam Em.mi Cardinalis, et in Absolutione ut in Art. II Cap. XXII Partis III.

3271. — De ceteris Episcopis. — Episcopi, habitu praelatitio induti, hora statuta, se conferunt ad domum episcopalem et accedunt vel ad Oratorium privatum, vel ad cubiculum Aulae magnae contiguum, ubi, dimissis Cruce pectorali et inantelletto, assumunt amictum, Crucem pectoralem (quatuor digniores assumunt etiam stolam) et pluviale necnon mitram simplicem.

Invitante Caeremoniario, bini et bini procedunt ad Aulam magnam et se disponunt ad latera lecti funebris, ita ut digniores consistant versus pedes Cadaveris.

Quum Episcopo Officianti mitra tollitur, et ipsi mitram dimittunt eamque reassumunt postquam repetita fuerit Antiphona: *Si iniquitates* etc. Deposito Feretro in media Ecclesia, consistunt ad eius latera, ut prius. Cum vero Episcopo Officianti mitra tollitur et ipsi mitram dimittunt, quam reassumunt postquam recitata fuerit Oratio: *Deus, qui inter Apostolicos* etc., deinde accedunt ad scamna e regione Throni.

3272. — Accedente Episcopo celebrante ad Altare, Episcopi mitram dimittunt, surgunt et se gerunt ut diximus sub n. 938 etseqq., sed genuflectunt ad Orationem ante Epistolam, ad Orationem <(*Postcommunion* dictam, necnon a: *Sanctus* etc., usque ad: *Pax Domini* etc., inclusive. Ad Sequentiam caput inclinant cum mitra, dum a Choro canitur Versus: *Recordare, Iesu pie,* ad verbum: *Iesu,* et dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine,* iterum ad verbum: *Iesu.*

3273. — Si distribuendae sunt candelae, Episcopi candelam dextera tenent dum Evangelium canitur; quo absoluto, eam Cappellano tradunt; iterum, recitato: *Sanctus* etc., candelam accipiunt et dextera tenent, donec Episcopus celebrans pretiosissimum Sanguinem sumpserit.

3274. — Si sermo habendus est ab uno ex eis, tunc Episcopus sermocinaturus, invitante Caeremoniario, postquam Celebrans pretiosissimum Sanguinem sumpserit, accedit ad Sacristiam capitularem, mitram, pluviale atque stolam, si ea utatur, dimittit, deponit etiam Crucem pectoralem et amictum, réassurait mantellettum ac Crucem pectoralem; cum tempus sit, pergit ad ambonem. Post-

quam Episcopus celebrans acceperit pluviale et mitram, Episcopus sermocinaturus, non praemittens Salutationem Angelicam, sed tantum signo Crucis se muniens, sermonem incipit; quo absoluto, ad Sacristiam capitularem revertitur, ubi, dimissis Cruce pectorali et mantelletto, sumit amictum, Crucem pectoralem, stolam, si absolutionem impertiat, pluviale ac mitram simplicem et se confert ad suum locum inter ceteros Episcopos.

3275. — Ad Absolutiones Episcopi Absolventes se gerunt ut in Art. III Cap. XXII Partis III. Ceteri Episcopi accedunt et ipsi ad lectum funebrem et se disponunt in circuitu ita ut digniores Episcopo celebranti sint viciniores.

Quum Episcopo celebranti mitra aufertur, Episcopi, tradita Cappellano candela, mitram sibi ipsi detrahunt eamque Ministro tradunt. Oratione: *Non intres* etc. completa, sèdent et mitram sibi imponunt. Absolutionibus completis, ad Altare maius revertuntur, ubi mitram et paramenta dimittunt.

3276. — Si variis de causis Episcopi Cadaver in Ecclesia Cathedrali non sepeliatur, non convenit ut Episcopus celebrans ceterique Episcopi comitentur Cadaver ad Coemeterium, ut in pluribus locis evenit; tunc, finita Missa et Absolutionibus completis, ad Sacristiam capitularem procedunt.

3277. — De Presbytero Assistente. — Presbyter Assistens se aliis Canonicis conformat, sed cum ad Ecclesiam pervenerit, se confert ad Sacristiam capitularem, ubi, depositis indumentis choralibus, sumit amictum et pluviale, deinde ad Altare maius revertitur et se gerit ut in aliis Missis pontificalibus de Requie ad Faldistorium (v. post n. 1162). Missa finita, procedit ad lectum funebrem ad Episcopi dexteram et dum Episcopus celebrans aspergit et thurificat Cadaver, perstat suo in loco.

3278. — De duobus Assistentibus Episcopo officianti in associatione Cadaveris. — Duo Assistentes, statuta hora, accedunt addomum episcopalem et se conferunt vel ad Oratorium privatum, vel ad cubiculum Aulae magnae contiguum ubi superpeliicea induunt, dein Episcopum officiantem adiuvant in paramentis sumendis.

Innuente Caeremoniario, pergunt ad Aulam magnam, sustinentes pluvialis fimbrias Episcopi officiantis, et cum ad pedes Cadaveris pervenerint, Assistens secundus mitram Episcopo aufert, dein Assistens primus aspersorium ei ministrat; repetita Antiphona: *Si iniquitates* etc., Episcopo mitram imponit.

Deposito Feretro in media Ecclesia, ambo cum Episcopo celebrante consistunt ad pedes Cadaveris, et dum repetitur: *Offerentes eam* etc., in fine Responsorii: *Subvenite* etc., Assistens primus incensum Episcopo ministrat, dein alter Episcopo mitram aufert, atque decantatis verbis: *Pater noster,* Assistens primus aspersorium et thuribulum ministrat. Absoluta Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos* etc., mitram Episcopo imponit, ac postea ambo sustinentes, ut prius, fimbrias pluvialis Episcopi, procedunt ad Altare maius, ubi, Cruci reverentia peracta, ad Faldistorium se conferunt; reverentia Episcopo peracta, accedunt ad sua loca in Choro.

3279. — De Ministris sacris. — Ministri sacri, paramentis induti, absque manipulo, dum Episcopus officians, recitata Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos* etc., accedit ad Altare maius, se conferunt ad Faldistorium et ad eius latera consistunt.

Lotis et abstersis manibus ab Episcopo, Diaconus mitram ei aufert, dein, adiuvante Subdiacono, pluviale ei aufert, ac postea induit eum tunicella etc., ac se gerunt ut ad Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium (v. post n. 1162).

Ad Absolutionem Subdiaconus defert Crucem processionalem; Diaconus incedit ad Episcopi sinistram et cum pervenerit ad lectum funebrem, Episcopo sedenti mitram aufert, quam imponit postquam Episcopus recitaverit Orationem: *Non intres* etc.

Dum a Choro canitur Versiculus: *Requiem aeternam* etc. Responsorii: *Subvenite, Sancti Dei* etc., Diaconus, invitante Caeremoniario secundo, se gerit ut sub n. 1119, IV.

Dum repetitur Responsorium: *Libera me, Domine* etc., ante quintam Absolutionem, Diaconus accedit ad Episcopum celebrantem pro incensi ministratione et se gerit ut in aliis Absolutionibus.

3280. — De Caeremoniario primo. — Curet Caeremoniarius primus ut depositio Cadaveris in Feretro, tempestive, reverenter et expedite procedat ac, statuta hora, omnibus rite dispositis, Episcopus officians ceterique Episcopi paramenta assumant.

Quum vero Capitulum Cathédrale accedit ad Aulam magnam domus episcopalis, invitat Episcopos et Officiantem ad eamdem aulam.

3281. — Quum Processio ad Ecclesiam Cathedralem pervenerit, Caeremoniarius innuit Episcopo officianti et Assistentibus ut consistant in media Ecclesia, versus Evangelii latus, et, postquam Feretrum collocatum fuerit super lectum funebrem, se ad eius pedes

collocent ac Episcopus dicat: *Pater noster* etc. In fine Responsorii: *Subvenite* etc., innuit Thuriferario ut ad Episcopum accedat pro incensi ministratione.

3282. — Absoluta Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos* etc., ducit Episcopum et Assistentes ad Faldistorium et se gerit ut diximus in Art. VII Cap. XX Partis III circa ea quae spectant ad .Missam pontificalem de Requie et sub n. 1037, I pro caeremoniis respicientibus Missam pontificalem ad Faldistorium, omissis quae attinent ad praesentiam Em.mi Cardinalis.

Ad quinque Absolutiones se gerit ut sub n. 1131, sed repetito unoquoque Responsorio ad quamlibet Absolutionem, Caeremoniarius mitram Episcopo aufert quam iterum imponit decantata ab Episcopo absolvente Oratione convenienti.

3283. — De Caeremoniario secundo. — Constituto tempore quo corpus Episcopi defuncti ad Ecclesiam Cathedralem deferendum est, curet Caeremoniarius secundus ut signum cum campanis detur, iuxta loci consuetudinem.

Omnibus rite dispositis, signum ad associandum Cadaver sequenti ordine dat:

1. Piae Uniones;
2. Piae Uniones Primariae;
3. Confraternitates;
4. Archiconfraternitates;
5. Tertii Ordines;
6. Crux Ecclesiae Cathedralis;
7. Sodales Religionum laicalium;
8. Mendicantes;
9. Monachi;
10. Canonici Regulares;
11. Ceteri Regulares;
12. Sodales Congregationum iuris pontificii;
13. Sodales Congregationum iuris dioecesani;
14. Clerici Seminarii;
15. Sacerdotes;
16. Collegium Parochorum;
17. Capitula Collegialia non insignia;
18. Capitula Collegialia insignia;
19. Clerus et Beneficiarii Ecclesiae Cathedralis;
20. Capitulum Cathédrale.

3284. — Sacra Rituum Congregatio declaravit « Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum Cruce, quae debet esse illius Ecclesiae ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum Ecclesiae Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes » (D. 3854 ad 1).

In itinere ab Ecclesia ad domum defuncti ullius precis recitatio praescripta non est, sed omnes modestia et gravitate incedant.

3285. — Ordo a domo episcopali ad Ecclesiam Cathedralem idem est ut sub n. 3283, praeterea:

21. Episcopi;
22. Episcopus officians, medius inter Assistentes;
23. Minister de mitra;
24. Ministri libri et candelae;
25. Familiares Episcopi officiantis;
26. Feretrum delatum a quatuor Presbyteris superpelliceis tantum indutis, non vero sub baldachino (D. 568);
27. Familiares Episcopi defuncti, quorum unus defert pileum pontificalem;
28. Magistratus et Officiales Civitatis;
29. Laici; viri a feminis separatim incedant.

3286. — Societates vero quae catholicae religioni non sunt manifeste contrariae et earum statuta non sunt reprobata, tum in associatione cadaverum, tum in Ecclesiis admitti possunt cum insigniis et vexillis, dummodo ne ipsa vexilla et insignia aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praeseferant (D. 4390).

3287. — Insignia et vexilla nationalia exercitus, si sint benedicta admitti possunt tum in associatione tum in Ecclesia; si non sunt benedicta tolerari possunt ex circumstantiis, quatenus absit omnino quilibet Ecclesiae vel S. Liturgiae contemptus (S. Poenitent. 4 Aprilis 1887; S. Off. 22 Mart. 1911).

3288. — Iter percurrendum, a domo ad Ecclesiam, brevius esse debet, servata proportione longitudinis Processionis, ob numerum Collegiorum participantium.

3289. — Quum Processio ad Ecclesiam Cathedralem pervenerit, Caeremoniarius innuit Canonicis Ecclesiae Cathedralis et Episcopis, ut consistant in media Ecclesia.

3290. — Dum Episcopus manus lavat, Caeremoniarius suppedaneum conscendit et Clericis paramenta tradit, deinde se *gerit* ut in Art. VII Cap. XX Partis III circa ea quae spectant ad Missam pontificalem de Requie et sub n. 1037, II pro caeremoniis respicientibus Missam pontificalem ad Faldistorium, omissis quae attinent ad Em.mi Cardinalis praesentiam.

Ad Absolutiones se gerit ut sub n. 1132 et seqq.

3291. — De Ministris inferioribus. — In Oratorio privato domus episcopalis, vel in cubiculo aulae magnae contiguo, Minister mitrae sumit vimpam, Minister libri accipit Rituale, Minister candelae palmatoriam, Acolythus vasculum aquae benedictae et, cum tempus sit, procedunt cum ceteris ad aulam magnam. Acolythus consistit ad dexteram primi Assistentis; Minister mitrae accipit a secundo Assistente mitram quam porrigit primo, repetita Antiphona: *Si iniquitates* etc. Ministri libri et candelae accedunt ad Episcopum, asperso Cadavere, et ab eo recedunt postquam repetita fuerit Antiphona: *Si iniquitates* etc.

3292. — Quum Processio ad Ecclesiam Cathedralem pervenerit, **Tliuriferarius** procedit ad Sacristiam, accipit thuribulum cum navicula et se confert apud lectum funebrem; dum repetitur: *Offerentes earn in conspectu Altissimi,* in fine Responsorii: *Subvenite* etc., accedit ad Episcopum pro incensi ministratione.

Completo Responsorii cantu, Minister mitrae a secundo Assistente mitram accipit; thurificato Cadavere, Ministri libri et candelae ad Episcopum accedunt et ab eo recedunt, absoluta Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos* etc., tunc Minister mitrae primo Assistenti eam porrigit.

3293. — Omnes Ministri inferiores, circa ea quae spectant ad Missam pontificalem de Requie, se gerunt ut diximus respective suis in locis in Art. VIII Cap. XX Partis III et pro caeremoniis respicientibus Missam pontificalem ad Faldistorium ut in Art. X Cap. VII eiusdem Partis, omissis quae ad Em.mi Cardinalis praesentiam attinent.

CAPUT III.

DE ANNIVERSARIO EPISCOPI ORDINARII PROXIME DEFUNCTI DEQUE ANNIVERSARIO OMNIUM EPISCOPORUM OMNIUMQUE ECCLESIAE CATHEDRALIS CANONICORUM

3294. — Singulis annis celebrandum est ab Episcopo Anniversarium pro anima Praedecessoris sui qui decessit Cathedram tenens

(Caer. Episc. L. Π, cap. XXXVI, n. 1; D. 2682 ad 18) et Ecclesiae Cathedralis Canonici huic assistere tenentur absque ulla retributione (D. 2151).

Episcopus Missae solernni de Requie assistit cappa indutus (v. n. 1148 et seqq.). Post Missam sermo habendus non erit; Episcopus vero Absolutionem impertit (Caer. Episc. /. *e,, n. 3) (v.* n. 1141 vel 1142).

3295. — Aliquo die non impedito, infra octavani Omnium Fidelium Defunctorum, arbitrio Episcopi, celebrandum est Anniversarium pro animabus omnium Episcoporum et Ecclesiae Catliedralis Canonicorum defunctorum. Episcopus assistit cappa indutus et in fine Absolutionem impertit (Caer. Episc. L. II, cap. XXXVII, π. I).

INDICES

1.

INDEX ALPHABETICUS

Numeri indicant textus numeros marginales

A

Abbas - usum pontifical, habens - de cius benedict, peragenda - in Eccl. Cath. - privatim 2870-2882.
----------solemniter 2855-2868.
----------in Eccl. Electi 2884, 2885.
Abbates - de plurium eorum benedictione 2886.2889.
Abbates Assistentes - in benedict. Abbatis persolvenda - in Eccl. Cath. - privatim 2871, II.
---------- solemniter 2859.
------ in Eccl. Electi 2884.
— in benedict, plur. Abbatum 2888.
Abbates Nullius defuncti - privilegium celebrandi Miss, dum eorum cadavera exposita iacent 3263.
Abbatlalis benedictio in ea Praelatis saecularibus Impertienda nihil innovetur ut in Pontificali, sed singulis vicibus ad S. R. C. recurrendum est 2854.
Acolythi - quomodo se gerere debent in sua ordinatione 2609-2611; 2614; 2626-2628.
— loco parvi candelabri cum candela in Ordinatione non est cis porrigenda bugla 2565.
Acolythus - in benedict. Abbatis habenda - privatim 2880.
----------solemniter 2868, I.
--------Campanae peragenda - ab Episc. 3128, III.
----------a Sacerd. 3202.
--------plur. Camp. 3129.
--------Coemeterii peragenda - ab Episc. 3089. I.
----------a Sac. 3179.
--------Ecclesiae 3073, V.
— in consecrat. - Altaris fixi 2995, II.
----------cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3031, III.
--------plur. Alt. fix. 3012.
--------Altaris portatilis 3050, II.
--------Ecclesiae 2966.
--------Episcopi peragenda - privatim 2754.
----------solemniter 2738, I.
— in coronat. Imag. B. M. V. 3149.
— in exequils Episc. Ordin. 3291-3293.
— in eius ordinat. Episc. ipsi tradere debet candelabrum cum candela, non *bngia* seu palmatoria 2565.
— in s. ordinat, gen. - in Dom. et Fest. de praecep. 2652.
--------In Sabb. - ante Dom. Pass. 2647, I.
----------Quat. Temp. 2647, I.
---------- Sancto 2649, 2650.
— in s. ordinat, partie. 2679-2•si
— in reconcil. Coemet. - ab Episc. peragenda 3107, V.

et Eccl. peragenda – ab Episc. 3108.
— a Sacerd. 3189.
in reconcil. Eccl. – peragenda ab Episc. 3102, II.
--------benedictae 3182, VI.
Adulti – de Baptismo eis administrando – ab Episc. 2540-2551.
--------a Sacerd. 2787-2791.
Alphabetum graecum et latinum – eius schema pro Eccl. consecrat. 2917.
Altare exeeratum – ob amotionem – operculi sepulcri – de eius consecrat, peragenda – ab Episc. 3036. 3037.
----------a Sacerd. 3167, 3168.
— Reliquiarum – de eius consecrat, peragenda – ab Episc. 3036, 3037.
----------a Sacerd. 3167, 3168.
— ob fractionem – enormem – de eius consecrat, peragenda – ab Episc. 3036, 3037.
— — — — a Sacerd. 3167, 3168.
--------operculi sepulcri – de eius consecrat, peragenda – ab Episc. 3036, 3037.
---------- a Sacerd. 3167, 3168.
— ob separationem mensae a stipite – de eius consecrat, peragenda – ab Episc. 3034, 3035.
----------a Sacerd. 3165, 3166.
Altare fixum – de eius consecrat. 2971-2998.
— cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis – de eius consecrat. 3015-3033.
— de plur. Alt. fixor. consecrat. 2999-3014.
Altare portatiie – de cius consecrat, peragenda – privatim 3053-3057.
--------solemniter 3038-3052.
— de plur. Alt. port, consecratione peragenda – privatim 3063.
--------solemniter 3058-3062.
Anniversarium – Episc. proxime defuncti – singulis annis celebrandum est ab Episc. 3294.
--------ei assistere Canonici tenentur absque ulla retributione, *ibi.*
— omnium Episc. et Eccl. Cath. Canonicor. defunct, celebrandum est infra Oct. Omn. Fidel. Defunct. 3295.
Aqua benedicta – de eius Ministro – in bened. – Campanae quae pro Eccl. consecrata non inserviat 3204, VII.
----------Ecclesiae peragenda – ab Episc. 3132, IX.
---------- a Sacerd. 3164.
---------- lapidis primar. pro Eccl. aedificanda, a Sac. peragenda 3153, III.
------- in consecrat. – Alt. fixi 2996, 1.
---------- culus sepulcr. est In medio summit, stipitis 3031, IV.
---------- Alt. portatilis 3050, III.
---------- plur. Alt. fixor. 3013, 1.
---------- Ecclesiae 2967.
--------in coronat. Jmag. B. M. V. 3208, V.
--------in reconcil. – Coemet. – peragenda – ab Episc. 3107, VI.
---------- a Sac. 3188, VI.
----------et Eccl. – peragenda – ab Episc. 3108.
---------- a Sacerd. 3189.
---------- Eccl. – ab Episc. peragenda 3102, III.
---------- consecratae 3186, IV.
Archidiaconus – in Eccl. consecratione 2944, I.
— in s. Ordinatione – cum Missa lecta superpelliceo induere debet 2661.
--------ipse ducit Ostiarios ad Eccl. portam et ad turrim Campanar. 2578.
--------generali – in Domin. et Festis de praecep. 2652.
----------in Sabb. – ante Dom. Pass. – habenda – privatim 2661, 2662.
---------- solemniter 2576-2583.
---------- Sancto habenda privatim 2678.
---------- solemniter 2649, 2650.
--------particulari 2679-2683.
Aspersio – in Eccles, consecrat. – modus procedendi in aspers. parietum – extrinsecus 2946.
---------- interius 2948.
--------modus procedendi in aspers. pavimenti 2949.
Assistentes Canonico administranti S. Viaticum Episc. decumbenti 2843-2845.
Assistentes Episcopo – Baptismum administranti – adultis 2547-2549.
--------infantibus 2531-2533.
— in bened. – Abbatis privatim persolvenda 2872.
--------Campanae quae pro Eccl. non consecrata vel Oratorio inserviat 3132, II.
--------Ecclesiae 3069.
--------lapidis primar. pro Eccl. aedific. 2896.
— Confirmationem administranti 2553, II.
— in consecrat. – Alt. portatil. peragenda – privatim 3056.
--------solemniter 3043-3044.

------ plur. Alt. portatil. peragenda – privatim 3063.
---------- solemniter 3062.
— Episcopi peragenda privatim 2746.
— in Matrimonii celebratione 2776-2777.
— in s. Ordinat, generali – in Sabbato – ante Dom. Pass. 2663-2675.
---------- Quat. Temp. 2663-2675.
---------- Sancto 2678.
— in s. Ordinat, particulari 2679-2683.
— Officlantl in exequiis Episc. Ordin. 3278.
Assistentes Sacerdoti – Baptismum administranti adultis 2789.
— in bened. – Campanae – pro Eccl. non consecrata 3205, II.
---------- non ad usum Eccl. 3206.
-------Coemeterii 3171.
-------Ecclesiae 3156-3159.
-------lapidis prirnar. pro Eccl. aedificanda 3153, II.
— Confirmationem administranti 2795, II.
— in reconcil. – Coemeterii 3188, II.
-------Ecclesiae – benedictae 3182, II.
----------consecratae 3185.
----------et Coemeterii 3189.
Associatio Cadaverum – 3229-3242.

B

Baculus pastoralis – Episc. eo utitur ad bened. in fine Missae lectae post Eccl. consecrat. 2935, 1, b.
— de eius Ministro – in Baptismi administratione – adultis 2550-2551.
----------infantibus 2534-2539.
-------in bened. – Abbatis peragenda – privatim 2876.
----------solemniter 2866, II.
----------Campanae pro Eccl. – consecrata 3127, III.
----------non consecrata 3132, VI.
----------Coemeterii 3087, III.
----------Ecclesiae 3073, IV.
----------lapidis primar. pro Eccl. aedificanda 2903, II.
-------in Confirmationis administratione 2553, IV.
------- in consecrat. – Altaris fixi 2993, II.
----------cuius sepulcr. est in medio summitatis stipitis 3030, II.
---------- plur. Alt. fixorum 3010, III.
---------- Altaris portatilissolemn. 3049, II.
---------- Ecclesiae 2963, II.
---------- Episcopi peragenda – privatim 2751.
— solemniter 2736, II.
in coronat. Imag. B. M. V. 3148.
--------fn Matrimonii assistentia 2778.
--------in S. Ordinat. – in Dom. et Festis de praecep. 2652.
— — — in Sabb. ante Dom. Pass. habenda – privatim 2676, III.
----------solemniter 2646, II.
----------Quat. Temp, habenda – privatim 2676, III.
----------solemniter 2646, II.
----------Sancto habenda – privatim 2678.
----------solemniter 2649, 2650.
--------in reconcil. – Coemeterii 3107, III.
----------Ecclesiae 3101, III.
----------et Coemeterii 3108.
Baptismum solemne – adultis administrandum – ab Episc. 2540-2551.
--------a Sacerd. 2787-2791.
— infantibus administrandum – a Diacono; *post n.* 2781.
--------ab Episc. 2526-2539.
--------a Sacerd. 2780-2784.
— ordo supplendi caeremonias super – adultum 2792-2793.
--------infantem 2785-2786.
Benedictio – in ea impertienda – Sacerdos utatur tantum formulis quae in Miss, et in Rituali inveniuntur 3221.
--------lumina non praescribuntur 3217.
--------materia benedicenda praesens esse debet 3219.
--------stolae color 3215, 3216.
--------superpelliceo semper Sacerdos utatur 3215.
Benedictio Abbatis – in ea Praelatis saecularibus impertienda nihil innovetur ut in Pontif., sed singulis casibus ad S. R. C. recurrendum est 2854.
— peragenda – privatim 2870-2883.
--------solemniter 2855-2868.
--------in Ecclesia Electi 2884, 2885.
— plur Abbat. impertienda 2886-2889.
Benedictio Campanae – solemniter peragenda – ab Episc. 3109-3128.
--------a Sacerd. 3190-3203.
— breviori Ritu peragenda – ab Episc. 3131, 3132.
--------a Sacerd. 3204, 3205.
— quae ad usum Eccl. non inserviat 3206.
— plur. Camp, impertienda 3129, 3130.
Benedictio Coemeterii peragenda ab Episc. 3075-3090.
— a Sacerd. 3169-3180.
Benedictio coementi – pro firmando lapide sepulcri Altaris portatilis eadem est pro consecrat. Alt. fixi 3046.

Benedictio Domorum - temp, pasch. 3212, 3213.
— extra tcmp. pasch. 3214.
Benedictio novae Ecclesiae - impertienda - ab Episc. 3064-3073 - a Sacerd. 3154-3164.
Benedictio lapidis primarii pro Eccl. aedif. Impertienda - ab Episc. 2891-2904.
— a Sacerd. 3152, 3153.
Benedictio Mulieris post partum 3210, 3211.
— ad illam ius tantum quae ex legit. Matrim. pepererunt 3209.
Benedictiones Nuptiales 2830-2832.
Bugia - loco parvi candelabri cum candela non est tradenda Ordinandis ad Officium Acolythorum 2565.

C

Cadaver - de eius associatione 3229-3242.
Caeremoniae - ordo eas supplendi super Baptizatum - adultum 2792, 2793.
--------infantem 2785, 2786.
Caeremoniarius - in Baptismo administrando - ab Episc. - adultis 2550, 2551.
----------infantibus 2534-2539.
--------a Sacerd. adultis 2790.
— in bened. - Campanae - peragenda - ab Episc. 3122-3125.
---------- a Sacerd. 3196-3197.
----------pro Eccl. non consecrata peragenda - ab Episc. 3131, 3132.
----------a Sacerd. 3204, 3205.
----------quae ad Eccl. usum non inserviat 3206.
--------plur. Camp. 3129, 3130.
--------Coemeterii impertienda - ab Episc. 3078-3086.
----------a Sacerd. 3172-3175.
--------Ecclesiae impertienda - ab Episc. 3070 3071.
----------a Sacerd. 3160.
--------lapidis primar. pro Eccl. aedif. impertienda - ab Episc. 2897-2901.
----------a Sacerd. 3152, 3153.
— in Confirmationis administratione 2553, 111.
--------celebrante Sacerd. 2795, 111.
— in consecrat. - Altaris - execrati peragenda - ab Episc. 3034-3037.
----------a Sacerd. 3165-3168.
----------fixi 2989.
---------- cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis, 3028.
--------plur. Alt. fixor. 3009.
--------Altaris portatil. peragenda - privatim 3053-3057.
---------- solemniter 3046-3047.
--------plur. Alt. portatil. peragenda - privatim 3063.
---------- solemniter 3058-3062.
— in coronat. Imag. B. M. V. a Saceîd. peragenda 3208, III.
— in Matrimonio coram Episc. 2778.
— in s. Ordinat, generali privatim habenda in Sabbato - ante Dorn. Pass. 2676, I.
--------Quat. Temp. 2676, 1.
-------- Sancto 2678.
— in reconcil. - Coemeterii peragenda - ab Episc. 3106, I.
---------- a Sacerd. 3187, 3188.
--------Coemet, et Eccl. peragenda - ab Episc. 3108.
---------- a Sacerd. 3189.
--------Ecclesiae - peragenda ab Episc. 3097-3099.
----------benedictae peragenda a Sacerd. 3181, 3182.
----------consecratae peragenda a Sacerd. 3186, I.
Caeremoniarius primus - in bened. - Abbatis peragenda - privatim 2873.
---------- solemniter 2864, I.
---------- in Eccl. Electi 2884.
--------plur. Abbat. 2887.
— in consecrat. - Ecclesiae 2945-2953.
--------Episcopi peragenda - ab Episc. extraneo - in Eccl. Electi 2759.
---------- extra Eccl. Elect. 2761.
---------- ab Episc. Ordin. - privatim 2747.
---------- solemniter 2726-2732.
---------- a Mctropolita in Eccl. Electi 2758.
--------Episcopi dignitate cardinal, insigniti 2763.
---------- peragenda a Cardinali 2762.
--------plur. Episc. 2765-2773.
— in coronat. Imag. B. M. V. 3146-3147
— in excquiis Episc. Ordin. In Eccl. Cath. 3280-3282.
— in Extremae Unet, administratione Episcopo 2852.
— in S. Viatici administratione Episcopo 2846.
— in s. Ordinat, generali solemniter habenda - in Dom. et Fest. de praecep. 2652.
--------in Sabb. - ante Dom. Pass. 2634.
----------Quat. Temp. 2634.
----------Sancto 2649-2650.
— In s. Ordinat particulari 2679-2683.
Citretnonlarius secundus - in bened. - Abbatis solemniter peragenda 2864, II.
---------- in Eccl. Electi 2884.
— — plur. Abbat. 2888.
— in consecrat. - Ecclesiae 2954-2961.
------Episcopi peragenda - ab Episc extraneo - in Eccl. Electi 2759.
----------extra Eccl. Electi 2761.
---------- ab Episc. Ordin. solemniter 2733.
---------- a Mctropolita in Eccl. Electi 2758.
------dignitate cardinality insigniti 2763.
---------- peragenda a Cardinali 2762.
------plur. Episc. 2765-2773.
— In excquiis Episc. Ordin. in Eccl. Cath. 3283-3290.
— in Extremae Unet, administratione Episcopo 2852.
— in S. Viatici administratione Episcopo 2847, 2848.
— in s. Ordinat, generali solemniter habenda - in Dom. et Festis de praeccpt. 2652.
------in Sabb. - ante Dom. Pass. 2635-2639.
---------- Quat. Temp. 2635-2639.
---------- Sancto 2649, 2650.
— in s. Ordinat, particulari 2679-2683.
Caeremoniarius tertius seu Electi - In Abbatem - in benedict, eiusdem peragenda - privatim 2874.
---------- solemniter 2864, III.
---------- in Eccl. ipsius Electi 2884.
------ in bened. plurium Abbat. 2889.
— In Episcopum - in consecrat, eiusdem peragenda - ab Episc. extraneo - in Eccl. Electi 2759.
----------extra Eccl. Electi 2761.
----------ab Episc. Ordin. - privatim 2748.
----------solemniter 2734.
----------a Mctropolita in Eccl. Electi 2758.
------ dignitate cardinallt. insigniti, in consecrat, eiusdem 2763.
---------- peragenda a Cardinali 2762.
Cadaver - associatio Cadaverum 3229-3242.
— Episcopi Ordin. - curandum est ut illud conservari possit usque ad asportat, in Eccl. Cath. 3257.
------ illud Clerici Familiares paramentis pontlf. violaceis induant, *ibi.*
— laid - Clerici ne deferant 3235.
— Sacerdotis - Ecclesiasticis paratis illud deferre non licet, *ibi.*
Campana - de eius bened. - solemniter peragenda - ab Episc. 3109-3128.
— — — a Sacerd. 3190-3203.
--------breviori Ritu peragenda - ab Episc. 3131, 3132.
----------a Sacerd. 3204, 3205.
— quae ad Eccl. usum non inserviat; de eius bened. 3206.
--------plur. Camp. 3129, 3130.
— si nulla adsit campana pro Ordinatione ad Officium Ostiariorum sufficit etiam tintinnabulum 2578.
— eius sono Defunctorum transitus manifestabitur diebus exceptis solemnioribus 3223.
Candela - sufficit ut unus ex Ordinatis eam accensam Episcopo offerat 2626.
— de eius Ministro - in Baptismi administratione - adultis 2550, 2551.
----------infantibus 2534-2539.
--------in benedict. - Abbatis peragenda - privatim 2877.
----------solemniter 2865.
----------Campanae pro Eccl. - consecrata 3127, I.
---------- non consecrata 3132, IV.
----------Coemeterii 3087, I.
----------Ecclesiae 3073, II.
----------lapidis primar. pro Eccl. aedif. 2902.
--------in Confirmationis administratione 2553, IV.
--------in consecrat. - Altaris fixi 2992.
---------- cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3029.
----------plur. Ait. fixorum 3010, I.
----------Altaris portat, solemniter peragenda 3048.
— --------Ecclesiae 2962.
----------Episcopi peragenda - privatim 2749.
---------- solemniter 2735.
--------in coronatione Imag. B. M. V. 3148.
--------in excquiis Episcopi Ordin. 3291-3293.
--------in Matrimonii celebratione 2778.
--------in s. Ordinat. - In Dom. et Fest. de pracc. 2652.
---------- in Sabb. - ante Dom. Pass, habenda - privatim 2676, IV.
---------- solemniter 2640-2645.
---------- Quat. Tcmp. habenda - privatim 2676, IV.
---------- solemniter 2640-2645.

---------- Sancto habenda – privatim 2678.
---------- solemniter 2649, 2650.
------- in reconcil. – Coemeterii 3107, I.
----------Ecclesiae 3101, I.
---------- et Coemeterii 3108.
Canonici – annivers. pro anima Episc. ult. defuncti assistere tenentur absque retributione 3294.
— in benedict. Abbatis 2863.
— in consecrat. Episcopi 2724.
— in s. Ordinatione 2629-2631.
Canonici Assistentes Episcopo – Baptismum administranti – adultis 2547-2549.
--------infantibus 2531-2533.
— in benedict. Abbat. privatim persolvenda 2872.
— Confirmationem administranti 2553, II.
— in consecrat. Episcopi privatim peragenda 2746.
— in Matrimonii celebratione 2776, 2777.
— in s. Ordinat, cum Missa lecta-superpelliceum induere debent 2661.
--------in Sabb. ante Dorn. Pass. 2663-2675.
---------- Quat. Temp. 2663-2675.
---------- Sancto 2675.
Vide etiam: Assistentes Episcopo.
Canonici defuncti – eorum Anniv. celebrandum est infra Oct. Omn. Fidel. Defunct. 3295.
Canonicus administrans – Episcopo decumbenti - Extremam Unctionem 2852.
— S. Viaticum 2838-2842.
Cantores – in benedict. – Abbatis 2863.
--------Campanae 3126.
----------ad usum Eccl. non consecratae 3132, 111.
--------Coemeterii peragenda – ab Episc. 3090.
— — — a Sacerd. 3176.
--------Ecclesiae 3072.
--------primar. lapidis pro Eccl. aedific. peragenda – ab Episc. 2904, III.
---------- a Saced. 3153, IV.
— in consecrat. – Altaris – fixi 2997.
----------cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3032.
--------plur. Alt. fix. *post n.* 3013.
----------portatilis 3051.
--------Ecclesiae 2969.
--------Episcopi 2725.
— in coronatione Imag. B. M. V. 3151.
— in s. Ordinatione 2632.
— in reconcil. – Coemeterii 3106, II.
-------- Ecclesiae 3100.
---------- et Coemeterii 3108.
-------- Ecclesiae benedictae a Sacerd. peragenda 3182, III.
Cappellanl inservientes – Abbatibus Assistentibus – in bened. Abbatis peragenda – privatim 2878.
---------- solemniter 2867, I.
— Electo – in Abbatem – in eius bened. peragenda – privatim 2879.
---------- solemniter 2867, II.
-------- in Episcopum – in eius consecrat, peragenda – privatim 2753.
---------- solemniter 2737, II.
— Episcopis Assistentibus – in consecrat. Episc. peragenda – privatim 2752.
---------- solemniter 2737,1.
Cardinalis electus in Episcopum – de eius consecrat, peragenda – ab altero Cardinali 2762.
-------- ab Episc. dignitate cardinalit. non insignito 2763.
Celebrans (Sacerdos) – administrans Baptismum – adultis 2788.
-------- infantibus 2781.
— in benedict. – Campanae 3192-3194.
---------- pro Eccl. non consecratae 3205,1.
---------- non ad Eccl. usum 3206.
-------- Coemeterii 3170.
-------- Domorum – extra temp, pasch. 3214.
---------- temp, pasch. 3212.
-------- Ecclesiae 3155.
--------Lapidis primar. pro Eccl. aedif. 3153, I.
— in coronat. Imag. B. M. V. 3208, II.
— Matrimonium assistens 2828.
— in Missa cum benedict, nuptialibus 2830.
--------Mulieris post partum 3211.
— in benedictionibus extra Missam - utatur superpelliceo et stola, nisi aliter notetur 3215.
--------formula utatur quae in Missali et Rituali Rom. invenitur 3221.
-------- semper stat aperto capite 3220.
— in caeremoniis supplendis super Baptizatum – adultum 2793.
--------infantem 2786.
— in Confirmationis administratione 2795, 1.
— in consecrat. Altaris exeerati 3166; 3Igg.
— in coronatione Imag. B. M. V. 3208, I.
— in exequils 3229-3242.
--------parvulorum 3248-3253.
— in reconciliatione – Coemeterii 3188, I.

------Ecclcsiac – benedictae 3182, I.
---------- consecratae 3184.
---------- et Coemeterii 3189.
CeroTerarii – in benedict. – Abbatis 2868, 111.
------Campanae peragenda – ab Episc.
• pro Eccl. consecrata 3128, II.
---------- pro Eccl. non consecrata 3132, VII.
----------a Sacerd. 3200.
---------- pro Eccl. non consecrata 3205, V.
------ plur. Campanarum 3129.
------ Coemeterii peragenda – ab Episc. 3088.
---------- a Sacerd. 3177.
------ Ecclesiae peragenda – ab Episc. 3073, I.
----------a Sacerd. 3162.
------ Lapidis primar. pro Eccl. aedif. peragenda – ab Episc. 2904, I.
----------a Sacerd. 3153, III.
— in consecrat. – Altaris fixi 2994.
---------- cuius sepuicr. est in medio summitatis stipitis 3031, I.
------ plur. Altarium fixorum 3110, IV.
------ Ecclesiae 2964.
------ Episcopi 2738, III.
— In exequiis Episc. Ordin. 3293.
— In s. Ordinat, generali – in Domin. et Fest. de praecepto 2652.
------ In Sabbato – ante Dorn. Pass. 2647, III.
---------- Quat. Temp. 2647, III.
---------- Sancto 2649.
— in s. Ordinat, particul. 2679-2683.
— in reconciliatione – Coemeterii – peragenda – ab Episc. 3107, IV.
---------- a Sacerd. 3188, IV.
---------- et Eccl. peragenda – ab Episc. 3108.
---------- *a* Sacerd. 3189.
------ Ecclesiae – ab Episc. peragenda 3102, I.
---------- benedictae peragenda a Sacerd. 3182, IV.
Clavis – saltem duae porrigendae sunt Ordinandis ad Offic. Ostiariorum 2561.
— non est stricte necessarium ut Ordinati ad Officium Ostiariorum ea utantur ad claudendam et aperiendam portam 2613.
Clerici inservientes – in administrat. Baptismi solemn, peragenda – ab Episc. -adultis 2550, 2551.
----------infantibus 2534-2539.
— in benedict. Abb. peragenda – privatim 2882.
--------solemniter 2868, V.
— In Confirmationis administrat solemniter peragenda – ab Episc. 2553, IV.
--------a Sacerd. 2795, IV.
— in benedict, primar. lapidis pro Eccl. aedif. peragenda – ab Episc. 2904, II.
--------a Sacerd. 3153, III.
— in consecrat. – Altaris fixi 2996, II, III.
----------cuius sepuicr. est in medio summit, stipitis 3031, V, VI.
--------plur. Alt. fixorum 3013, II, III.
--------Ecclesiae 2968.
--------Episcopi peragenda-privatim 2756.
----------solemniter 2738, V.
— in Matrimonii celebratione coram Episcopo 2778.
Clericus inserviens – in Baptismi admInistr. solemniter peragenda a Sacerd. – adultis 2791.
— infantibus 2782-2784.
Coementum – pro firmando lapide sepulcri Altaris portatilis, benedicendum est ritu praescripto pro consecrat. Altaris fixi 3046.
Coemeterium – de eius benedict, peragenda – ab Episc. 3075-3090.
--------a Sacerd. 3169-3180.
— de eius reconciliatione peragenda – ab Episc. 3103-3107.
--------a Sacerd. 3187, 3188.
--------una cum Ecclesia – ab Episc. 3108.
----------a Sacerd. 3189.
Communio (s.) – administratio – eius ordo extra Miss. 2796-2803.
--------ad Chori fenestellam 2804.
--------infirmis 2806-2816.
--------Diaconus se gerit ut Sacerdos, adhibita tamen stola transversa; *post n.* 2805.
--------de usu parvae patinae 2797.
— Episc. eam administrans – omnibus Ordinatis, exceptis Presbyteris, profert peculiarem formulam 2574.
--------Presbyteris novis efficit Crucem cum s. Particula, sed nullam profert formulam, *ibi.*
Confirmatio – eius Ritus – solemnls 2552, 2553.
--------minus solemnls, 2554.
--------quando a Sacerd. ministratur 2794, 2795.
Consecratio Altaris – exeerati peragenda – ab Episc. 3034; 3037.
------- a Sacerd. 3165-3168.
— fixi 2971-2998.

--------cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3015-3033.
— plur. AIL fixorum 2999-3014.
— portatilis peragenda – privatim 3053-3057.
--------solemniter 3038-3052.
— plur. Alt. portatilium peragenda – privatim 3063.
--------solemniter 3058-3062.
Consecratio Cardinalis Electi in Episcopum peragenda – ab altero Cardinali 2762.
— ab Episc. dignitate cardinalitia non insignito 2763.
Consecratio Ecclesiae 2908-2970.
Consecratio Episcopi peragenda – privatim 2740-2756.
— solemniter 2688-2738.
— ab Episc. extraneo – in Eccl. Electi 2759.
--------extra Eccl. Electi 2761.
— a Metropolita in Eccl. Electi 2758.
— plurium Episcoporum 2764-2773.
Coronatio Imaginis B. M. V. – peragenda – ab Episc. 3133-3151.
— a Sacerd. 3207, 3208.
Cruces – pro Ecclesiae consecratione – de earum materia et dispositione 2911, 2, 1.
--------nequeunt evelli, expleta consecrat., *ibi.*
--------earum unctio incipere debet a parte Evang. 2950.
— quinque incensi granis – in eis formandis et Crucibus e gossypio cerato imponendis in consecrat, plur. Alt. portatil. Episc. adiuvari potest a Sacerdotibus 3062, III.
Crucifer – in benedict. – Campanae peragenda – ab Episc. pro Eccl. consecrata 3128, II.
----------pro Eccl. non consecrata 3132, VII.
–– — — a Sacerd. 3200.
----------non pro usu Ecclesiae 3205, V.
--------plurium Campanarum 3129.
--------Coemeterii peragenda – ab Episc. 3088.
— — — a Sacerd. 3177.
--------Ecclesiae peragenda – ab Episc. 3073, I.
----------a Sacerd. 3162.
--------lapidis prlmar. pro Eccl. aedif. peragenda – ab Episc. 2904, I.
----------a Sacerd. 3153, III.
— in consecrat. – Altaris fixi 2994.
----------culus sepulcr. est in medio summit. stipitis 3031, I.
--------plur. Altarium fixorum 3110, IV.
--------Ecclesiae 2964.
— in reconciliatione – Coemeterii – peragenda – ab Episc. 3107, IV.
----------a Sacerd. 3188, IV.
----------et Ecclesiae peragenda – ab Episc. 3108.
— — — — a Sacerd. 3189.
--------Ecclesiae – ab Episc. peragenda 3102, I.
----------benedictae peragenda a Sacerd. 3182, IV.

D

Defunctus – sermo in eius laudem 3244.
— transitus eius campanae sono manifestabitur, diebus exceptis solemnloribus 3223.
— Episcopus; *vide:* Episcopus defunctus.
Diaconi – color paramentorum pro Ordinatione 2555, I.
— quomodo se gerere debent in sua Ordinatione 2609-2611 ; 2619-2620; 2626-2
Diaconi Assistentes – in benedict. – Abbatis usum pontifie, habentis peragenda – in Eccl. Cath. 2861.
----------in Eccl. Electi 2884.
— in consecrat. Episcopi 2722.
— in coronat. Imag. B. M. V. 3141-3143.
— in s. Ordinat, generali – in Domin. et Fest. de praecepto 2652.
--------in Sabb. – ante Dorn. Pass. 2594-2601.
----------Quat. Temp. 2594-2601.
----------Sancto 2649-2650.
— In s. Ordinat, particulari 2679-2683.
Diaconus – *vide:* Ministri sacri.
— administrans – Baptismum infantibus; *post* 2781.
--------s. Communionem se gerit ut Sacerdos, adhibita tamen stola transversa; *post n.* 2805.
— — SS. Viaticum se gerit ut Sacerdos adhibita tamen stola transversa; *post n.* 2819.
— benedicere domus nequit etiam de Parochi consensu 3213.
— in exequlis defunctorum, *post n* 3245.
— in exequiis parvulorum 3254.
— custos Ecclesiae – de eius officio in Eccl. consecrat. 2944, IV.
— ex novis ordinatis Evangelium legit in s. Ordinat, privatim habenda dum Episc. illud legit 2620.

Dispositio – in Baptismi administrations Episc. cclebr., ad Ecclesiae fores 2536.
— In benedict. – Abbatis in Eccl. Electi 2885.
-------Campanae peragenda – ab Episc. 3111.
----------a Sacerd. 3191.
----------in Functionis initio, celebrante – Episc. 3123.
---------- Sacerd. 3197.
-------plurium Campanarum 3130.
-------Coemeterii – celebrante Episc. – ad quinque aspersiones 3080; 3082-3085.
---------- ordo imponendi candelas Crucibus 3081.
---------- ad sermonem 3079.
---------- celebrante Sacerd., ad aspersionem 3173.
-------lapidis primar. pro Eccl. aedif. – ad aquae benedict. 2898.
----------ad aspers. – fundament. 2901.
---------- loci in quo Crux est 2899.
---------- ad locum in quo aedificanda est Eccl. 2894.
— ad Matrimonii celebrationem, Episc. assistente 2779.
— in consecrat. Altaris portatilis 3040.
------ plurium Altarium – fixorum 3001.
------ portatilium 3060.
— in consecrat. Ecclesiae – ad aspers. – parietum – extrinsecus 2946.
---------- interius 2948.
------ pavimenti 2949.
— ad Eccl. portam – in Funct. initio 2956.
------ In reversione Processionis 2960.
— ad inunctionem Crucium parietum 2951.
— In consecrat. Episcopi – ad Confessionem 2728.
------ ad examen 2727.
------ ad Litanias 2729.
-------ad *multos annos* 2732.
------ ab Offert, ad Commun. 2730.
-------ad *Te Deum* 2731.
------peragenda in Eccl. Electi – ab Episc. extraneo 2760.
---------- a Metropollta; *post n.* 2758.
------ ab Ordinario peragenda; *post n.* 2688.
— In consecrat, plurium Episc. – quomodo Altare ascendere debent 2772.
------ in Altaris suppedaneo 2773.
-------ad examen 2771.
-------ad inthronizationem – duorum 2766.
----------trium 2767.
---------- quatuor 2768.
— Ordinandorum – ante Altare 2636.
------ ad Litaniarum cantum 2638.
Domus – de eius benedict. – temp, pasch. 3212-3213.
--------extra temp, pasch, 3214.

E

Ecclesia – de eius benedicL impertienda – ab Episc. 3064-3073.
--------a Sacerd. 3154-3164.
— de eius consecrat. 2908-2969.
— de eius reconciliatione peragenda – ab Episc. 3091-3102.
--------a Sacerd. 3183-3186.
--------una cum Coemeterio – ab Episc. 3108.
---------- a Sacerd. 3189.
— benedicta – de eius reconciliatione peragenda a Sacerd. 3181, 3182.
— instructiones quae observari possunt ante eius reductionem ad usus profanos vel ante eius destructionem 3074.
Electi In Abbatem – in sua benedictione 2889.
Electi in Episcopum – in sua consecratione 2770.
Electus In Abbatem – in sua benedict. peragenda – in Eccl. Cath. – privatim 2871, III.
----------solemniter 2860.
--------in sua Eccl. 2884.
Electus In Episcopum – in sua consecrat, peragenda – in Eccl. Consecrantis – privatim 2745.
----------solemniter 2710-2721.
--------in sua Eccl. 2759.
----------a Metropollta 2758.
--------extra suam Eccl. et extra Eccl. Consecrantis 2761.
— dignitate cardinalitia insignitus – in sua consecrat. 2763.
----------peragenda a Cardinali 2762.
Episcopi Absolventes – in exequiis Episc. Ordinarii 3275, 3276.
Episcopi Assistentes - in consecrat. Episcopi – peragenda – ab Episc. extraneo – in Eccl. Electi 2759.
----------extra Eccl. Electi 2761.
----------ab Episc. Ordin. – privatim 27-14.
----------solemniter 2698-2709.
----------a Metropollta In Eccl. Electi 2758.
--------dignitate cardinalitia insigniti 2763.
----------peragenda a Cardinali 2762.
— in consecrat, plurium Episc. 2769.
— exequiis Episc. Ordinarii 3271; 3276

— Titulares detundi – privilegium celebrandi Miss, dum eorum cadavera exposita iacent 3263.
Episcopus – Baptismum ministrans – adultis 2541-2546.
--------infantibus 2527-2530.
— in benedict. – Abbatis peragenda – prlvatim 2871, I.
----------solemniter 2856-2858.
----------in Eccl. Electi 2884.
--------plurium Abbatum 2887.
--------Campanae 3112-3117.
----------pro Eccl. non consecrata 3132, I.
--------plurium Campanarum 3129, 3130.
--------Coemeterii 3076.
--------Ecclesiae 3065-3068.
--------lapidis primar. pro Eccl. aedific. 2895.
— in Confirmationis administratione 2553, 1.
— in consecrat. – Altaris – execrati 3035; 3037.
----------fixi 2975-2985.
---------- cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3019-3025.
----------portatilis peragenda – privatim 3055.
----------solemniter 3041.
--------plurium Altarium – fixorum 3002-3006.
----------portatilium 3059.
--------Ecclesiae 2914-2935.
--------Episcopi peragenda – privatim *2741* - 2743.
----------solemniter 2689-2697.
---------- in Eccl. Electi 2759.
---------- dignitate cardinalitia insigniti 2763
--------plurium Episcoporum 2765.
— in coronat. Imag. B. M. V. 3135-3140.
— in expositione SS. Reliq. vespere praeced. consecrat. Ecclesiae 2909.
— Matrimonio assistens 2775.
— in s. Ordinatione generali – Domin. et Fest. de praecepto 2652.
--------in Sabb. – ante Dorn. Pass, habenda – privatim 2654-2660.
----------solemniter 2556-2575.
----------Quat. Temp, habenda – privatim 2654-2660.
----------solemniter 2556-2575.
----------Sancto habenda – privatim 2678.
---------- solemniter 2649, 2650.
— in s. Ordinatione particulari 2679-2683.
— in reconciliatione – Coemeterii 3104.
----------et Ecclesiae 3108.
--------Ecclesiae 3092-3094.

Episcopus aegrotans – quomodo se ad mortem parare debeat 2835.
— emittens Fidei professionem 2849.
— suscipiens SS. Viaticum 2836, 2837.
— cum hora mortis appropinquat Sacrament. Extremae Unctionis petat 285(1
Episcopus defunctus – anniversarium eiusdem proxime defuncti – celebrandum est singulis annis ab Episcopo 3294.
-------- ei assistere Canonici tenenturabsque ulla retributione, *ibidem.*
— curandum est ut eius cadaver conservari possit usque ad asportationem in Eccl. Cath. 3257.
— eius cadaver Clerici Familiares induant paramentis pontifie, violacei coloris 3257.
— de eius excquiis celebrandis in Eccl. Cath. 3264-3293.
— de Missis 3262.
— de Vigiliis 3258-3261.
Episcopus extraneus – in consecrat. Episcopi extra Eccl. Electi 2761.
— celebrans in exequiis Episcopi Ordinarii 3270.
Excquiae – de associatione cadaverum 3229-3242.
— de Missa 3243.
— notanda 3222-3228.
— parvulorum 3246-3255.
-------- nihil obstat quominus in eis legatur vel in cantu celebretur Missa 3255.
— pauperum 3227.
— quando prohibentur 3228.
— sermo in laudem Defuncti 3244.
Exercitus – eius vexilla si benedicta admitti possunt in associatione Cadaverum, alias tolerari 3238.
Exorcistae – quomodo se gerere debent in sua Ordinatione 2609-2611; 2614; 2626-2628.
Extrema Unctio – eius administratio 2820-2823.
-------- in casu instantis mortis 2825.
--------immediate post SS. Viaticum 2824.
--------Episcopo Ordinario 2850-2852.
--------pluribus infirmis 2826.

F

Flectamus genua – haec verba pronuntianda sunt ante singulas Orationes supra Ordinatos quocumque tempore 2559.
Flores – mos congerendi flores super adul torum feretrum laudari nequit 3234.
Formula – Indulgentiae publicandae post Eccl. consecrationem 2913.

Formulae In benedictionibus – Sacerdos tantum utatur illis quae in Miss, et Rituali inveniuntur 3221.
Funebris Oratio 3244.

G

Gremiale – de eius Ministro – in benedict. Abbatis habenda – privatim 2881.
---------- solemniter 2868, II.
------- in consecrat. Episcopi habenda – privatim 2755.
---------- solemniter 2738, II.
------- in s. Ordinat, generali – in Domin. et Fest. de praecepto 2652.
---------- in Sabbato – ante Dorn. Pass. 2647, II.
---------- Quat. Temp. 2647, II.
---------- Sancto 2649, 2650.
------- in s. Ordinat, particulari 2679-2683.

I

Imago B. M.V. – eius coronatio – peragenda- ab Episc. 3133-3151.
---------- a Sacerd. 3207-3208.
Indulgentia – de cius formula publicanda post Eccl. consecrationem 2913.
Infantes – de Baptismo eis administrando – ab Episc. 2526-2539.
------- a Sacerd. 2780-2782.
Infirmi – *vide:* Extrema Unctio, Viaticum (SS.).
Insignia – religioni catholicae manifeste hostilia non admittantur in associatione Cadaverum 3237.
— nationalia et exercitus – si benedicta admitti possunt in associat. Cadav., alias tolerari 3238.
Instructiones quae observari possunt antequam Ecclesia ad profanos usus reducatur vel destruatur 3074.

L

Lapis primarius pro Eccl. acdific. - quomodo esse debet 2892.
— eius benedict, impertienda – ab Episc. 2891-2904.
------- a Sacerd. 3152, 3153.
— cius exemplar 2893.
— Missae celebratio non praescribitur post eius bened. et imposit. 2905.
Lectores – quomodo se gerere debent in sua Ordinatione 2609-2611; 2614; 2626-2628.
Liber – de eius Ministro – in Baptismi administrat. – adultis 2550-2551.
---------- infantibus 2534-2539.
-------- in benedict. Abbatis peragenda – privatim 2877.
---------- solemniter 2865.
---------- Campanae pro Eccl. – consecrata 3127, I.
---------- non consecrata 3132, IV
---------- Coemeterii 3087, I.
---------- Ecclesiae 3073, II.
---------- Lapidis primarii 2902.
-------- in Confirmationis administratione 2553, IV.
-------- in consecrat. – Altaris fixi 2992.
---------- cuius sepulcr. est in medio summit. stipitis 3029.
---------- plurium Altarium fixorum 3010, I.
----------Altaris portatilis solemniter 3048.
----------Ecclesiae 2962.
----------Episcopi peragenda – privatim 2749.
----------solemniter 2735.
-------- in coronat. Imag. B. M. V. 3148.
------- in exequiis Episcopi Ordin. 3291-3293.
-------- in Matrimonii assistentia 2778.
--------in s. Ordinat. – in Dom. et Festis de praecepto 2652.
----------in Sabb. – ante Dom. Pass, habenda – privatim 2676, IV.
---------- solemniter 2640-2645.
---------- Quat. Temp, habenda – privatim 2676, IV.
----------solemniter 2640-2645.
----------Sancto habenda – privatim 2678.
---------- solemniter 2649, 2650.
--------in reconciliatione – Coemeterii 3107, I.
---------- Ecclesiae 3101, I.
---------- et Coemeterii 3108.
——---------- Coemeterii 3178.
-------- Sacerdotis celebrantis – in administrat. Confirmationis 2795, IV.
---------- in benedict. – Campanae 3201.
----------pro Eccl. non consecrata 3205, IV.
---------- Ecclesiae 3163.
---------- Lapidis primarii 3153, III.
---------- In reconciliatione – Coemeterii 3188, V.
----------Ecclesiae – benedictae 3182, V.
---------- consecratae 3186, III.
Lotio – de cius Ministris in benedict. Campanae impertienda – ab Episc. 3128, I.
--------a Sacerd. 3199.

Lumina – pro nonnullis benedict, non praescribuntur; sed accendi possunt3217.

M

Materia benedicenda – praesens esse debet 3219.
Matrimonium – Ritus celebrandi – coram Episc. 2774-2779.
--------coram Parocho 2827-2829.
Matutinum et Laudes – quae recitantur in Vigiliis ante Eccl. consecrationem non dispensant a recitatione Matut. et Laud, diei currentis 2909.
Metropolita – in consecrat. Episcopi peragenda in Eccl. Electi 2758.
Minister aquae benedictae – *vide:* Aqua benedicta.
Minister baculi – *vide:* Baculus pastoralis.
Minister candelae – *vide:* Candela.
Minister de gremiali – *vide:* Gremiale.
Minister libri – *vide:* Liber.
Minister lotionis – *vide:* Lotio.
Minister mitrae – *vide* Mitra.
Ministri sacri – in benedict. – Abbatis – usum pontif. habent, peragenda – in Eccl. Cath. 2862.
----------in Eccl. Electi 2884.
--------Campanae pro Eccl. consecrata peragenda-ab Episc. 3118-3121.
----------a Sacerd. 3195.
--------Coemeterii 3077.
— in consecrat. – Altaris fixi 2986, 2987.
----------cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3026.
--------plur. Altarium fixorum 3007.
--------Ecclesiae 2936-2943.
--------Episcopi – peragenda – ab Episc. extraneo – in Eccl. Electi 2759.
— --------extra Eccl. Electi 2761.
----------ab Episc. Ordinario 2723.
----------a Metropolita 2758.
----------dignitate cardinalitia insigniti 2762.
----------peragenda a Cardinali 2763.
— in coronat. Imag. B. M. V. peragenda – ab Episc. 3144-3145.
--------a Sacerd. 3208, II.
— in exequiis Episc. Ordin. 3279.
— in s. Ordinat, generali – in Dom. et Fest. de praecepto 2652.
--------in Sabbato – ante Dom. Pass. 2602-2608.
----------Quat. Temp. 2602-2608.
----------Sancto 2649-2650.
--------in s. Ordinat, particulari 2679-2683.
— in reconciliatione – Ecclesiae 3095,3096. et Coemeterii 3108.
--------Coemeterii 3105.
Missa – cum bened. nuptialibus 2830.
— post benedict, primarii lapidis pro Eccl. aedif. 2905-2907.
--------sed non praescribitur 2905.
— post consecrat. – Altaris – fixi 2991.
----------portatilis 3047.
— sine cantu post Eccl. consecrationem - Episc. non utitur paramentis pontifie, quamvis in fine impertiat benedict, cum mitra et baculo 2935,1, *b.*
— cxcquialis 3243.
— in collatione sacr. Ordin. diebus a iure statutis semper dicenda est de Tempore 2556.
--------etiam sine cantu celebretur 2655.
— post reconciliationem Eccl. 3099.
Missae – durante exposit. Cadav. Episc. Ordin. 3262.
Missae tres – quae ab Episc. ordinante praecipiuntur sequuntur regulas Missarum votiv. 2625.
Mitra – Episc. ea uti potest – ad benedict, in fine Miss, lectae post Eccl. consecrationem 2935, I, *b.*
--------in Confirmationis administratione etiam non solemniter 2554.
— de eius Ministro – in Baptismi administrat. – adultis 2550, 2551.
----------infantibus 2534-2539.
--------in benedict. – Abbatis peragenda – privatim 2875.
----------solemniter 2866, I.
----------Campanae pro Eccl. – consecrata 3127, II.
----------non consecrata 3132, *V.*
----------Coemeterii 3087, II.
----------Ecclesiae 3073, III.
----------lapidis primarii 2903, I.
-------in Confirmationis administrat. 2553, IV.
--------in consecrat. – Altaris fixi 2993, I.
----------cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3030, I.
----------plur. Alt. fixorum 3010, II.
----------Altaris portatilis peragenda solemniter 3049, I.
----------Ecclesiae 2963, I.
----------Episcopi peragenda – privatim 2750.
----------solemniter 2736, I.
-------- in coronat. Imag. B. M. V. 3148.
------- in exequiis Episc.Ordinarii3291-3293.
--------in Matrimonii assistentia 2778.

-------in s. Ordinat. – in Dom. et Fcst. de praecepto 2652.
---------- in Sabbato – ante Dom. Pass, habenda – privatim 2676, II.
---------- solemniter 2646, I.
---------- Quat. Temp, habenda – privatim 2676, II.
---------- solemniter 2646, I.
---------- Sancto habenda – privatim 2678.
---------- solemniter 2649, 2650.
-------in reconciliatione – Coemeterii 3107, II.
---------- Ecclesiae 3101, II.
---------- et Coemeterii 3108.
Mulier – de cius benedict, post partum 3210, 3211.

N

Nationalla vexilla, si benedicta admitti possunt in associat. Cadav. et in Eccl.; si benedicta non sint, tolerari 3238.
Nocturnus talis diei – quid intelligendum pro illo quem Episc. Diaconis et Subd. imponere solet 2618.
Notarius in s. Ordinatione 2633.
Nuptiales benedictiones 2830, 2831.

0

Oratio funebris 3244.
Oratorium – de eius benedict, impertienda – ab Episc. 3064-3073.
------- a Sacerd. 3154-3164.
Ordinandi – color paramentorum pro eis 2555, I.
— quomodo se gerere debent in sua Ordinatione – ad Offic. – Acolythorum 2609-2611; 2614; 2626-2628.
---------- Exorcistarum 2609-2611; 2614; 2626-2628.
---------- Lectorum 2609-2611 ; 2614; 2626-2628.
---------- Ostiariorum 2609-2611; 2613; 2626-2628.
------- ad Diaconatum 2609-2611; 2619, 2620; 2626-2628.
------- ad Presbyteratum 2609-2611; 2621-2624; 2626-2628.
------- ad Subdiaconatum 2609-2611; 2615-2617; 2626-2628.
Ordinati – Episc. omnes communicat proferens peculiarem formulam 2574.
— sufficit ut unus ex eis candelam accensam offerat 2626.
Ordinatio sacra – generalis habenda – privatim – in Sabb. ant. Dom. Pass, et in Sabb. Quat. Temp. 2653-2676.
---------- summarium Ritus 2686; 2687.
---------- in Sabb. Sancto 2677, 2678.
-------- solemniter in Sabb. Quat. Temp, et in Sabb. ante Dom. Pass. 2555-2647.
---------- summarium Ritus 2684; 2685.
---------- diebus Dom. et Fest. de praecepto 2651, 2652.
---------- in Sabb. Sancto 2648-2650.
— particularis 2679-2683.
Ordines sacri – in eorum collatione diebus a iure statutis semper dicenda est Missa de Tempore 2556.
-------- etiam sine cantu celebretur 2655.
Osculum pacis – in s. Ordinatione 2627.
Ostiarii – saltem duae claves porrigendae sunt iis qui ad Ostiariorum officium ordinandi sunt 2561.
— non est stricte necessarium ut ordinati clave utantur ad claudendam et aperiendam portam 2613.
— quomodo se gerere debent In sua ordinatione 2609-2611; 2613; 2626-2628.

P

Pannus emortualis nigri sit coloris eiusque ornamenta sobria 3233.
Paramenta – de eorum colore pro Ordinandis in sacris 2555, I.
— pontificalia – Episc. illis non utitur in Missa sine cantu post Eccl. consecrat, quamvis in fine impertiat bened. cum mitra et baculo 2935, /, *b.*
Parvuli – de eorum exequiis 3246-3255.
Patina parva – de eius usu in distribut, s. Communionis 2797.
Praelati Nullius defuncti – pii llegium celebrandi Miss, dum eorum Cadavera exposita iacent 3263.
Presbyter Assistens – in benedict. – Abbatis peragenda – in Eccl. Cath. 2861.
----------in Eccl. Electi 2884.
— in consecrat. Episcopi – peragenda ab Episc. extraneo – in Eccl. Electi 2759.
---------- extra Eccl. Electi 2761.
--------peragenda – ab Episc. Ordinario 2722.
---------- a Metropolita 2758.
--------dignitate cardinalitia insigniti 2763.
---------- peragenda a Cardinali 2762.
— in coronatione Imag. B. M. V. 3141-3143.
— in exequiis Episc. Ordinarii 3277.

— in s. Ordinat, generali - in Dom. et Festis de praecepto 2652.
--------in Sabbato – ante Dom. Pass. 2584-2593.
----------Quat. Temp. 2584-2593.
----------Sancto 2649, 2650.
— Ordinat, particulari 2679-2683.
Presbyter thurlflcaturus Altare in consecratione – Altaris fixi 2988, II.
--------cuius sepulcr. est in medio summit, stipitis 3027, II.
--------cum Ecclesiae consecrat. 2944, 111.
— plurium Alt. fixorum 3008, II.
— Altaris portatilis 3045.
----------plurium Alt. portatil. 3062.
Presbyteri – color paramentorum pro Ordinatione 2555, I.
— quomodo se gerere debent in sua Ordinatione 2609-2611 ; 2621-2624; 2626-2628.
Presbyteri Feretrum Reliquiarum deferentes in consecratione – Altaris fixi 2988, I.
--------cuius sepulcr. est in medio summit. stipitis 3027, I.
--------cum Ecclesiae consecrat. 2944, II.
— plurium Alt. fixorum 3008, I.
Presbyteri novi – Episc. eos communicat efficiens Crucem cum s. Particula, sed nihil dicens 2574.
Professio Fidei ab Episc. Ordinario emittenda coram suo Clero postquam ipse SS. Viaticum acceperit 2849.

Reconciliatio Coemeterii – peragenda – ab Episc. 3103-3107.
--------a Sacerd. 3187, 3188.
— et Ecclesiae peragenda – ab Episc. 3108.
a Sacerd. 3189.
Reconciliatio Ecclesiae – peragenda ab Episc. 3091-3102.
--------una cum Coemeterio 3108.
— et Coemeterii peragenda a Sacerd. 3189.
— benedictae peragenda a Sacerd. 3181, 3182.
— consecratae peragenda a Sacerd. 3183-3186.
Religiosi – in Vigiliis celebrandis durante expositione Cadav. Episc. Ordinarii 3258-3261.
Reliquiae – de earum expositione vespere praeced. consecrat. – Altaris fixi 2971.
----------cuius sepulcr. est in medio summit. stipitis 3015.
--------plurium Alt. fixorum 2999.
--------Ecclesiae 2908-2910.

S

Sermo In laudem Defuncti – 3244.
Societates – Religioni hostiles non admittantur in associat. Cadav. 3237.
Societates Catholicae in habitu laicali in associat. Cadav. Feretrum sequi debent 3236.
Stola – de eius colore in benedictionibus 3215, 3216.
Subdlaconi – color paramentorum pro Ordinatione 2555, I.
— quomodo se gerere debent in sua Ordinat. 2609-2611; 2615-2617; 2626-2628.
Subdiaconus – *vide:* Ministri sacri.
— unus ex novis ordinatis Epistolam legit in s. Ordinat, privatim habenda, dum Episc. eam legit 2616.
Summarium Ritus – Benedictionis Abbatis habendae – privatim 2883.
--------solemniter 2869.
— Consecrationis – Altaris fixi 2998.
----------cuius sepulcr. est in medio summit. stipitis 3033.
--------plurium Altarium fixorum 3014.
--------Altaris portatilis solemniter pera genda in Eccl. 3052.
--------Ecclesiae 2970.
--------Episcopi peragendae - privatim 2757.
----------solemniter 2739.
— s. Ordinationis generalis – in Sabb. - ante Dom. Pass, habendae – privatim 2687.
----------solemniter 2685.
----------Quat. Temp, habendae – privatim 2686.
----------solemniter 2684.
SuperpclHceum – semper Sacerdos eo utatur in benedict. 3215.

Thuriferarlus - in benedict. Abbatis 2868, IV.
--------Campanae peragenda – ab Episc. pro Eccl. consecrata 3128, IV.
----------pro Eccl. non consecrata 3132, VIII.
----------a Sacerd. 3203.
----------pro Eccl. non consecrata 3205, VI.
--------plur. Campanarum 3129.
--------Coemeterii peragenda – ab Episc. 3089, II.

----------a Sacerd. 3180.
— in consecrat. – Altaris fixi 2995, 1.
----------cuius sepulcr. est in medio summit. stipitis 3031, II.
--------plur. Alt. fixorum 3011.
--------Altaris portatilis 3050, I.
--------Ecclesiae 2965.
------- Episcopi 2738, IV.
— in coronat. Imag. B. M. V. peragenda – ab Episc. 3150.
--------a Sacerd. 3208, IV.
— in exequiis Episc. Ordinarii 3292, 3293.
— in s. Ordinat, generali – in Dom. et Fest. de praecepto 2652.
--------in Sabb. – ante Dom. Pass. 2647, IV.
----------Quat. Temp. 2647, IV.
----------Sancto 2649-2650.
— in s. Ordinat, particulari 2679-2683.

Tonsura – in promotione ad primam tonsuram dum Episc. capillos tondit, iuxta morem, dicit: *Dominus pars* etc. 2558.

Tonsurandi - quomodo se gerere debent in promotione ad prim, tonsuram 2609-2612; 2626-2628.

Transitus Defunctorum – campanae sono manifestabitur diebus exceptis solemnioribus 3223.

u

Unctio extrema *vide:* Extrema Unctio.

V

Vexilla – religioni catholicae manifeste hostilia non admittantur in associatione Cadaverum 3237.
— nationalia et exercitus – si benedicta admitti possunt in associatione Cadaverum, alias tolerari 3238.

Viaticum (SS.) – eius administratio 2806-2815.
--------Diaconus in ea se gerit ut Sacerdos, adhibita tamen stola transversa; *post n.* 2819.
--------Episcopo Ordinario 2832-2848.
--------pluribus in eodem domo 2816.
— eius delatio – a Feria V in Coena Dni usque ad Miss. Sabb. Sancti 2817.
--------privatim 2819.

Vicarii Apostollci defuncti – privilegium celebrandi Miss, dum eorum Cadavera exposita iacent 3263.

Vigiliae – de earum celebratione – ante Eccl. consecrationem 2908-2910.
--------durante expositione Cadaveris Episc Ordinarii 3258-3261.

decreta
SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS IN VOLUMINE ALLATA

Decr.	ad Num.
568	3285
1583	2578
1665	2615
1676	3235
1939	2911, 2, I
2049	2531
»	2758, IX
»	2776
»	2531
»	2758, IX
2089	2776
»	2574
»	2811
»	2840
2150	3234
2151	3294
2179	2605
2194	2565
2270	3213
2383	2817
2473	2655
2543	2804
2572	2620
2635	3229
2682	2612
	2558
	2577
	2578
	2613
	2614
	2626
	2676
	2574
	2575
2689	3294
2704	3221
2725	2800
	2804
	2798
2729	3221
2786	3213
2802	2842
2868	2625
	2909

Decr.	ad Num.
	2626
	2909
	3244
	2621
	2574
	3208
	3233
	3268
	3209
	3162
	2574
	3235
	3133, II
	3207, II
	2911, 2, I
	2827, II
	2828
	2574
	3133, II
	3207, II
	2661
	2663
	2895
	3153
	3233
	3268
	2574
	2578
	2911, 3, VII
	2926
	2605
	2676
	2935, I, *b*
	2985, i, *b*
	3042
	3061
	3255
	3269
	2209
	3223
	3228
	2842

Decr.	ad	Num.
3582	3	2553, I
		2795, I
3593	1	2577
3605		2905
3646		3133, II
»		3207
3687	1	2947
3697	15	3215
3700	2	2661
»	B	2663
3721	1	2574
3726	»	3041
B	B	3046
»	B	3059
» 'I	2	3060
B 'I	B	3062, II
3729	3	2911, 1, V
D	4	2942
»	»	2952
»	5	2950
»	8	2926 <
»	9	2935, I, *b*
	»	2985, I, *b*
3767	25	2620
3780	1	2842
3800		2804
3804	1	2661
»	>	2663
>	»	2667
	»	2746
3822		3257
		3263
3832	6	2553
3852		2916
*		2947
»		3066
		3093
3854	1	3230
b	B	3284
	3	3229

Decr.	ad	Num.
3888		2842
3898		3233
3904		3209
3905		2854
3946		3228
4031	1	3059
	*	3060
4035	5	2561
4042	1	2618
4077	3	2620
4081	4	3242
4095	1	3231
		3270
4096	6	3257
4109		3236
4117		2618
4127		2810
4130		3228
4164		2559
B		2602
		20β8
4165	1	2923
B	»	2978
B	»	3004
B	»	3019
B	»	3037
B	»	3041
B	»	3059
B	»	3168
B	5	3233
B	»	3268
4244		3060
B		3062, III
4284, decl. III		2710
4305		2830
4306		2909
4355 II, 2		2758, VIII
4390		3236
		3237
		3286

III.

CANONES CODICIS JURIS CANONICI IN VOLUMINE ALLATI

Can.	Par.	N.	Num.
397	2		2531
			2776
			2832
			3265
			3229
			3256
	2		post. 2819
	1	3o	2577

Can.	Par.	N.	Num.
1156			ante 2891
D			» 3152
1163			» 2891
9			9 3152
1215			3226
1233	2		3237
9	4		3235